SUMMA
THEOLOGIÆ
SCOTISTICÆ,

IN QUA

EX FIDEI LUMINE, S. SCRIPTURÆ Oraculis, Ecclesiæ Traditionibus, ac Decretis, SS. PP. ac Theologorum sententia, & rectæ rationis ductu,

RELIGIONIS CHRISTIANÆ MYSTERIA, Dogmata, Sacramenta, & Leges breviter, & scholasticè explicantur, & propugnantur ad mentem Doctoris Subtilis

A P. F. SEBASTIANO DUPASQUIER, Min. Convent. S. Theologiæ Lectore Emerito, Doctore, ac Provinciæ Seraphici S. Bonaventuræ Exprovinciali conscripta.

TOMUS IV.

Tract. VIII. De Actibus humanis, & Regulis morum tam internis, scilicet de conscientia, quàm externis, scilicet de legibus.



PATAVII, Typis Seminarii. MDCCXX.
Apud Joannem Manfrè.
SUPER. PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

Ad usum Adm. Rdi Prij Ange-
li a Grumo

Pertinet ad Conventum S. Mrie
Carmeli S. Anthimi

AD RELIGIOSUM

LECTOREM.

JAm in præcedenti Tomo te præmonui, chariſſime Frater, & Lector benevole, quòd ordinem ſcholæ non potui obſervare ſatis exactè in his duobus Tomulis. Verùm tibi liberum erit in ſtudio quartum præponere tertio; nec enim ita inter ſe, nec ab invicem dependent illi Tractatus, quin ſeorſim poſſint legi. Ut ut ſit, compatere neceſſitati. Inde factum eſt, ut aliquando contigerit in his tractatibus citari deciſiones, quæ nondum editæ ſunt, &

ſupponuntur editæ; ſed pro tua prudentia, & charitate ſupplebis facilè. Vale, & pro Deum ora.

IN-

INDEX
DISPUTATIONUM, ET QUÆSTIONUM
HUJUS TOMI QUARTI,
De Actibus humanis.

TRACTATUS VI.
Totius Summæ Theologicæ.
DISPUTATIO I.

Quæst.

DISPUTATIO II.

INDEX.

DISPUTATIO III.

DISPUTATIO IV.

DI-

DISPUTATIO V.

DISPUTATIO VI.

DISPUTATIO VII.

DISPUTATIO VIII.

DISPUTATIO IX.

SUMMÆ THEOLOGIÆ SCOTISTICÆ

TRACTATUS VIII.

De actibus humanis in genere.

BEATITUDO, quam Deus præparavit nobis infinita sua bonitate, & misericordia humanis actibus acquiritur. Hanc scilicet *præparavit Deus diligentibus se*, non negligentibus. Ideo postquam vidimus, quid, & quanta illa sit in præcedenti disputatione, & tractatu, restant inquirenda media, quibus eam possimus consequi, & incipimus ab illis, quæ à nobis pendent, ut sunt operationes nostræ, quas *actus humanos vocant*; & quidem primò de illis agimus hìc, prout in generali considerantur, deque regulis eorum communibus, ut verè humani dicuntur; tùm descendemus ad eorum species suo loco, & tempore, cùm de singulis virtutibus, & vitiis disputavimus, Deo juvante.

DISPUTATIO PRIMA.

De natura, & conditionibus actus humani, & moralis.



NON ita facile est, actus verè humanos distinguere ab actionibus hominum, quæ sunt illis communes cum brutis, aut saltem quæ carent moralitate: nihil tamen utilius, imò nec magis necessarium homini, ut suos actus examinet, & seipsum in illis agnoscat, & in finem, ac portum salutis dirigat, aut à recto deviantes, reformet, & rectificet. Notionem communiorem illorum hac disputatione prosequimur.

QUÆSTIO PRIMA.

An, & quid sit actus humanus, & moralis; in quo consistat moralitas.

NOmine *actus*, seu *actionis humanæ* non intelligimus hìc quascumque actiones, quæ ab homine fiunt, ut sunt illæ, quas habet communes cum bestiis, ut *movere*, *nutriri*, *edere*, *bibere*, *ambulare*, *dormire*, aut etiam illæ, quæ quidem illi sunt diversæ ab animalibus, ut *loqui*, & *ratiocinari* somniando, vel absque deliberatione, & libertate, sed eas tantùm, quas elici deliberatè cum cognitione, & libertate, & quæ sunt capaces moralitatis, seu bonitatis, aut malitiæ. Nam actus *humanus*, & *moralis* idem sunt, & ideò laudabiles, aut vituperabiles, ac digni præmio, vel pœna dicuntur, & denique conducunt ad finem ultimum, vel ab eo avertunt. Dicuntur *humani*, quia sunt ab homine, ut homo est rationalis, & liber, & quia per hos maximè differt ab aliis viventibus, qui non agunt ex dictamine rationis, nec liberè.

CON-

CONCLUSIO I.

Dantur actus humani, & morales, qui describi possunt. Actus vitales hominis, qui ex libera, & deliberata voluntate procedunt. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui vocat actus humanos proprie illos, *qui causantur per intellectum, & voluntatem ab homine*, & distinguit actus naturales elicitos seu non humanos, ut movere barbam, levare festucam, & hujusmodi, qui procednnt ex sola imaginatione, non ex libero arbitrio ab actibus humanis, qui sunt libere eliciti, &c.

Prob. 2. ex communi omnium Philosophorum, & Theologorum consensu, qui de his actibus agunt, & regulas tradunt: Et in hoc sensu de illis loquuntur.

Dicuntur 1. *actus vitales*, quod ponitur loco generis; sic enim conveniunt cum actibus naturalibus procedentibus ex principiis vitæ vegetativæ, & animalis; per reliquum distinguuntur ab illis, atque etiam ab aliis, qui sunt quidem proprii solis hominibus, ut in pueris, & in amentibus, qui libere quidem agunt, dum sumunt cibos, vestes, &c. sine judicio tamen, & deliberatione requisita ad denominationem bonitatis, vel malitiæ moralis. Utrumque enim requiritur ad moralitatem, scilicet cognitio difformitatis, & conformitatis; & libera voluntas operans ex delectu, supposita illa cognitione.

Hinc patet 1. Actus brutorum, nec motus hominis indeliberatos, & primo *primos*, ut vocant, nec amorem Dei, quo se amat, nec amorem beatorum esse actus humanos, & morales, quia ex parte voluntatis non sunt plene deliberati, & liberi. 2. nec etiam actus hominis liberos circa bonum delectabile, vel utile, si non procedant ex cognitione ulla bonitatis, vel malitiæ moralis ob eandem rationem; quia ex parte intellectus non fiunt ex debita consideratione vel attentione circa finem, & consultationem circa media, ut esse possint recti, aut mali, laudabiles, aut vituperabiles; meritorii, vel demeritorii, quæ tamen requiruntur ad propriam moralitatem, & ut dican-

[1] 4.*d*.6.*q*.5.*E*.*n*.3.2.*d*.41.*q*.4.*n*.2.

dicantur propriè *actus humani* in sensu præsenti.

Objic. 1. Bruta habent actus liberos, non autem humanos; ergo isti malè describuntur actus liberi.

Resp. 1. ex dictis de anima, neg. ant. sola enim vera, & propria libertas convenit homini.

Resp. 2. dato gratis ant. neg. conseq. quia actus dicitur humanus non a sola libertate, sed etiam a ratione dirigente.

Objic. 2. Actus animæ separatæ, & Angeli sunt liberi, & ex directione intellectus, & illis convenit hæc definitio: sed illi actus non sunt humani; ergo actus humani non sic rectè definiuntur. Prob. min. actus Angelici differunt specificè ab actibus hominis, & ita est de actibus animæ separatæ; hæc enim non est homo.

Resp. neg. maj. pro 2. parte. Nam hæc definitio est de actibus ab intellectu, & voluntate hominis secundum modum ejus agendi connaturalem, & hoc sensu non convenit nec Angelo, nec animæ separatæ, prout differunt ab homine.

Resp. 2. dist. min. Actus Angeli, & animæ separatæ non sunt humani quoad vocem, & prout ab homine differunt, conc. min. quoad rem, & prout cum homine conveniunt, neg. min. & conseq. Nam Homo, & Angelus; & anima separata præscindendo à statu viæ, aut termini, conveniunt in modo agendi liberè, & ex cognitione, seu moraliter.

CONCLUSIO II.

Moralitas actus non importat solam cognitionem bonitatis; aut malitiæ ex parte intellectus, per quam actus sit dirigibilis, nec solam libertatem ex parte voluntatis, sed utramque simul, & necessariò.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui loco citato, & alibi docet quòd nullus virtuosè agit, aut vitiosè, nisi agat ex deliberatione; *Sicut enim non agit humanè, nisi agat intelligendo; ita circa illud, quod est ad finem, non bene agit humanè, nisi intelligendo illud, propter quod agit, & istud intelligere est deliberare*. Delibera-

[1] 3.*d*.33.*q*.*n*.23.

liberatio autem includit utrumque, scilicet & cognitionem finis, ac mediorum in intellectu, & libertatem ex parte voluntatis. Nam *ut est deliberativa est libera, quia dicitur deliberativa, in quantum præcipit deliberationem* (intellectui) *aut in quantum eligit, prævia deliberatione, & utrumque convenit sibi, in quantùm libera, quia liberè imperat* (consultationem circa media ad finem, & deliberationem) *& libere eligit* media proposita in deliberatione, &c. ergo ex Scoto, moralitas in actu importat directionem, seu cognitionem ex parte intellectus, & libertatem ex parte voluntatis.

Prob. 2. ex Philos. *Nequaquam simile est in artibus, & virtutibus: nam quæ ex arte procedunt, laudem in se habent*, modo sint facta juxta regulas artis sive deliberatè, & scienter, sive casu, & inadvertenter, etiam somniando semper sunt laudanda) *quare sufficit illa sic existere; sed quæ a virtute proficiscuntur, non sufficit, si ipsa justè quodammodo se habeant, & modestè agantur; sed considerandum, si agens ita egerit. 1. si sciens; 2. si eligens propter ipsa, & 3. si certo, & immobili judicio;* ergo ex Phil. actus virtutis moralis exigit scientiam, seu cognitionem, & directionem ex parte intellectus, & libertatem electionis ex parte voluntatis.

Prob. 3. per partes, & 1. quòd non in sola cognitione, seu directione, aut dirigibilitate; alioqui amor, quo Deus se amat, esset moralis; sed hoc est falsum; quia ille amor est necessarius, quod autem est necessarium non est morale; non est laude, aut vituperio, nec præmio, vel pœna dignum; ergo sola directio non sufficit ad moralitatem. Prob. maj. ille amor est conformis cognitioni, quam Deus habet de se, & de ipso amore; ergo si tota moralitas penderet à cognitione, seu directione intellectiva, ille amor esset in genere moris.

Idem esset dicendum à fortiori de amore beatifico Angelorum, & hominum, quem nemo dicet moralem, seu meritorium, quamvis dirigatur cognitione beata, & hoc, quia est necessarius; ergo sola dirigibilitas in actu non sufficit ad moralitatem.

Prob. 2. pars *de libertate*, quia sunt actus liberi, qui non habent ullam moralitatem, scilicet nec boni, nec

mali sunt; & ideo nulla eos ratio dictat faciendos, aut non faciendos. & tales sunt actus indifferentes sivè in specie, sive in individuo; ergo sola libertas non facit moralitatem, quod enim fiant ex cognitione, & libertate indifferentiæ(& sic magis sint morales,quàm qui fiunt sine ulla prorsus consideratione bonitatis, aut malitiæ, ut vult Mastrius) id non facit ad rem, quia loquimur de moralitate propria, quæ reddat actum laudabilem, aut vituperabilem, sed esto hæc ratio non valeat ex eo capite.

Prob. 2. Nam cum eadem libertate potest mutari moralitas; ergo moralitas non est idem cum libertate. Prob. ant. Potest quis continuare comestionem carnis ab ante, & post mediam noctem diei Jovis cum eadem volitione, & libertate, sed tunc mutabitur moralitas; nam cùm esset bona, aut indifferens antè mediam noctem, fit mala post id tempus.

Prob. 3. quia mutata libertate non mutatur necessariò moralitas actuum; ergo non sunt idem. Prob. ant. volitio omittendi sacrum differt ab ipsa omissione, & tamen utrobique est eadem species malitiæ, scilicet sacrilegii; ergo &c.

Prob. 3. pars *de cognitione*, seu dirigibilitate ex parte intellectus, quòd necessaria sit, nam actus dicitur bonus, aut malus, quatenus est conformis, aut disformis regulæ rectæ rationis; ergo non est moralis, nisi sit ita dirigibilis, certè voluntas non potest velle, aut nolle conformare se regulis morum, nisi cognoscantur, & sibi ostendantur, non enim fertur in incognitum, est potentia cœca egens directione; ergo directio requiritur ad moralitatem.

Prob. denique *de libertate*; neque enim actus est *laudabilis, nec vituperabilis, nisi sit à voluntate*, inquit Scotus; [1] *actus dicitur moralis, quia liberè elicitus*: & ut dicebamus ex Philos. ut sit moralis, & bonus, debet esse deliberatus, & ex electione, quæ est actus liber, & certè per libertatem maximè illi actus differunt ab actibus brutorum, qui non sunt morales, quia nec liberi; ergo libertas necessariò requiritur ad moralitatem.

Objic. 1. Scotus totam imputabilitatem, seu moralitatem refundit in solam libertatem, ergo non impor-

[1] 2. *d*. 4. *B*. *n*. 3.

importat directionem intellectus. Prob. ant. *Dico, quod laudabile, aut vituperabile, imò generaliùs præmiabile, aut punibile continentur sub hoc communi, quod est imputabile, & illius communis, scilicet imputabilitatis est una ratio hæc, scilicet actum esse in libera potestate agentis*; ergo tota moralitas pendet à libertate, & idem est esse morale, quod esse imputabile, & esse imputabile, quod esse morale, & liberum.

Resp. neg. conseq. Nam Scotus ibi vult tantùm, quòd præcipua, & fundamentalis, seu radicalis ratio moralitatis, seu imputabilitatis petatur ex libertate, non verò unicè, & totaliter; immò addit, quòd ad istam potestatem, seu libertatem concurrunt intellectus, voluntas. *Propter hoc igitur, quòd actus ejus* (voluntatis) *sic indifferenter ad agere, vel non agere est in ejus potestate, licet non nisi supposita intellectione, ideò per se est imputabilis agenti*; vides actus intellectus necessariò præsupponi exercitio libertatis, & sic concurrere ad moralitatem.

Inst. Hoc ipso, quod actus est liber, est imputabilis, ergo & moralis; ergo moralitas non distinguitur à libertate. Prob. ant. si non esset liber, non esset imputabilis, nec moralis; ergo moralitas venit ex sola libertate.

Resp. dist. utrumque ant. quatenus libertas est radix, & fundamentum præcipuum imputabilitatis, & moralitatis; conc. ant. quasi verò sit ipsa formalis, & totalis moralitas, neg. ant. hoc ipso quod actus est liber, habet fundamentum moralitatis; sed libertas non est tota ratio moralitatis præcisè ab actu intellectus dictantis, quomodo sit habendus, ut sit bonus, aut malus.

Inst. Omnis actus liber, ut liber, est bonus, aut malus, aut indifferens; ergo omnis actus ut liber est moralis.

Resp. dist. ant. Est bonus, aut malus, aut indifferens in genere moris, aut naturæ, vel artis, conc. ant. præcisè, & formaliter, & in genere moris, neg. ant. & conf. & hoc patet de pueris, quorum actus sunt quidem liberi, sed physicè, & in genere naturæ potius, quàm moris propriè, & rigorosè.

Objic. 1. contra *libertatem*, actiones humanæ

Christi in via fuerunt morales, & simul necessariæ, idem est de amore beatifico, qui est actus nobilissimus, & laudabilissimus; ergo moralitas non exigit libertatem. Patet ant. nisi enim fuissent morales, non fuissent meritoriæ, & si non essent necessariæ, potuisset peccare omittendo actiones præceptas; ergo fuerunt morales, & necessariæ, seu non liberæ libertate contingentiæ, quæ requiritur ad meritum, & de qua hìc agitur.

Resp. dist. ant. pro 2. parte, fuerunt necessariæ necessitate opposita libertati proximæ, & ab extrinseco, con. ant. necessitate opposita libertati remotæ, & intrinsecæ; quæ se tenet ex parte principii, seu potentiæ, neg. ant. & conf. Fateor de via, & lege communi in viatoribus, & pro moralibus adesse libertatem tam proximam, & ab extrinseco, quàm remotam ex parte potentiæ; sed de lege extraordinaria, dispensativè sufficit remota, & intrinseca; & sic factum est in Christo D. & fieri posset in beatis, si Deus vellet acceptare actus illorum in ordine ad aliquod præmium. Loquimur autem hìc de moralitate secundum legem ordinariam pro homine viatore; in beatis autem de facto reperitur rectitudo quædam naturalis, & in genere physico propter naturam potentiæ, quæ est intrinsecè libera.

Objic. 2. ad idem. Actio externa potest esse mala pro tempore, quo non est ampliùs in potestate voluntatis; ergo libertas non requiritur ad omnem moralitatem. Prob. ant. Qui veneno intentaret mortem alicui, posset nolle, ut mors sequatur, & pœnitere, & remissionem impetrasse pro instanti, quo venenum interficit hominem; ergo homicidium est malum, & morale pro tempore, quo non est liberum, nec volitum.

Resp. neg. ant. & conseq. prob. Nam in casu posito homicidium est tantùm imputabile propinanti venenum pro eo tempore, quo volens, & liberè propinavit, non pro illo, quo vellet impedire effectum ejus; sicut omissio officii tunc tantùm est imputabilis sacerdoti; quando dat illi causam liberè, v. g. cùm projicit breviarium in mare, non verò pro tempore, quo pœnitens projectionis vellet posse recitare officium.

Inst.

Inst. Nisi tunc peccaret, cùm sequitur mors, non puniretur pro illo actu externo, qui non est in ejus potestate, sed punitur pro illo actu externo; ergo per illum, & tunc verè peccat etiam sine libertate. Prob. min. Nam tunc homicida incurrit censuras, & pœnas canonicas etiam in foro interno.

Resp. neg. maj. & conc. prob. Nam censuræ incurruntur ob effectum secutum ex causa liberè posita, non autem propter mortem hominis præcisè; & absolutè. De hoc alias.

Constat igitur, quòd actus humanus, & moralis idem sunt, & ad actum moralem debet intervenire advertentia intellectus ad regulas morum, & libertas in voluntate, qua possit illis se conformare, vel non; & hæc libertas debet esse aut specificationis, seu contrarietatis, aut exercitii, seu contradictionis, & ista sufficit.

CONCLUSIO III.

Moralitas est quid accidentale adveniens entitati physicæ actus; non tamen reale physicum, & intrinsecum, sed quasi intentionale, ac rationis, derelictum ex actibus, ac regulis morum, per modum denominationis extrinsecæ. Ita Scotistæ, & alii.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui bonitatem docet distingui ab actu, *quia relatio non consequens necessariò naturam fundamenti non est eadem omninò cum fundamento; sed rectitudo non necessariò sequitur naturam actus; ergo non identificatur ipsi actui, in quo fundatur*. Et alibi docet, quòd *moralitas bonitatis, aut malitiæ accidit tam actui, quàm habitui, quantum ad istam conditionem actus accidentalem, quæ est bonitas moralis*; & addit, [2] eundem habitum posse generari ex actibus bonis, & non bonis. *Idem enim habitus in natura, qui generaretur ex actibus abstinentiæ elicientis cum ratione erronea in eliciente, manens post cum ratione recta esset postea virtus abstinentiæ, & prius non fuit habitus virtutis, quamdiu non fuit recta ratio abstinendi*; ergo moralitas est accidens, & separabile ab habitu; ergo & ab actibus.

[1] *Quodlib.* 18. *X. n.* 10.
[2] 1. *d.* 17. 4. *P. & Q. vel q.* 3. *n.* 3. *n.* 4.

Prob. 2. quia moralitas maximè fundatur in libertate, sed libertas est accidentalis entitati physicæ actuum hominis; ergo & moralitas. Maj. patet ex conclusione præcedenti, & min. ex dictis de libertate, ubi ostendimus, actum de necessario, seu non libero fieri posse liberum, vel è contrà ob dependentiam ab intellectu defectu advertentiæ. Actus ille abstinentiæ ab initio non est liber, & adveniente advertentia fit liber, & moralis, & bonus. Cùm ergo moralitas fundetur in libertate, si hæc accidentalis est entitatis physicæ actus, à fortiori moralitas.

Dices, adveniente advertentia non esse ampliùs eundem actum physicè; ergo hæc probatio falsum supponit, scilicet identitatem actus.

Contra. Nulla est necessitas hujus mutationis in actu; ergo gratis asseritur. Prob. ant. Illa necessitas oriretur ex varietate vel motivi, vel objecti materialis, aut formalis, sed neutrum dici potest; ergo nulla est. Prob. min. quia qui comedit carnes die jejunii inadvertenter post advertentiã potest continuare ex eodem motivo delectationis gulæ, & sic comestio tam ante, quàm post advertentiam habet idem objectum formale, & materiale; ergo diversitas non venit ex mutatione motivi, nec objecti.

Dices 2. variari objectum formale, quia ante advertentiam objectum comestionis erat caro ut delectabilis, & non cognita ut prohibita positivè, & post advertentiam est caro cognita ut prohibita, & rectæ rationi disconveniens.

Contra. Tota illa diversitas se tenet ex parte intellectus, nec propterea variatur delectabilitas; ergo non variatur etiam objectum formale, sed sola conditio extrinseca, scilicet advertentia.

Prob. 2. p. 1. ex Scoto, [1] quia ipsa libertas non est quid intrinsecum physicum in actu, sed denominatio extrinseca petita ab indifferentia, seu libertate voluntatis, voluntas ut in nobis est actus primus, libera est ad habendum actum volendi, non autum ipse actus volendi est liber, nec principium liberum producendi aliquid, quia actus volendi est quædam qualitas naturalis, &, si est principium alicujus rei, est principium ejus naturale; non liberum; ergo liber-

tas

[1] 1. *d.* 12. *G. n.* 3. & *d*. 13. *H.* & *d.* 17. *q.* 2. *O.*

tas: non est quid intrinsecum in actu morali; ergo nec moralitas, quæ in eo fundatur. Voluntas producit quidem volitionem liberè; & ipsa volitio est libera per denominationem petitam à libertate, quæ est in voluntate; sed ipsa volitio producat aliquid, v.g. habitum, id faciet, ut causa naturaliter agens, non liberè.

Prob. 2. quia, ex adversariis, moralitas peccati non consistit in aliquo positivo physico, nec morali; ergo moralitas ut sic non potest importare quid positivum physicum. Ant. patet, volunt enim, quòd consistat in privatione rectitudinis debitæ. Prob. cons. moralitas ut sic est ratio communis actui bono, & malo; ergo debet esse eadem in utroque quoad rationem genericam.

Prob. 3. Moralitas est habitudo actus ad objectum propositum ut conveniens, aut disconveniens regulæ morum; sed illa habitudo non potest esse aliquid reale physicum; ergo. Prob. min. nihil dependens in esse ab intellectu potest esse reale physicum, sed illa habitudo pendet ab operatione intellectus; nam pendet à propositione objecti sub illa cōvenientia, aut disconvenientia; imò & ipsæ regulæ morum, v. g. prohibitiones, & præcepta sunt entia rationis, non quidem fictitia, ut chimæræ, sed opera mentis: unde idem actus, qui de se esset bonus, vel indifferens, fit malus ex prohibitione, ut si missam celebrares in Ecclesia interdicta, vel si calcares paleas credens in esse peccatum, quia plures ibi efformantur cruces. Cùm ergo ratio fundamentalis totius moralitatis in illis casibus sit ens rationis, illa moralitas nequit esse quid reale physicum.

Prob. 3. p. 1. Quia non potest meliùs explicari, quid sit illa entitas accidentalis, per quam actus dicitur moralis, (1) & bonus, aut malus, quàm si dicas eam esse *ens aliquod rationis materiale consistens in denominatione extrinseca in actu, & quæ relinquitur ex illis omnibus concurrentibus:* nam bonitas moralis actus *est relatio conformitatis ejus ad rectam rationem plenè dictantem de circumstantiis omnibus debitis, &c.* ergo tota moralitas formalis nihil est aliud, quàm secunda quædam intentio resultans in entita-

(1) 1. d. 17. q. 2. O. & P. vel q. 2. n. 3.

te physica actus ex cognitionibus objectorum, ac circumstantiarum quoad bonitatem, & malitiam ex dictaminibus rectæ rationis, quibus si conformes sunt actus, habent moralitatem bonitatis, malitiæ verò, si non sint conformes.

Prob. 2. Denominatio extrinseca resultans ex terminatione alicujus actus vitalis dicitur ens quoddam rationis, seu intentionale, ut suppono ex dictis in Logica, sed moralitas in actibus humanis aliud nihil est, quàm talis denominatio; ergo moralitas nihil aliud est formaliter, quàm esse intentionale, seu rationis, &c. Prob. min. actum esse moralem, seu honestum, aut turpem, bonum, aut malum nihil aliud est, quàm procedere à dictamine rationis, & deliberatè & à potentia libera circa objectum aliquod honestum, vel turpe in talibus circumstantiis, sed tale dictamen, & deliberatio, & libertas præcisè nihil ponunt intrinsecum in actibus voluntatis, sed puras denominationes relictas ex illis operationibus intellectus, & voluntatis, ergo &c. Moralitas ergo est id, ex quo sumimus occasionem concipiendi relationem actualem convenientiæ, vel disconvenientiæ, & illud fundamentum est esse intentionale derelictum ex actibus intellectus, & voluntatis, scilicet advertentiæ, dictaminis, ac deliberationis ad objectum, & legem, ac circumstantias, &c.

Confir. Moralitas inest actibus humanis, sicut in aliis rebus, v. g. in pretiis rerum venalium, in signis ad placitum, in contractibus dominio, servitute, &c. nam esse servum, aut dominum, valere tanti, vel tanti in moneta, &c. nihil est aliud in illis hominibus, rebus, & metallis, nisi denominatio extrinseca derelicta ex voluntate hominum, vel aliis actibus præteritis, in servo tota ratio servitutis nihil reale intrinsecum ponit in homine, sed denominationem relictam ex actu, quo dominus ipsum emit, aut cepit in bello justo; valor formalis in moneta, & significatio vini vendibilis in hedera appensa foribus domus nihil physicum est in entitate metalli, aut hederæ, & figura, & forma, ac positione, præter denominationem relictam ex voluntate Principis statuentis illum valorem, vel hominum, qui ab initio voluerunt, ut hedera sic appensa significaret ibi adesse

se

ſe vinum vendibile, ergo ſicut ex natura rei non reſultant relationes domini, & ſervi inter duos homines, nec valoris in moneta, nec vendibilitatis inter vinum, & hederam, ita nec moralitatis, ſeu bonitatis, aut malitiæ in phyſica entitate actuum ex natura rei, ſed ex actibus voluntatis in legiſlatore, qui ſtatuit eos ſic fieri debere, ut ſint boni, & ex actibus ipſius hominis advertentis ad legem, ad objectum, & ad circumſtantias, ita ut variata cognitione in agente, actuum moralitas varietur, ſicut variata voluntate in ſuperiore, eadem actio, quæ mox erat bona, modò fit mala; Miſſa ante interdictum bene in Eccleſia celebrabatur, non verò poſt. Moralitas ergo dicitur ens rationis, ſeu quid intentionale, ſicut diximus de ſecundis intentionibus, & de univerſalibus non autem in ſenſu rigoroſo, ſicut dici ſolet de entibus fictitiis, & Chimæricis.

Objic. 1. Actus à parte rei eſt bonus, vel malus moraliter; ergo moralitas eſt quid reale.

Reſpondeo diſt. ant. dicitur moraliter bonus extrinſecè, ſicut paries dicitur viſus, conc. ant. intrinſecè, neg. ant. ſicut ergo à parte rei paries dicitur viſus, & hæc denominatio nihil reale intrinſecum importat in pariete, ita actus voluntatis dicitur bonus, & hoc nihil intrinſecum reale, ac phyſicum dicit in ipſa entitate actus, ſed ſolum denominationem petitam ex directione intellectus, & libertate voluntatis, quam ipſe terminat, & à quibus dicitur regulatus, & volitus.

Inſt. Non poteſt actus dici verè, & realiter bonus, niſi per bonitatem inhærentem ipſi; ergo non dicitur bonus, nec moralis per denominationem extrinſecam, quod enim ſic denominamus, ſupponit fictionem ex parte noſtra.

Reſp. neg. ant. patet enim ex dictis in Logica, quòd denominationes extrinſecæ non important ullam fictionem, ſaltem neceſſariò; unde actuum denominari bonum, & moralem, id verè dicitur, & à parte rei; ſignificat enim, actum illum eſſe verè directum per rectum dictamen, & liberè elicitum, vel imperatum juxta regulas rectæ rationis, licèt nihil intrinſecum ponat in eo talis denominatio, ſicut de pariete viſo, quia verè, & à parte rei terminat viſionem.

Objic.

Objic. 2. Actus bonus, & malus à parte rei opponuntur, unus est laudabilis, & meritorius, alter est vituperabilis, & demeritorius, &c. ergo bonitas, & malitia sunt quid reale physicum. Prob. conf. non possunt realiter opponi, nisi per formalitates reales.

Resp. dist. ant. Opponuntur in genere moris, seu moraliter, conc. ant. physicè, & in genere naturæ, neg. ant. comestio carnis prohibita, & non prohibita vel ex ignorantia invincibili prohibitionis sunt ejusdem speciei in genere entis, & naturæ, & totam moralitatem, & oppositionem bonitatis, & indifferentiæ, vel malitiæ sumunt ab extrinseco, & sic nihil reale intrinsecum habent, quo opponantur, sed ex puro respectu, seu denominatione extrinseca diversæ terminationis dictaminis, vel advertentiæ ex parte intellectus, aut libertatis ex parte voluntatis.

Inst. Actus malus puniretur pœnis, & præmiaretur bonis physicis propter entia rationis, sed hoc est absurdum; ergo &c. Prob. seq. puniretur propter malitiam, & præmiaretur propter bonitatem; sed hæc essent entia rationis; ergo &c.

Resp. neg. seq. maj. & min. prob. nam, ut diximus, malitia, & bonitas non sunt entia rationis formaliter, sed materialiter: sunt denominationes extrinsecæ, sed veræ, & a parte rei volitæ, nec id magis repugnat in hoc sensu, quàm quòd puniantur pœnis positivis, & physicis propter privationes, nam ex multorum sententia formalis malitia peccati consistit in privatione rectitudinis.

Inst. 2. Relatio resultans ex natura rei inter extrema realiter distincta est realis, & intrinsecùs adveniens, sed moralitas in actibus humanis sic risultat; ergo realis est, non rationis. Prob. min. ex Scoto, qui docet, quòd impossibile est, actum aliquem poni in esse, & rationem rectam inesse, quin ex natura extremorum consequatur in actu talis conformitas ad rationem rectam; ergo moralitas consistit in relatione reali intrinsecùs adveniente, etiam ex Scoto, non autem in relatione rationis.

Resp. dist. maj. Si rationes fundandi, & terminandi, & ipsa extrema sint entitates reales, & intrinsecæ in extremis, conc. majorem; si rationes fundandi, & terminandi sint entia intentionalia tantùm, & non

ſint intrinſecæ in omnibus extremis, neg. maj. & min. Nam regula, ſeu recta ratio, & deliberatio, quæ ſunt fundamenta conformitatis non ſunt quid reale phyſicum, ſed intentionale, & quamvis eſſent, nihil ponerent reale in actu regulato præter entitatem phyſicam ejus, & denominationem extrinſecam regulati ad regulas, & ad regulantem, in qua denominatione fundatur relatio conformitatis. Ad prob. ex Scoto neg. conſeq. nam. ſicut poſito actu ſic regulato reſultat denominatio regulati, & hoc ex natura rei, & neceſſariò, ita & relatio conformitatis, quæ in illa denominatione fundatur. Quòd autem illa relatio ſic reſultans dicatur intrinſecùs adveniens, ut volunt ejus commentatores Lichetus, & Poncius, aut extrinſecùs adveniens, ut putat Maſtrius, quia non reſultat ex præciſa poſitione regulæ, & actus, ſed ex quaſi approximatione, ſeu applicatione regulæ ad actum per dictamen intellectus, hoc inquam, parum refert ad intentum Doctoris; ſemper enim ſequitur, quòd moralitas non eſt entitas abſoluta, quæ habeat principium activum proprium, ſicut nec aliquis reſpectus.

Objic. 3. Actus dicitur intrinſecè bonus, & malus; ergo habet intrinſecum ordinem ad regulas morum, ergo moralitas non eſt denominatio extrinſeca. Prob. ant. ratio ſpecificativa actus eſt illi intrinſeca; ſed bonitas, & malitia ſunt rationes ſpecificativæ actuum; ergo ſunt illis intrinſecæ, & dicunt intrinſecum ordinem ad regulas.

Reſp. neg. abſolutè ant. & diſt. maj. prob. eſt intrinſeca formaliter, & reduplicativè ut eſt talis, conc. maj. materialiter, & ſpecificativè, neg. maj. & conſ. actus bonus ut bonus, & moralis ut moralis, & malus ut malus includit intrinſecè bonitatem, aut malitiam, ſed ſpecificativè ſumptus: malitia, & bonitas, & per conſequens moralitas illi accidunt ab extrinſeca regulatione, & libertate, quæ ſunt in intellectu, & voluntate. Sic ſignificatio in vocibus dici poſſet illis intrinſeca, & valor in pecunia, &c. Ita eſt de omnibus entibus moralibus.

Inſt. 1. Denominatio, quæ in uno extremo eſt extrinſeca, debet eſſe intrinſeca in alio; eſt enim à forma, quæ non poteſt exiſtere niſi in aliquo ſubjecto,

ſed

ſed moralitas bonitatis non eſt in ullo ſubjecto intrinſecè, ſi non ſit in actu; ergo vel eſt intrinſeca actui, vel eſt nullibi. Maj. patet de viſione, quæ cùm ſit extrinſecè in pariete, quem denominat viſum, eſt intrinſecè in oculo, quem denominat videntem. Min. prob. quia bonitas, aut malitia non eſt in intellectu, nec in regula, nec in voluntate intrinſecè; ergo vel nullibi eſt, vel eſt in actu.

Reſp. neg. maj. & conſeq. prob. Nam licèt id verum ſit de viſione, & aliquibus aliis formis, non tamen id verum eſt de omnibus; ſufficit ergo ut ſit alicubi aut formaliter, aut cauſaliter, & ſic moralitas eſt in regulis morum, & potentiis, à quibus elicitur actus; ſic ſervitus, & dominium non important formam ullam realem in ſervo, vel domino intrinſecam, ſed puram denominationem relictam ex emptione, vel victoria.

Inſt. 2. Actus moralis ſe habet ad regulas morum, ut menſurabile ad menſuram; ſed ratio menſuræ eſt extrinſeca ipſi menſuræ, & menſurabilitas eſt intrinſeca menſurabili; ergo moralitas eſt intrinſeca actui, & conſiſtit in habitudine ad regulas.

Reſp. diſt. maj. Actus moralis formaliter, & reduplicativè ut moralis, conc. maj. quia ut per cognitionem reflexam cognoſcatur ejus moralitas, debet comparari ad regulas, ut ad menſuram; & ſic menſurabilitas eſt illi intrinſeca, actus moralis materialiter, & ſpecificativè, neg. maj. & conſeq. nam prius eſt, actum eſſe moralem, ac dirigibilem per directionem regularum, quàm menſurabilem. Directio autem pendet, & eſt in regulis formaliter, aut cauſaliter, & in actibus extrinſecè, & cum menſurabilitas ſpectet ad actus, ſicut & ad regulas intentionaliter, & ut in eſſe cognito, non autem in ſuo eſſe entitativo phyſico, ſic patet, quòd hoc etiam ſenſu eſt ſemper aliquid rationis.

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit moralitas, seu actus moralis, an adæquatè dividatur in bonitatem, & malitiam, denique an dentur actus indifferentes morales.

JUxta descriptionem actus humani, & moralis datam in quæstione præcedenti, actus omnes, qui à deliberata voluntate hominis viatoris procedunt, dici possunt morales, & moralitas eorum consistit in allata relatione, quam habent ad sua principia, & regulas, quibus nati sunt conformari. Moralitas autem solet dividi in *bonitatem*, & *malitiam*; & actus morales in *bonos*, & *malos*; & aliqui addunt tertium membrum, scilicet *indifferentiam*, ex qua fiunt actus *neutri*, seu *indifferentes*, & disputamus hic, an illa bimembris divisio sit adæquata, an verò manca, nisi addatur istud tertium; adeo ut admittendi sint actus indifferentes, qui liberi, & verè humani sint, nec tamen positivè boni, nec mali, sed neutri.

Aliæ quædam proponuntur divisiones, sed levioris momenti, v. g. in actus *elicitos*, qui immediatè, & directè à voluntate libera manant, ut volitiones, & nolitiones, & *imperatos*, qui ab ea non manant nisi mediatè, & indirectè, sed eliciuntur ab aliis potentiis tùm internis, tum externis, jussu tamen, seu motu voluntatis, ut attentio intellectus ad quædam objecta; actus plures appetitus sensitivi; & sensuum externorum; imò & sibi ipsi potest imperare.

Rursus alii versantur circa finem, ut *volitio*, seu *amor*, qui est actus appetitionis boni propositi; *intentio*, quæ est voluntas prosequendi tale bonum per media, & *fruitio*, quæ est amor boni propter se, ita ut in eo quiescat, alii circa media, ut *consensus*, quo vult adhibere media proposita per intellectum ad boni consecutionem; & *electio*, qua ex pluribus mediis seligit utiliora, *imperium*, quo sibi, & aliis potentiis imperat executionem, seu usum mediorum, & denique *usus* ipse talium mediorum, ex quo sequitur *consecutio* finis, quæ etiam dicitur *fruitio*: de quibus

bus singulis suo loco dicemus; nunc examinamus actus indifferentes.

Nota autem, quòd moralitas consistit quidem in convenientia, vel disconvenientia ad rationem; sed hæc duplex est *positiva*, seu *rigorosa*, quæ consistit in accessu, vel recessu ad rationem præcipientem, vel prohibentem, aut consulentem, & *negativa*, seu *minus rigorosa*, quæ consistit in accessu, vel recessu à ratione permittente, seu non curante. Prima facit actus bonos, vel malos. 2. *indifferentes*. Non est autem quæstio de actibus non liberis, & purè naturalibus; certum enim est, eos non esse nec bonos, nec malos, sicut nec morales; loquimur de moralibus, & plenè liberis.

Porrò actus humanus considerari potest 1. in *communi*, vel in genere, aut specie, & præcisè ratione objecti sui, non descendendo ad circumstantias singulares, 2. vel *in particulari*, in omnibus suis circumstantiis particularibus, nam quia primaria bonitas, vel malitia venit ab objecto, ideo si objectum sit de se honestum, actus dicitur bonus ex objecto licèt ex aliqua circumstantia possit esse non bonus, v. g. largitio eleemosynæ est actus ex objecto, & in specie bonus, sed ex circumstantia potest esse malus, ut si fiat ex vana gloria, vel animo fornicandi, & similiter aliqui sunt mali ex objecto, ut mendacium, odium Dei, &c. alia verò objecta sunt de se indifferentia; vel quia de se non habent ullam bonitatem, seu honestatem, & convenientiam, nec ullam malitiam, seu turpitudinem, & inconvenientiam, vel quia circa illa nec ratio naturalis, neque lex positiva decernit quidquam, sed vel permittit, vel negligit, & actus ab illis dicitur *indifferens* in *genere*, seu *ex objecto*; sed ex circumstantiis fieri potest bonus, aut malus; si autem actus circa illud maneat sic *indifferens* hic & nunc, & spectatis omnibus circumstantiis, dicetur *indifferens in individuo*, & non solùm quoad speciem; quod accidere posse intelligitur vel *per se*, quando objectum, & ipsæ circumstantiæ sunt indifferentes, vel *per accidens*, quando id contingit vel ex ignorantia invincibili, vel ex opinione probabili. His suppositis.

CON-

CONCLUSIO.

Divisio moralitatis in bonitatem, & malitiam, seu actus moralis in bonum, & malum non est adæquata, quia datur moralitas, seu actus moralis indifferens non solum in specie, sed etiam in individuo. Est communior quoad 1. p. & est Scotistarum, & aliorum quoad 2. contra Thomistas.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Sunt ergo multi actus indifferentes, *non tantum secundum esse, quod habent in specie naturæ, sed etiam secundum esse, quod habent in esse morali, & sunt etiam indifferentes ad bonum meritorium, vel demeritorium, quia unum individuum potest esse tale, & aliud tale. Multi etiam singulares actus eliciti sunt indifferentes, & non solùm actus non humani, de quibus non est sermo, ut fricare barbam, levare festucam, & ejusmodi, quæ procedunt ex sola imaginatione, non ex libero arbitrio impellente, sed etiam de actibus liberè elicitis.*

Prob. 2. quoad 1. partem; Nam si dentur actus morales indifferentes sive in specie, sive in individuo, sequitur evidenter, divisionem actus moralis non esse adæquatam per illa duo membra: dari autem indifferentes mox patebit.

Prob. 2. & 3. p. 1. ex sancto Hieronymo [2] sic scribente ad S. August. *Bonum est continentia, malum luxuria; inter utrumque indifferens ambulare, capitis è naribus excrementa projicere, sputis rheumata jacere, hoc nec bonum, nec malum est, sivè etiam feceris, sivè non feceris, nec justitiam habebis, nec non habebis*; imò & hæc ultima verba idem probant de actibus in individuo. Item ex Nazianzeno. [3] *Quemadmodum quisquis supplicio haud dignus est; non idem statim prædicationem meretur, eodem modo nec qui laude, aut prædicatione dignus non est, idem confestim pœnam meretur*, quod esset falsum, si omnis actus, etiam in individuo, esset bonus, aut malus.

Prob. 4. ex Phil. [4] nam inquit, *Habitus justitiæ generatur ex operibus justis non justè factis*; ergo ex operibus indifferentibus; non enim sunt boni, quia non

[1] *2.d.41.c.n.4.* [2] *Ep.ad Aug.11.*
[3] *Orat.3.con.Jul.* [4] *2.Ethic.*

non sunt justè facti, nec etiam mali, quia non generarent habitum virtutis justitiæ. Quomodo id fieri possit in rigore, ipse viderit.

Prob. 5. ratione. Ut aliquis actus sivè in specie, sivè in singulari sit bonus, aut malus, debet agens videre in eo aliquam bonitatem, vel malitiam ex objecto, vel ex aliqua circumstantia, & velle elicere talem actum ex motivo virtutis, vel alio, cui annexum est peccatum, v. g. voluptatis prohibitæ; sed ut homo liberè aliquid agat, non est necesse, ut in eo videat talem bonitatem, aut malitiam, nec ut ab alterutra moveatur; ergo nec ut actio sit bona, aut mala ex objecto, vel circumstantiis, seu in specie, vel individuo. Maj. est certa in omni sententia. Prob. min. ex adversariis, dantur objecta indifferentia, datur bonitas delectabilis, vel utilis, quæ moraliter honestatem non habet, & possent dari circumstantiæ, in quibus homo posset eam velle ut talem, nec necessitatur eam velle ex alio motivo, ut sputare, comedere, ambulare, tollere festucam; ergo non est necesse, ut quoties agit, videat in objecto, vel circumstantiis ullam bonitatem virtutis, vel vitii. Ant. patebit solutione objectionum.

Dices: actum circa utile, vel delectabile esse etiam honestum, quia est ad utilitatem naturæ, vel jucunditatem.

Contra 1. quia actus non potest esse honestus, & virtuosus, nisi ex objecto, vel circumstantia adsit bonitas honestatis virtutis; sed in bono præcisè utili, vel jucundo nulla est honestas; ergo nec in actu. 2. quia si hoc sufficeret ad bonitatem moralem omnis actus voluntatis ex se, & secundum speciem, imò & in individuo esset bonus; quia voluntas non potest velle nisi bonum, & sic frustra quæreretur, an dentur actus indifferentes?

Prob. specialiter quoad 2. p. de actibus secundum speciem 1. ex Concilio Constantiensi, in quo condemnatur art. 15. Joannis Hus, qui docebat, *nulla esse opera indifferentia*, & hæc damnatio confir. à Martino V. in fine ejusdem Concilii; ergo saltem in specie dantur actus indifferentes.

Dico, *saltem in specie*, & *ex objecto*; nam licèt verba illius hæretici possent intelligi tam in individuo, quàm

quàm in specie, tamen non videtur, quòd Concilium id intellexerit damnare de actibus in individuo, quia multi Doctores Catholici, & piissimi negant dari tales actus.

Prob. 2. Actus ille est indifferens in communi, qui ex objecto non habet, quod sit bonus moraliter, nec malus, sed multi actus id habent; ergo multi sunt indifferentes in communi, seu in genere, seu in specie. Prob. min. objectum, quod ex se non habet conformitatem, nec indecentiam ad rectam rationem, ac regulam morum, non est ex se nec bonum, nec malum moraliter, sed talia sunt multa objecta actuum humanorum; ergo multa sunt de se indifferentia. Prob. min. sputare, fricare barbam, levare festucam, imò & ambulatio, comestio talia sunt de se, ut, nisi ex bona, aut mala intentione fiant, non sint moraliter bona, nec etiam mala.

Prob. 3. p. de indifferentia in individuo 1. certum est, nec id negant Thomistæ, quin homo, qui ex opinione probabili putans deambulationem solius recreationis causa, & sine omni alio fine virtutis esse indifferentem, & eam ut talem vellet, & exerceret, operaretur etiam indifferenter hìc, & nunc, & in particulari; ergo Scotista, qui juxta sua principia (quæ sunt ad minùs probabilia) sic ageret, haberet actus in particulari; & in individuo indifferentes; ergo absolutè loquendo non repugnant tales actus; quia suppono licitum esse operari ex opinione probabili, de quo infra.

Prob. 2. Nam etiam independenter ab hoc dantur actus indifferentes in specie, & ex objecto, ut probatum est; ergo & in individuo. Prob. cons. 1. quia si quid obstaret indifferentiæ individuali, maxime quia tales actus deficerent à recta circumstantia finis, quatenùs homo rationalis debet semper intendere finem virtutis; sed hoc non impedit; ergo nihil. Maj. patet ex præcipuo fundamento adversariorum. Prob. min. 1. quia licèt adesset talis obligatio à parte rei, vel ex lege positiva, non tenetur homo id semper agnoscere, vel cogitare, quoties agit; 2. quia falsò asseritur illa obligatio, nec enim constat ex Scriptura, vel Conciliis, vel Patribus, vel ratione ulla convincenti, ut mox patebit, & ut jam diximus supra.

Ea-

Eadem conſ. prob. 2. Omnis natura ſpecifica petit conſervari in aliquo individuo; ergo ſi dantur actus indifferentes in ſpecie, debent etiam dari in individuo.

Dices, id verum eſſe, ſi indifferentia eſſet poſitiva, ſed cùm ſit tantùm negativa, ſeu præciſiva per ſolam privationem bonitatis, aut malitiæ, non eſt neceſſe, ut in individuo reperiatur ſpecies illa; ſicut ex eo, quod homo ex ſe præſcindit, & indifferens eſt ad albedinem, & nigredinem, aut alium colorem, non oportet, ut detur aliquod individuum humanum ſine albedine, aut nigredine, vel alio colore.

Contra. Objectum actus, quod eſt ſic indifferens in ſuo genere, vel ſpecie, habet aliquod ſingulare, in quo exiſtit; ergo & actus aliquis exiſtere poteſt, qui participet illam indifferentiam ex parte objecti, à quo ipſe ſpecificatur principaliter.

Dices 2. id fieri quidem poſſe, quantum eſt ex parte objecti, ſed non ex parte finis extrinſeci, aut alterius circumſtantiæ, à qua determinabitur ad bonitatem, vel malitiam.

Contra 1. Jam habeo actum ſingularem ex fine intrinſeco objecti eſſe indifferentem, nec eſſe bonum, aut malum, niſi ab extrinſeco, ſcilicet ab aliqua circumſtantia, & ſic per accidens, quod ſufficeret nobis; ſed neque hìc ſiſtimus; nam ſi repugnat actui tendere in tale objectum ſecundum ejus indifferentiā intrinſecam; ergo nullus eſt actus indifferens etiam in ſpecie, ad quid enim talis indifferentia objecti, ſi non poſſit terminare ullum actum?

Contra 2. quia ſine ullo fundamento negatur, quòd cognito illo objecto cum ſua indifferentia ad meritum, vel demeritum non poſſit voluntas, ſaltem pro libero exercitio libertatis ſuæ, velle illud ut tale abſque ulla relatione ad ullum alium finem, aut circumſtantiam extrinſecam; ſed tunc illa volitio erit indifferens hic, & nunc, & in individuo æquæ ac in ſpecie; ergo &c. Prob. maj. illa neceſſitas relationis ad alium finem veniret vel ex parte objecti, vel ex parte actus; non ex parte objecti, nam ex ſe eſt indifferens ad omnem alium finem; alioqui ille finis eſſet intrinſecus ipſi objecto; non etiam ex parte actus, quia non pēdet neceſſariò niſi ab objecto,

&

& in fine, & hic supponitur de se indifferens, & liber.

Prob. denique ex D. Bonaventura, quia sunt multi actus levioris commoditatis naturæ, ut spuere, movere barbam; rheumata purgare, & similes, qui nullam honestatem moralem important, sivè fiant, sivè omittantur, nec prohibentur, nec imperantur; ergo illi, & similes sunt indifferentes, etiam in individuo, & plena deliberatione facti.

Objic. 1. Scotum, qui videtur negare actus indifferentes in genere, & ideò dicitur à multis non sibi constans, quatenùs admittit indifferentes in individuo, & non in specie; imò & incurrere censuram Concilii Constantiensis contra Joan. [1] Hus; do verba ejus. *Triplex est bonitas moralis, 1. dicitur bonitas ex genere; 2. potest dici bonitas virtuosa, sive ex circumstantia. 3. bonitas meritoria, seu gratuita, sive ex acceptatione divina in ordine ad præmium. 1. competit volitioni ex hoc, quod transit super objectum conveniens tali actui secundum dictamen rectæ rationis, & non solùm quia est conveniens tali actui naturaliter, ut soli visioni. Et hæc est 1. bonitas moralis. Huic triplici bonitati opponitur triplex malitia. 1. ex genere, quando scilicet actus, qui tantùm habet bonitatem naturæ, ex quo deberet constitui in genere moris, habet malitiam, quia transit super objectum disconveniens; sic odire transit super Deum. 2. est malitia ex aliqua circumstantia deordinante actum, licèt transeat super objectum conveniens actui secundum rectam rationem, 3. est malitia in demerito. Quælibet istarum malitiarum potest accipi contrariè, vel privativè. Respectu suæ bonitatis, & ut privativè accipitur, tantùm privat suam bonitatem, ut accipitur contrariè, ponitur ultra carentiam illam aliquid repugnans tali bonitati; malitia ex genere contrariè accepta, & privativè convertuntur, & ideò sicut inter privationem, & habitum immediatum non datur medium, ita bonum ex genere, & malum ex genere sunt contraria immediata. Ratio est, quia actus non potest esse, quin transeat super objectum conveniens, vel disconveniens, & ideò necessariò actus bonus ex genere ex objecto convenienti, vel actus malus ex genere ex objecto disconvenienti*; ergo ex Scoto, sicut non datur objectum indifferens, & medium inter conveniens, & disconveniens rectæ rationi, & in genere moris, ita

[1] 2. *d*. 7. F. *n*. 1.

nec

nec actus indifferens in genere, seu ex objecto & id putavit adeo clarum Vulpes noster, ut existimet, nullum dari actum indifferentem in specie.

Resp. tamen, eos, qui sic censent de mente Scoti, [1] non bene ipsum intellexisse. 1. quia ibidem docet, dari actus neutros, seu indifferentes in genere moris, & inter actus virtuosos, & vitiosos; *Potest enim actus aliquis carere circumstantia requisita ad perfectionem actus virtuosi, & tamen non elici cum circumstantia repugnante, quæ redderet actum vitiosum: puta si det eleemosynam pauperi, non ex finis circumstantia, quia non considerat, nec secundum alias circumstantias requisitas ad actum virtuosum: iste quidem actus non est bonus, vel virtuosus moraliter, quia non est circumstantionatus, nec tamen malus contrariè, quia non ordinatur ad finem indebitum*, &c. *Et ita tam in 2. membro, quam in 3. videtur poni actus indifferens, qui licèt sit malus privativè, non tamen contrariè, quia indifferens*, &c. ergo Scotus agnoscit actus indifferentes in genere moris.

2. Si rectè consideretur sensus, quo dicit *Malitia ex genere, & bonitas item ex genere opponuntur contrariè, & privativè, & oppositione immediata*, parum habet difficultatis; nam bonitas illa *ex genere* est convenientia rei cum actu, qua res dicitur conveniens *ex genere*; seu materialiter hoc ipso, quod de se non dedecet rectam rationem: quo sensu non solum objectum positivè bonum, ut Eleemosyna, sed etiam indifferens, ut sputatio, dicitur objectum conveniens, saltem negativè, quia non habet indecentiam positivam moralem; & actus transiens super hoc objectum est etiam bonus, & decens *ex genere*; & quod non est bonum, saltem hac bonitate, est sine dubio malum etiam *ex genere*. Uno verbo, bonum *ex genere* seu objectum conveniens est omne id, circa quod potest haberi actus sine peccato, & secundum rectam rationem; malum verò ex objecto, seu *ex genere* est omne id, circa quod non potest haberi actus secundum rectam rationem, & sine peccato: & inter hæc non datur medium, ex Scoto, & secundum veritatem, nec inter has bonitates admittimus indifferentiam; quod enim non potest fieri licite est sine dubio illicitum,

[1] *Ibid. F. n. 12. & 13.*

tum, & malum; at actus indifferens fieri potest licitè, & secundum rectam rationem, & quod fieri potest licitè, est hoc sensu bonum, sed non bonitate honestatis moralis, ac virtuosæ, per quam sic agens sit laude dignus. Bonum delectabile, & utile sunt hujusmodi, & saltem secundum se, & præcisis circumstantiis, in quibus illorum prosecutio fieret mala, aut bona.

3. Notanda est ratio vocandi hanc bonitatem *ex genere*, quia est *quasi materialis* respectu omnis boni ulterioris in genere moris; nam actus transiens super objectum est quasi formabilis per quamcumque aliam circumstantiam moralem, & ita quasi potentiale non omninò extra genus moris, sicut fuit ipse actus in genere naturæ. Vides, quòd Doctor bonitatem *ex genere* comparat materiæ informi, scilicet quæ est in potentia ad bonitatem honestatis, seu virtutis, quæ est secunda species bonitatis, & meriti, quæ est 3. sicut materia physica est in potentia ad formas, & sicut genus, quod est materia Logica, aut Metaphysica, est in potentia ad differentias. Quid ergo mirum, si inter hanc bonitatem, & malitiam oppositam non admittat medium; quod enim non est bonum saltem materialiter, & in potentia ad bonitatem moralem, est sine dubio malum & privativè, & contrariè.

Hinc respondeo in forma: Scotus negat actus indifferentes inter bonos, & malos ex genere, seu ex objecto, dist. ant. loquendo de bonitate impropria, & latè sumpta, *potentiali*, seu *materiali*, aut *negativa*, & de malitia illis opposita, & rigorosa, conc. ant. de bonitate formali honestatis, & moralitatis actualis, neg. ant. & conf. quæ responsio patet ex verbis Scoti, nec gravabit Tyronem hujus objectionis, & responsionis prolixitas insolita; quia debuit vindicari subtilis præceptor ab injuria, quam illi faciunt non solum alieni, sed etiam aliqui ex suis.

Objic. 2. Inter privativè opposita non datur medium; sed bonum, & malum ex objecto privativè opponuntur, ex Scoto citato: ergo non datur inter illa medium; seu indifferens. Maj. prob. ex eodem: sicut inter privationem, & habitum immediatum non datur medium, ita bonum ex genere, & malum ex genere sunt contraria immediata: hæc ob-

jectio militat contra utramque partem.

Resp. dist. maj. non datur medium, quando subjectum est proprium susceptibile formæ, conc. maj. si non sit susceptibile, neg. maj. nam videns, & cęcus in homine opponuntur privativè, quia homo est natus ad visionem, non verò in fele ante octavum diem à nativitate; quia ante illud tempus non est aptus videre; ideo per octo illas dies non est nec cęcus, nec videns, sed est non videns; ad min. dico bonum, & malum *ex genere* non solum privativè, sed etiam contrariè opponuntur, quia actus circa tale objectum non est malus, nisi ex aliqua circumstantia illi repugnante positivè; v.g. sputatio de se non est mala, nisi fiat ex malo fine, vel alia circumstantia indebita, & sic erit mala privativè, & contrariè. Concessa ergo min. dist. cons. inter bonum purè *ex genere* in sensu Scoti, non est bonum potentiale, & propriè indifferens, conc. cons. inter bonum positivè honestum morale, & malum oppositum, neg. cons. & ratio patet ex dictis; nam illa bonitas *ex genere*, seu potentialis, aut materialis in sensu explicato consistit in eo, quòd res illa possit fieri sine peccato, imo & virtuosè, estque capax ulterioris bonitatis moralis, & certum est, quòd objectum, quod non habet ad minùs illam bonitatem, est malum; nec datur in hoc medium; sed bonitas, & malitia, inter quas asserimus medium, & indifferentiam, sunt bonitas formalis, & positiva honestatis, & malitia similiter formalis opposita: hæc, ut puto, est germana mens Scoti, & in hoc solidiùs philosophatur, quàm alii, qui non sic distinguunt bonitatem, & malitiam *ex genere*, seu ex objecto.

Inst. 1. Inter contradictoria non datur medium; sed bonitas, & malitia moralis sunt contradictoria: ergo non datur indifferentia, quæ sit media inter illas. Prob. min. bonitas est convenientia, & malitia est non convenientia; objectum bonum est conveniens rectæ rationi, seu actus juxta rectam rationem, & malum est non conveniens; sed conveniens ad rectam rationem, & non conveniens ad eandem sunt contradictoria; ergo bonum, & malum opponuntur contradictoriè,

Resp. neg. min. & dist. maj. prob. malum est discon-

ve-

veniens rectæ rationi præcipienti, & consulenti, atque etiam permittenti, bonum verò ut sic est similiter conforme rationi eidem, con. maj. & in hoc sensu opponuntur negativè, & privativè, conc. min. bonum omne tam proprium, quàm improprium, tam virtuosum, & honestum, & positivum, quàm negativum, & materiale, neg. maj. & conf. Nam omne quidem malum, saltem rigorosum, dicit privationem conformitatis ad rectam rationem præcipientem, aut permittentem; sed non ita est de bono nam bonum positivum formale, & rigorosum, seu virtuosum, seu honestum dicit convenientiam ad regulam positivè præcipientem, aut consulentem; materiale verò, seu negativum, & privativum dicit tantùm conformitatem ad rationem negativam, id est permittentem, seu non curantem; & talia objecta, & actus circa illa dicimus bona negativè, & impropriè, & similiter non mala etiam positivè, & sic indifferentia.

Inst 2. Hæc objecta, & actus sunt capacia bonitatis, & malitiæ; ergo sunt bona, aut mala in genere moris: ergo non sunt indifferentia.

Resp. dist. ant. sunt capacia bonitatis, aut malitiæ ex aliqua circumstantia extrinseca, quæ influat decentiam, aut indecentiam, con. ant. ex se, seu ex objecto, neg. ant. & conf. v.g. si levares festucam ex superstitione, si sputares ex contemptu, isti actus ex fine essent mali; si verò eadem faceres ex motivo honesto, essent honesti, sed semper levatio festucæ, & sputatio ex se sunt indifferentes ad utrumque; nec enim omne, quod est referibile in finem honestum, vel inhonestum; est hoc ipso inhonestum, vel honestum, sed in potentia ad alterutrum; sicut quia paries est in potentia ad albedinem, vel nigredinem, non sequitur, quòd sit albus, aut niger.

Inst. Omne, quod est volibile ab homine ratione utente, est bonum, saltem ut tale: sed omne bonum homini ut ratione utenti est honestum; ergo omne sic volibile est honestum; atqui objectum, quod dicimus indifferens, est volibile ab homine ratione utente, & de facto affert aliquod bonum naturæ rationali; ergo non est indifferens, sed bonum.

Resp. dist. maj. aliqua bonitate, saltem negativa,

& permissiva, conc. maj. & min. bonitate positiva, propria, & virtuosa, neg. maj. & min. & conf. subsumpti, quia ad volendum aliquid sufficit simplex permissio objecti, vel actus circa illud.

Objic.3. Inter verum, & falsum respectu actuum intellectus non datur objectum indifferens; ergo neque inter bonum, & malum respectu voluntatis; ut enim se habent illa ad intellectum; sic ista ad voluntatem. Prob. ant. omnis propositio est determinatè vera, aut falsa respectu intellectus.

Resp.1. neg. conf. & rationem ejus: nam lata est disparitas inter veritatem respectu intellectus; quia non est quid morale, nec dependet ab ullis conditionibus, vel circumstantiis, ut bonitas.

Resp.2.neg.ant. nam præciso Dei decreto circa futuritionem rerum propositio circa illam non est vera, nec falsa determinatè, sed neutra, & indifferens ad veritatem, aut falsitatem; quod à fortiori dici potest de bonitate, & malitia objectiva, & in specie.

Objic. 4. Actus moralis dicit ordinem ad rectam rationem, per quam est regulabilis; sed actus ex objecto indifferens non dicit talem ordinem; ergo non est moralis; ergo moralitas non patitur medium inter bonum, & malum etiam objectivè. Maj. patet ex definitione actus moralis. Prob. min. ratio recta nihil dictat, nec disponit circa indifferentiam.

Resp. neg. min. & prob. ejus; Nam recta ratio permittit actum circa objectum indifferens, sicut præcipit, aut suadet bonum honestum, & vetat indecens. Ideò S. Thomas assignat tres actus legis, scilicet *præceptum*, *prohibitionem*, & *permissionem*, & quæ ratio permittit, possunt fieri, vel omitti etiam secundum rectam rationem, & qui sic agit, non meretur laudem, aut vituperium; imò aliquatenùs benè agit, quatenùs utitur jure suo, nec transgreditur legem ullam.

Objic. contra 3. p. de indifferentia singulari 1. ex Scriptura; nam jubemur [1] *omnia in Dei gloriam facere*. Et, [2] *Reddetur ratio de omni verbo otioso*, sed actus indifferens non est in gloriam Dei, alioqui esset bonus; est saltem otiosus, & inutilis; ergo ex Scriptura non datur actus moralis indifferens in individuo.

Resp.

[1] 1. *Cor.*10. [2] *Matth.* 12.

Resp. ut jam diximus disp. præcedenti 1. locum non esse præceptum, seu Consilium, & pro 2. neg. cons. nam præcisè ex eo quod reddenda sit ratio de verbo otioso, non sequitur, illud esse malum; reddetur enim ratio tam de bonis, quàm de malis juxta illud ex Symbolo S. Athanasii, *Reddituri sunt de factis propriis rationem*, &c. revera autem Sancti Patres, & alii interpretes meliores censent, per *verbum otiosum* hic intelligi nocivum, & malum, quod mendacio injuinatur: *Quod ad calumniam dicitur*, inquit Chrysostomus, [1] nec actus indifferens est propriè otiosus, seu inutilis, *aut si in se inutilis, non inutiliter fit*, inquiebat S. Bern. sed ob aliquale solatium.

Objic. 2. Homo naturali præcepto debet agere juxta rectam rationem, quia rationalis est, & ut talis debet agere; id enim exigit dignitas naturæ rationalis; ergo omnis actus humanus, qui non est juxta rectam rationem, est malus, qui verò est juxta rationem, est bonus; ergo nullus est indifferens.

Resp. dist. maj. Juxta rationem, ita ut nihil faciat contrarium, conc. maj. & neg. min. ita ut teneatur omnia referre in finem honestum, neg. maj. & cons. nullibi enim constat de tali obligatione, modò nihil faciat, quod sit positivè dedecens rationem. Ratio naturalis dictat omnia dirigere in proprios fines; & sic contra rationem nihil facit, cùm permissa, & indifferentia agit ut talia.

Inst. Homo ut rationalis debet semper agere ob finem proprium, & dignum creatura rationali, & si non facit, peccat: sed ille finis est honestus; ergo debet semper agere ob finem honestum. Prob. maj. quia in hoc distinguitur à bruto, cum agit ob finem rationis; ergo, &c.

Resp. dist. maj. Ob finem proprium positivè, aut saltem negativè, conc. maj. ob finem proprium positivè, qui sit honestas virtutis, neg. maj. & min. potest enim aliquando agere ex fine delectationis, & libertatis saltem in levibus, & circa objecta indifferētia, & permissa, & sic nihil agit contra rationem, sed potiùs juxta rationem, saltem materialiter, & negativè.

Objic. 3. Omnis actus humanus debet esse propter finem aliquem mediatè, vel immediatè; ergo propter

[1] *Hom. 43. in Matth.*

bonum honestum, vel delectabile: nam utile ut tale non finalizat; sed actus, qui est propter delectabile, est malus, & qui est propter honestum, est bonus; ergo omnis actus humanus est positivè bonus, aut malus.

Resp. 1. hoc argumentum retorqueri posse contra adversarios illos, qui admittunt actus indefferentes in genere, vel specie.

Resp. 2. neg. subsumptum, scilicet actum circa delectabile esse malum præcisè ut delectabile, & nisi ex aliqua circumstantia vitietur; quis enim diceret, eum peccare, qui amaret musicam, quæ recreat auditum, aut pulchritudinem, aut lucem, quia placet oculis. Dico, *nisi ex aliqua circumstantia extrinseca vitietur*, sed id non semper necessariò accidit.

Objic. 4. Darentur actus humani, quos non magis curaret Deus, quàm actus brutorum; non enim magis deberet curare indifferentes, quàm animales, juxta illud Apostoli, [1] *Numquid de bobus cura est Deo?* sed consequens est absurdum; ergo & absurdum est asserere actus humanos indifferentes.

Resp. neg. maj. & rationem ejus: nam sicut prudentia humana debet curare actus indifferentes, ne fiant mali, sed maneant intra fines indifferentiæ, aut eleventur ad altiorem finem; ita & Deus cum proportione. Præterea illud argumentum facit contra illos, qui admittunt actus indifferentes per accidens, v. g. ex opinione probabili.

Inst. Si darentur tales actus, possent per illos generari habitus etiam indifferentes; sed hoc est contra experentiam, & Arist. qui dicit, quòd habitus omnes voluntatis sunt virtutes, aut vitia; ergo non dantur.

Resp. 1. retorqueri posse hoc argumentum contra admittentes indifferentiam ex objecto: nam actus circa illa objecta ex principiis suis intrinsecis specificantur essentialiter ab illis, nec differunt à bonis, vel malis, nisi per circumstantias extrinsecas, v. g. ex fine. Per mendacia ex intentione furandi contrahitur habitus mentiendi, etiam ex intentione fornicandi; & sic de aliis.

Resp. 2. neg. min. Nihil enim vetat, quin per actus fricandi barbam, aut levandi festucas generentur habitus agendi similia.

Objic.

[1] 1. *Cor.* 9.

Objic.5. In omni actu deliberato voluntas sequitur dictamen rationis, vel non sequitur; si sequitur, benè agit; id enim semper dictat ratio; si non sequitur, malè agit; ergo inter actum malum, & bonum nullus est medius.

Resp. neg.conf. Nam sicut ratio dictat, quòd fricare barbam, aut levare festucam est indifferens, & permissum; ita voluntas conformando se illi dictamini agit indifferenter: præterea hoc argumentum valeret etiam contra actus indifferentes in specie.

Objic. denique SS. Patres: nam inquit August. (1) *Mirum si voluntas possit in medio quodam consistere, ut nec mala, nec bona sit. Aut enim justum diligimus, & bona est; aut justum non diligimus, & bona non est. Quis autem dubitet dicere, voluntatem non diligentem justitiam non modo malam esse, sed etiam pessimam voluntatem*. Et clariùs. *Cavendum est, ne, sicut Philosophi, quædam facta hominum media dicamus inter rectè factum, & peccatum*; ergo ex Aug. nullus datur actus indifferens, seu medius inter bonum, & malum.

Resp. neg. conf. Nec enim ibi August. loquitur ad propositum. In 1. loquitur de voluntate, cui proponeretur justitia, & bonum graviter obligans, vel in communi, & quod nullo modo diligeret, & tunc pessimam esse, quia ab omni bono esset penitùs aversa. Quis enim diceret, voluntatem esse pessimam, cui opponitur emunctio narium propter sanitatem, aut munditiem; & hoc non faceret propter Deum? An potuit somniare August. Ne in omnibus quidem peccatis est pessima; alioqui nullum daretur peccatum leve, quod est hæreticum. Loquitur etiam de voluntate habitualiter, quæ nullo modo inclinaretur ad justitiam, non verò de aliquo actu particulari voluntatis. In 2. loco loquitur occasione implendi præcepti, quod urget; unde fatetur, ceræmonias aliquas legem, qua præcipiebantur, non fuisse bonas, nec malas, sed indifferentes; ergo potiùs nobis favet.

Constat igitur 1. divisionem actus humani in bonum, & malum positivè non esse adæquatam: dantur enim actus medii, seu indifferentes, qui nec positive sunt boni, saltem bonitate virtutis, nec mali,

(1) 2. de peccat.mer.12.

sed neutri, quamvis liberi, ac deliberati, & hoc non solùm ex objectis suis in genere, aut specie, sed etiam ex circumstantiis, & in particulari.

Constat 2. quòd dantur actus indifferentes non solùm in genere moris, sed ratione etiam meriti, vel demeriti; nam cùm actus non possit esse meritorius, nisi sit bonus positivè, nec demeritorius, nisi sit malus etiam formaliter, & in genere moris, sequitur, quòd si dentur actus indifferentes in genere moris, à fortiori dantur in genere meriti; & id apertè docet Scotus [1] cit. *Sunt ergo multi actus indifferentes non solum secundum esse, quod habent in specie naturæ, sed etiam secundum esse, quod habent in esse morali, & sunt etiam indifferentes ad bonum meritorium, & malum demeritorium*, &c. imò etiam si non admitteremus indifferentes in genere moris, adhuc essent admittendi in genere meriti; quia plus requiritur ad meritum, quàm ad bonum morale; & cùm non omnia opera infidelium, vel peccatorum sint peccata, & tamen non sint meritoria, quia ad meritum requiritur status gratiæ sanctificantis, & charitatis, sequitur, quòd illa in genere meriti rigorosi sunt indifferentia. De hoc aliàs.

QUÆSTIO III.

Quænam requirantur ad moralitatem ex parte intellectus.

DIximus, actum humanum eum dici, qui ex libera, & deliberata voluntate procedit, & quod moralitas importat ex parte intellectus cognitionem bonitatis, aut malitiæ actus; nam ex Scoto, [2] *homo non agit humanè, nisi intelligendo illud, quod est ad finem*, scilicet media, *& illud, propter quod agit*, scilicet finem, & illud intelligere est deliberare; & docuimus, aliquam cognitionem objecti prærequiri ad hoc, ut voluntas in illud feratur per volitionem, aut nolitionem, quæ cognitio se habet ad actus voluntatis ut pure conditio approximans, seu applicans objectum ad potentiam: unde circumfertur illud axioma, *Nihil volitum quin præcognitum*. Dico, aliqua

[1] *Ibid. C. n. 4.* [2] 7. 4. d. 14. q. 2.

liqua cognitio; nam absolutè ad actum amoris, vel odii sufficit cognitio quæcumque, v. g. simplex apprehensio, sed ad actum plenè deliberatum, qualis est actus humanus, seu moralis, requiri videtur cognitio judicativa de bonitate, vel malitia objecti, & actus circa ipsum.

Diximus, quòd voluntas non necessitatur se conformare illi dictamini, & sic defectus, seu malitia est irregularitas in voluntate, & non semper arguit defectum in intellectu; illa quippè videt per intellectum bona, & meliora, & pro libertate sua sequitur deteriora; unde conclusimus, quòd non determinatur in actibus suis per judicium ultimum practicum intellectus, sed tamen illud judicium præcedit, & requiritur ad moralitatem. Profectò si actus voluntatis non est liber, nisi præcedat cognitio, ita etiam neque erit moralis; quia libertas est essentialis actui morali formaliter, & reduplicative, ut moralis est.

Diximus etiam, quomodo libertas non est in intellectu formaliter, neque radicaliter, nisi quatenus voluntas exercere non potest suam libertatem *contrarietatis*, & *contradictionis*, nisi præcedat cognitio, & judicium intellectus de bonitate, & malitia, vel indifferentia objecti, & actus circa illud in suis circumstantiis: sed, ut mox dicebamus, illud judicium, quale cunque sit, non prædeterminat voluntatem sic, quin saltem possit omittere actum sibi propositum etiam practicè ab intellectu.

Diximus etiam, cognitionem, seu judicium intellectus circa agibilia duplex esse, scilicet *speculativum*, quod consistit in simplici cognitione, ac judicio rei agibilis, seu bonitatis, vel malitiæ, seu amabilitatis, seu honestatis virtutis, & odibilitatis, seu turpitudinis vitii, & *practicum*, quod dictat honestatem, seu virtutem esse amandum, & turpitudinem, seu vitium esse fugiendum: rursus istud subdividitur in *practicum simpliciter*, quod dictat sic in generali, quid agendum, amandum, & fugiendum in objectis: v. g. *virtus est amanda*, *vitium fugiendum*; & *practicè practicum*, seu *ultimum*, quod dictat in particulari de singulis actibus attentis omnibus circumstantiis: v. g. hic & nunc orandum, hodie jejunandum, &c. Et hoc dicitur ultimum; quia immediatè ad illud se-

quitur determinatio voluntatis, quæ vult, aut non vult orare, aut jejunare. Denique sunt alii actus *eliciti*, seu *directi*, alii *imperati*, alii ex utrisque participant, & ideò datur in anima actus, qui dicitur *imperium*, quatenùs per illum actum sibi, aut aliis facultatibus præcipit usum, & executionem alicujus operationis circa objecta; v. g. cùm voluntas sibi imperat efficaciter actum amoris Dei hic, & nunc; aut manibus aliquem motum; aut intellectui aliquam considerationem, aut studium; illi, quos sibi ipsi imperat, de utroque participant, scilicet de elicitis, & de imperatis: nam ab ipsâmet imperante eliciuntur; alii verò, quos imperant intellectui, aut facultatibus tam internis, quam externis, sunt simpliciter imperati. Actus autem, quo jubentur, dicitur *imperium*: hi autem posteriores non sunt in se liberi, quia nec intellectus, nec illæ aliæ facultates sunt liberæ; sunt ergo liberi extrinsecè, & à libertate imperii, seu voluntatis liberè imperantis; priores verò sunt utrinque liberi; quia scilicet & liberè imperantur, & liberè exercentur.

Porrò circa hos actus solet disputari, an imperium sit actus intellectus, an voluntatis, & in quo consistat. Item an per aliquos ex illis judiciis ex parte intellectus voluntatem determinet ad agendum, & an influat physicè in actus liberos ejusdem. Duas posteriores quæstiones decidimus negativè suo loco. Restat prima.

CONCLUSIO

Ad actum moralem non requiritur aliquod imperium ex parte intellectus, & si adest, non est actus intellectus, sed voluntatis: nec est actus distinctus à volitione efficaci finis, & electione mediorum. Ita Scotistæ cum D. Bonaventura, & aliis contra Thomistas, & alios, qui volunt adesse imperium, & illud esse actum intellectus.

Prob. 1. p. 1. ex Scoto, [1] & SS. Patribus, qui docent, voluntatem esse nobiliorem intellectu, quia hæc illi imperat. *Voluntas imperat intellectui; ergo voluntas est causa efficiens æquivoca intellectionis.* Et con-

[1] 4.d.49.q.4. n.16.

confir. per D. Anselmum, qui docet, quod *voluntas movet se contra judicium aliarum potentiarum*, & quòd ipsa *movet omnes alias secundum imperium suum*. Et ex Aug. qui dicit, quòd *voluntas utitur aliis omnibus potentiis*; usus autem sequitur imperium: quod superiùs dixerat etiam positivè: [1] *Ille actus est actus voluntatis, cujus est imperare intellectui, & voluntati, & hoc imperio pertinente ad irascibilem, & potentiam aliquam habentem aliquid simile virtuti irascibili*, &c.

Prob. 2. magis specialiter ex SS. PP. nam Aug. [2] voluntatem Dei vocat legem. *In cœlesti republica, ubi Dei voluntas lex est*: & explicans illud, [3] *Fiat voluntas tua*, ait, *Quomodo menti nostræ placet tua jussio, sic ei consentiat caro nostra*. Jussio, lex, præceptum, imperium, idem sunt, ergo si illa ex August. sunt voluntatis, ita & illud.

Prob. 3. ratione Scoti: quia voluntas imperat intellectui, non iste illi, quæ ideò dicitur Imperatrix, & Regina in Regno animæ. Unde sic argumentor ex Fabro[4] nostro: Actus est illius potentiæ, à qua exercetur: sed actus imperii exercetur à voluntate, non ab intellectu; ergo imperium est actus voluntatis, non verò intellectus. Prob. min. imperium formaliter, & secundum substantiam est actus obligans inferioris conscientiam ad obediendum superiori: sed actus formaliter obligatorius non est actus intellectus, sed voluntatis; ergo imperium formaliter non est actus intellectus, sed voluntatis. Prob. maj. præcisa virtute obligandi, ab imperio, vel lege tollitur formalis ratio imperii, seu legis; præceptum enim, quod non obligat, non est præceptum, nisi nomine, & abusivè: ideo imperium competit soli superiori, non æquali, vel inferiori: & in hoc differt à consilio, ideò licèt intellectus intimet mihi volũtatem alterius, quàm superioris, non erit præceptum, sed simplex locutio, nec inducit obligationem obedientiæ. Imò nec quęlibet intimatio voluntatis superioris est imperium, nec præceptum, sed illa sola, quæ obligat me ad parendum. Quòd autem sola voluntas obliget, videtur concedi ab omnibus; ejus enim solius est decernere.

[1] *d.14.q.2.G.n.5.* [2] 2. *de civit.*
[3] *c.19. & hom.42.* [4] *de Pænit. l.9.n.188.*

Prob.4. & ſimul confir. præcedens. Actus imperii eſt liber, non autem neceſſarius; ſed actus intellectus non eſt in ſe liber, ſed neceſſarius, & naturalis, ut patet ex dictis aliàs, id competit ſolis actibus voluntatis, ergo imperium non eſt actus intellectus, ſed voluntatis. Prob. maj. actus imperandi debet eſſe in poteſtate imperantis, qui velit hoc, & non illud, hoc, vel illo modo, & qui in præceptis ſequitur regulas rectæ rationis, dicitur rectè imperare, & hoc imputatur ad meritum, vel demeritum; ergo imperium eſt actus liber, & in poteſtate imperantis; actus autem intellectus non eſt in ſe liber. Dico, *in ſe*; quia poteſt eſſe liber ex imperio voluntatis, quæ libera eſt.

Prob.5. Si imperium eſſet actus intellectus, maximè pertineret ad 2. operationem, quæ eſt judicium; ſed judicium non eſt imperium; ergo nec ullus actus intellectus, maj. patet, non enim eſt apprehenſio ſimplex, nec diſcurſus; illa nihil affirmat, aut negat, & iſte ſolum aſſerit convenientiam unius judicii, vel termini cum aliis; & imperium eſt potiùs conſequens diſcurſum, & concluſionem prudentiæ, ac Syllogiſmi practici. Prob. min. judicium enim tantum dicit, *hoc faciendum eſt*, vel *non eſt faciendum*. Imperium verò dicit, *fac hoc*, vel *noli hoc facere*, vel *volo facias*, &c.

Prob. denique. Illi ſoli potentiæ adſcribitur imperium in homine, cujus eſt dominari aliis; ſed ſola voluntas aliis potentiis humanis dominatur, & ipſa ſola eſt libera, ſeu domina ſuorum actuum; ergo & ſola imperat. Prob. min. nam aliæ omnes potentiæ obediunt volitionibus efficacibus voluntatis, non verò cognitionibus, aut judiciis, ideo judicante intellectu non eſſe furandum, tamen voluntate imperante furamur, ut diximus alias ex SS.PP. & patet experientia, quod ſæpe *Videmus, quid agendum, & tamen nolumus agere*, inquit Auguſt. [1] Et, *Voluntas non ſine ratione, tamen contra rationem poteſt eligere minus bonum*, ait S. Bern.

Objic. 1. Ariſt. [2] qui tribuit vim præceptivam prudentiæ: *nam quæ præceptiva eſt, finis ipſius eſt, quidnam ſit agendum, aut non agendum præcipere*. Idem docet Script. de Sapientia. *Per me reges regnant, per me*

[1] *De lib. arb.* [2] 6. *Ethic.* 8.

me principes imperant, &c. sed prudentia, & sapientia sunt virtutes intellectus; ergo & imperium.

Resp. dist. maj. prudentia, & sapientia sunt præceptivæ per modum consilii ostendentes, quid sit bonum, quid sit agendum, quid præcipiendum, atque etiam quid præcipiatur, & intimantes præcepta, conc. maj. quasi ipsæ præcipiant formaliter, & imperent, neg. maj. & cons. non negamus, quin requiratur ad imperium actus intellectus, qui dictet voluntati, quid bonum sit, & præcipiendum, & per quem hæc cognoscat quid præcipiatur: sed in neutro horum actuum consistit formaliter ratio imperii, sed tantùm consultationis. Unde intellectus in homine facem præbet, ut Consiliarius, voluntas decernit, & imperat ut Regina.

Inst. Præcipuus scopus legis est dirigere, & docere, juxta illud, *Lucerna pedibus meis verbum tuum*. Et, [1] *Lucerna mandatum est, & lex lux*: & Philosoph. dicit, quòd *ratio præcipit, & appetitus obtemperat*; ideo comparat rationem pædagogo, cujus est instruere, & dirigere discipulum; ergo formale imperium est actus intellectus.

Resp. neg. cons. nam lex quidem utrumque facit, docet, & præcipit, illuminat, & ligat, sed vis præceptiva, & obligativa attenditur penes voluntatem superioris; nec tenemur conformari ejus cognitioni, sed voluntati. Aristoteles autem per rationem intelligit totam animam, & per appetitum facultates inferiores.

Inst. 2. Ipsa intimatio voluntatis superioris est formale imperium; sed hæc intimatio, seu notificatio est actus intellectus; ergo imperium formale est actus intellectus. Prob. maj. velle superioris, seu lex non obligat nisi cognitum; sed non cognoscitur, nisi per intimationem intellectus; ergo obligatio, seu formale imperium est in notificatione per intellectum.

Resp. neg. maj. & cons. prob. nam notificatio est quidem concomitans, & conditio necessaria, ut imperium obliget, sed non est formale imperium: requiritur quidem actus intellectus, seu cognitio imperii, ac legis ad hoc, ut obliget, & executioni mandetur præceptum: sed ille non præcipit, sicut præco legem publicans non est legislator.

[1] *Psal.* 118.

Ob. 3. Ut se habet oratio inferioris ad superiorem, ita imperium superioris ad inferiorem; sed oratio est actus intellectus notificantis desiderium suum superiori; ergo & imperium notificans velle suum inferiori. Prob. maj. nam uterque actus consistit in notificatione desiderii orantis, & imperantis.

Resp. neg. min. formaliter enim oratio est petitio, & per consequens actus voluntatis: notificatio verò, seu oratio materialiter est actus imperatus à voluntate, quam oratio comitatur.

Objic. 4. Imperium exprimitur dicendo, *fac hoc*; sed id pertinet ad intellectum; ergo & imperium. Prob. min. talis expressio est conclusio Syllogismi practici; ergo pertinet ad intellectum, cujus est Syllogizare.

Resp. neg. min. & ant. prob. nam conclusio Syllogismi practici est, quòd hoc sit faciendum, v. g. *Deus est amandus*, &c. quod non sapit formale imperium, sed judicium, consilium, & suasionem, cui potest voluntas non obedire, sed potius imperare contrarium aut sibi, aut aliis potentiis.

Quæres, *an imperium sit actus distinctus ab intentione, & electione.*

Resp. non distingui. 1. quia nulla est necessitas talis multiplicationis actuum. 2. quia posita volitione efficaci finis, & electione mediorum ad illum, sequitur facilè executio tam ex parte ipsiusmet voluntatis, quantùm ad illam spectat, quàm ex parte aliarum facultatum absque ulteriori præcepto.

Igitur ad actuum moralium exercitium concurrunt, & sufficiunt hi actus. 1. notitia finis per intellectum. 2. ejus intentio, seu volitio per voluntatem. 3. notitia, & consultatio mediorum. 4. electio eorumdem. 5. ad electionem sequitur applicatio, seu executio per potentias, ad quas spectat, & hæc vocatur *usus*, estque actus voluntatis moventis illas ad actionem, seu prosecutionem finis per media electa, sive iste usus sit alter actus distinctus ab eadem electione, ut putant Thomistæ, sive sit indistinctus, ut probabilius est, ob eandem rationem. Saltem non videtur necessitas distinctionis; fortè tamen aliquando contingere potest per distinctos actus. Quoad *intentionem* autem, & *electionem* omnes conveniunt

unt esse actus voluntatis, an distincti, an unicus realiter; puto aliquando distinctis actibus voluntatem velle finem, & media eligere; aliquando unico, & eodem realiter, licèt multiplici virtualiter: sed hoc longiùs discutere non est animus. Vide quæ dixi disput. de voluntate.

QUÆSTIO IV.

De libertate actus humani, & 1. de voluntario, an, & quid sit.

EX definitione actus humani, & de mortalitate constat, quòd debet esse deliberatus, hoc est à voluntate ex delectu operante, non verò coactè, nec cæcè, sed cum debita consideratione, seu attentione circa finem, & consultatione circa media, quantùm sufficit ad libertatis exercitium, & maximè ad imputabilitatem in præmium, vel pœnam, in laudem, aut vituperium, ut patebit infrà.

De voluntario principaliùs agendum, quia ex ejus intelligentia pendet plurimum scientia moralitatis; nomen mutuat à voluntate, à qua procedit, vel in qua subjectatur, aut quam respicit, imo & in latissima, & impropria significatione sumitur pro *spontaneo*, & eo omni, quod est juxta appetitum, atque inclinationem agentis; unde *voluntarium* idem fermè significat in ea latitudine, quod *spontaneum*; & sic lapis dicitur sponte descendere, & ignis spontè ascendere; quia inclinantur ad illos motus appetitu innato. 2. minùs impropriè utrumque dicitur de iis, quæ fiunt ex appetitu elicito in viventibus, maximè animalibus cum aliqua cognitione rei; & tale reperitur in brutis, in infantibus, & amentibus, dum appetunt, & sumunt cibos, & alia bona convenientia illorum appetitui, & dicitur *voluntarium imperfectum*; sed 3. propriè dicitur de iis, quæ sunt à voluntate humana cum perfecta cognitione; & tale reperitur in solis hominibus ratione utentibus, & à fortiori in Angelis, & Deo.

Scotus [1] docet, quòd voluntarium potest dici illud 1. *quod est subjectivè in voluntate*; vel 2. *quod est* vo-

[1] *Quodl.* 18. *E.F. n.* 21.

volitum à voluntate, vel 3. *quod est imperatum à voluntate*. *primum non facit complete, quòd aliquid sit voluntarium, quia habitus potest esse in voluntate, & tamen voluntas non habet illum voluntariè*, v. g. tristitia est in voluntate, sæpe tamen non est voluntaria. 2. *dicitur voluntarium participativè; quia acceptatio ejus, ut objecti, est voluntaria, sed potiùs, & melius diceretur volitum, quàm voluntarium*. 3. *voluntarium propriè dicitur, quod est in potestate voluntatis, & sic dicitur 3. modo; voluntarium ergo debet dici illud, quod est causaliter à voluntate eliciente, vel imperante, licèt per prius dicatur voluntarium illud, quod est elicitum, quàm quod est imperatum*.

CONCLUSIO I.

Voluntarium sufficienter describitur, quod à voluntate procedit, ut à suo principio intrinseco cum cognitione ejus, quod agitur. Ita communiter explicatur.

Et prob. 1. ex Phil. [2] & Scoto, qui illud definit, *quod est à principio intrinseco singula cognoscente, in quibus actio consistit* seu, *cujus in se ipso principium est scienti singula, quæ agit; involuntaria verò dicuntur, quæ per vim, vel ignorantiam perpetrantur, violentum autem est, cujus principium ab extra existit, in quo agens, vel patiens nihil confert*. Nostra ergo descriptio voluntarii coincidit cum ista, illud *principium intrinsecum* est ipsa voluntas, quæ agit ex cognitione, seu per directionem intellectus finem proponentis, & medium, & circumstantias, quæ pertinent ad actum ejus. Scotus autem postquam descripsit involuntarium simpliciter illud, *contra quod voluntas simpliciter remurmurat*, dicit, quòd voluntarium potest intelligi tripliciter. 1. *contra quod voluntas non omnino remurmurat, sed patienter sustinet*. 2. *quod voluntariè acceptat*. 3. *quod voluntariè causat velut causa partialis, & non intendens istum effectum, vel ut causa remota principalis intendens effectum*. Nam in hoc ultimo sensu voluntarium est verè à principio intrinseco, & cognoscente singula, quandoquidem procedit cum intentione, quæ intentio est actus circa finem ut cognitum. Hæc enumeratio coincidit cum su-

[1] *Quodl. 18. EE. n. 21.* [2] *3. Ethic. 1.*

superiori; nam 1. voluntarium, quod voluntas patienter sustinet, est subjectivè in ea. 2. quod voluntariè acceptat, est objectum volitum, & 3. quod causat, est elicitum, vel imperatum à voluntate; & istud est causaliter à voluntate eliciente, vel imperante, & habet propriam rationem voluntarii; ergo ex Scoto, voluntarium est, quod procedit à voluntate ut principio intrinseco, & quidem cum cognitione; quia ex eodem, *Proprium voluntarium propriè dicitur, quod est in potestate voluntatis*. Et sic dicitur 3. modo in potestate agentis, quod non esset sine cognitione finis, & circumstantiarum, *Nam quia actus est in potestate voluntatis sic, ut ipsa sit sui determinativa in alterutram partem contradictionis, seu ad agendum, vel non agendum, licèt non nisi supposita intellectione, ideò per se est imputabilis agenti*.

Prob. 2. quia sic solet à Theologis, & Philosophis explicari, & in hoc sensu usurpari nomen *voluntarii*. Dicitur *à voluntate*, & sic convenit cum actibus omnibus etiam naturalibus, qui procedunt à voluntate; & sic differt ab illis spontaneis, qui procedunt ab inanimatis, ut motus ignis sursum, aut ab impetu sensitivo, ut in brutis; illi enim non sunt voluntarii. 2. *ut à principio intrinseco*, & sic distinguitur à violento, quod venit ab extrinseco; ut motus lapidis sursum, qui venit à projiciente. Incarceratio avium, & ea, quæ patitur voluntas, seu anima ab aliquo agente extraneo, v. g. à dæmone. 3. *cum cognitione ejus, quod agitur*, scilicet tam actus, & finis, quàm circumstantiarum: nam ad voluntarium non tantùm debet cognosci actus, & res, quæ fit, sed etiam omnes circumstantiæ, quæ influunt moralitatem in aliqua specie bonitatis, aut malitiæ; v. g. ut furtum sit sacrilegium, debet cognosci furtum, & circumstantia loci, aut rei sacræ: unde puerorum actus, & amentium non sunt voluntarii in genere moris, quia non cognoscunt bonitatem, aut malitiam eorum; denique ignorantia impedit voluntarium, ut patet ex definitionibus Aristotelicis.

Hinc habes conditiones necessarias ad voluntarium. 1. ut actus sit à voluntate aliquo modo. 2. ut ab ipsa eliciatur, vel imperetur ut agente ab intra, & proprio motu. 3. ut sit cum cognitione finis, & a-

ctus,

ctus, ac circumstantiarum omnium, quæ influunt speciem aliquam bonitatis, aut malitiæ. 4. ut habeat annexam, vel consequentem delectationem aliquam; quia per illud appetitus expletur, nusquam enim magis delectamur, quàm cùm satisfacimus appetitui nostro, & agimus, quod volumus: unde Scotus dicit, voluntarium esse illud, *contra quod voluntas non omninò remurmurat*.

Objic. 1. Hæc definitio non convenit puræ omissioni; sed pura omissio est voluntaria; ergo non convenit omni voluntario. Prob. maj. pura omissio non est verè id, quod procedit; ergo hæc definitio non convenit puræ omissioni. Prob. ant. id, quod procedit elicitivè, aut imperativè à voluntate, est aliquod ens positivum; sed omissio non est ens positivum; ergo &c.

Resp. dist. min. Est voluntaria negativè, implicitè, & interpretativè, conc. min. positivè, formaliter, & explicitè, neg. min. & dist. conf. non convenit omni voluntario tam positivo, quàm negativo, & directè, conc. conf. indirectè, & reductivè, neg. conf. inde patet responsio ad probationes; nam sicut omissio est negatio actus, ita est voluntaria non directè, & explicitè, nec positivè, alioqui non esset pura, sed importaret actum aliquem positivum, & in hoc sensu non convenit illi hæc definitio; sed sicut est voluntaria interpretativè, implicitè, & indirectè, ita ei convenit definitio, saltem reductivè.

Inst. particula, *quod procedit*, habet locum generis in definitione; ergo debet convenire omni voluntario; nam genus est quid univocum ad omnia contenta sub definito; sed non potest convenire univocè voluntario positivo, & negativo; ergo vel illa particula non rectè ponitur, vel non convenit omissioni, quæ est voluntarium negativum. Prob. min. nihil convenit univocè enti, & non enti, sed illud genus supponit pro ente positivo, scilicet pro actu voluntatis, & omissio est non ens; ergo non est genus univocum utrique.

Resp. dist. ant. Habet locum generis directè respectu voluntarii positivi, & indirectè, ac reductivè, & implicitè respectu negativi, conc. ant. directè respectu utriusque, neg. ant. & conf. Per idem patet ad subsum.

sumptum, omissio procedit negativè à voluntate; seu est negatio actus positivi, quæ libera est voluntati, quatenùs sic eam habet, ut posset eam non habere per actum illi oppositum; & quantum ad hanc libertatem, seu voluntarietatem convenit cum voluntario, & libero positivo, quod directè definitur.

Colligis ergo, *involuntarium* dici posse id, quod est in voluntate sine cognitione, aut ab extrinseco, qualis esset amor in ea productus à Deo solo, ut possibile diximus, & id, quod per vim, aut violentiam perpetratur. Violentum verò, cujus principium ab extra existit, seu in quo agens, vel patiens nihil confert.

CONCLUSIO I.

Voluntarium, & liberum in aliquibus conveniunt, & differunt; nec enim omne voluntarium est liberum. Est communis inter verè Catholicos, & videtur de fide; loquor de libertate contingentiæ.

Prob. 1. pars ex dictis, nam actui libero convenit tota definitio, & omnes conditiones voluntarii, est enim à voluntate, ut à principio intrinseco cum cognitione ejus, quod fit; nec in hoc est ulla difficultas. Patet ex Scoto, [1] apud quem aliquid dicitur voluntarium dupliciter; 1. *contingenter, sicut voluntas nostra, quæ est libera contingenter ad actum aliquem eliciendum, vel oppositum positivè, vel privativè. 2. dicitur voluntarium necessariò, & sic secundum Arist. intelligentia movet Cœlum voluntariè, & necessariò, non cum necessitate coactionis, sed necessitate complacentiæ. Tamen secundum fidem, & veritatem intelligentia, scilicet Deus, movet Cœlum liberè, & contingenter*; ergo ex Scoto voluntarium, & liberum conveniunt in aliquibus, & omne liberum est etiam voluntarium. Major difficultas est in 2. p. quidam enim hæretici, & alii confundunt voluntarium cum libero.

Prob. ergo 2. p. 1. ex textu allato Scoti patet, voluntarium stare cum necessitate, non autem libertatem contingentiæ.

Prob. 2. ex decretis Ecclesiæ; nam Pius V. Gregorius XIII., & Urbanus VIII. has duas propositiones

Mi-

[1] 2. *Phy. q. 4. n. 5.*

Michaelis Baji Doctoris Lovaniensis damnarunt, in quibus confundebat voluntarium cum libero: & necessitatem conciliabat cum libertate humana, quæ ad meritum, ac demeritum sufficiat, dicens 1. *quod voluntarie fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit.* 2. *sola violentia repugnat hominis libertati naturali*; sed non omne voluntarium opponitur necessitati, benè verò liberum contingens, seu morale; ergo ex decretis Ecclesiæ non omne voluntarium est liberum libertate morali. Min. patet ex dictis; nam Deus voluntariè se amat, non verò contingenter; ergo definitio voluntarii convenit tam necessario, quàm contingenti.

Prob. 3. ex SS. Patribus. *Latiùs patere deprehendimus, quod sponte fit,* ait Nicenus, [2] seu Nemesius, *Omnis enim electio sponte suscipitur, non etiam quidquid sponte suscipitur, electio est: Nam pueri, & bestiæ sponte quidem faciunt, non tamen eligentes .... Itaque ex omnibus istis concluditur, non idem valere sponte factum, & electionem*; id est actionem liberam, ut explicat S. Tho. [3] sic habes totam conclusionem. Idem docet Sanctus Damasc. [4] *Pueri, & belluæ spontanee faciunt, sed non eligentes, & quæ per iram facimus, sed non secundum electionem.* Spontaneum sumit pro voluntario; nam concludit, *Hæc siquidem omnia voluntaria ob voluptatem, quæ in ipsis est, non tamen secundum electionem, quia non sunt à consilio*: idem probant alii docentes, libertatem moralem consistere in indifferentia, & electione; quod non dicunt de omni voluntario.

Prob. 4. ex Phil. à quo Patres, & Theologi sumpserunt distinctionem electionis à spontaneo, seu voluntario. *Electio utique voluntarium esse videtur, non idem autem, sed in plus voluntarium. Voluntario enim & pueri, & omnia animalia communicant, electione autem non, & repentina voluntaria quidem dicimus, secundum electionem autem non.* Fateor tamen, voluntarium, prout descripsimus illud, magis accedere ad libertatem, quàm actiones brutorum, aut puerorum, quatenùs procedit à cognitione, & deliberatione; sed hæc conclusio est de voluntario ab-

[1] *Propos.* 39. & 66. [2] *l. d. An. facul. c.* 33.
[3] 1. 2. *q.* 6. *a.* 3. [4] *L.* 2. *de fide c.* 24.

solutè, prout opponitur involuntario, seu violento, non prout opponitur necessario, vel coincidit cum contingenti. Alibi docet, quòd *sponte agimus multa, antequam consultemus*. Unde concludit, *Non ergo spontaneum eligibile, sed eligibile spontaneum*; in his ultimis verbis habes totam conclusionem nostram.

Prob. denique; nam voluntarietas præcisè non opponitur necessitati, benè verò libertas contingentiæ, seu moralis; ergo liberum, & voluntarium distinguuntur, adeò ut non omne voluntarium sit liberum. Prob. ant. quia amor Dei, quo se amat, & amor beatorum in Cœlo est verè voluntarius; quia est *à voluntate, ut à principio intrinseco efficiente cum plena cognitione*, & tamen est necessarius, ut suppono ex dicendis; libertas verò contingentiæ est libertas à necessitate antecedenti; ergo &c. necessitas amoris beatifici oritur ex perfectissima cognitione, & habitu luminis gloriæ, & gratiæ consummatæ; necessitas verò amoris, & voluntarii in pueris, & amentibus oritur ex imperfectione cognitionis talis, qualis requiritur ad usum libertatis.

Objic. 1. Omnis, qui agit voluntariè, agit, quia vult; sed omnis, qui agit, quia vult, agit liberè; ergo omnis, qui agit voluntariè, agit & liberè; ergo voluntarium, & liberum idem sunt; & omne voluntarium est liberum.

Resp. dist. maj. quia vult, id est quia non agit nolens, seu invitus, conc. maj. & neg. min. quia id non sufficit ad libertatem contingentiæ, agit quia vult, ita ut possit non velle, seu non agere, neg. maj. & cons. nam ad libertatem moralem debet sic velle, ut pro eodem instanti, & in iisdem circumstantiis posset non velle in sensu diviso, ut loquitur Scotus.

Objic. 2. Voluntas ex August. *aut libera est, aut voluntas non est*; ergo quamdiu voluntas agit, semper agit liberè æquè ac voluntariè.

Resp. dist. cons. agit liberè, id est non coactè, conc. cons. liberè contingenter, seu libertate morali, neg. cons. Id patet ex dictis de pueris, & amentibus, qui agunt voluntariè, & non coactè, nec propterea liberè hac libertate, quæ ad moralitatem requiritur.

Igitur voluntarium *ut sic* dividitur 1. in *necessarium*, quod tale est, ut agens positis omnibus ad agendum

re-

requisitis non possit non agere, vel non possit agere aliud: & *liberum*, quod tale est, ut agens positis iisdem circumstantiis, & requisitis ad agendum, in quibus agit, posset non agere. Fateor, *liberum*, & *voluntarium* sæpe confundi, & pro eodem sumi, sed impropriè. Voluntarietas in agentibus intellectualibus posset quidem dici libertas essentialis, quam diximus stare posse cum necessitate, & opponitur tantùm coactioni, seu violentiæ; & ideò dicunt Scotistæ, amorem Dei, quo se amat, & spirationem activam, & amorem beatificum esse liberum hac libertate; sed libertas moralis, quæ dicitur contingentiæ, opponitur non solùm coactioni, & violentiæ, sed etiam necessitati, saltem antecedenti. Igitur *voluntarium* est illud, quod non ita est in potestate voluntatis, ut possit illud non agere. *Liberum* verò, quod est à voluntate, ut libera est, & indifferens ad agendum, vel non agendum, vel ad agendum contrarium; seu, ut loquitur Scotus, quod est in plena potestate voluntatis; & dicitur *voluntarium perfectum*.

2. Dividitur in *indirectum*, seu *negativum*, & *directum*, seu *positivum*. Istud est in se ipso, & immediatè elicitum, vel imperatum à voluntate, & per actum positivum, ut amor, locutio &c. Illud verò non est in se volitum, sed sequitur ex alio, scilicet in causa, ut expulsio catapultæ prævidendo posse hinc provenire homicidium, tunc homicidium est voluntarium *indirectè*. Idem est de omissione, quæ cùm sit negatio actus, non est in se directè, volita, sed indirectè, scilicet in aliquo, ex quo illa sequitur.

3. In *formale*, seu *explicitum*, & *virtuale*, seu *implicitum*, seu *interpretativum*. Illud consistit in actu elicito immediatè ab ipsa voluntate: istud verò sequitur ex aliquo actu, vel affectu directè volito. Sic dum decernis audire sacrum, & ex vi talis decreti accipis iter ad Ecclesiam, volitio est formaliter voluntaria, & explicitè; passus verò singuli, quos facis usque ad Ecclesiam, sunt voluntarii *virtualiter*, & *implicitè*. Similiter omissio pura est voluntaria interpretativè.

4. In voluntarium *propria voluntate*, & *aliena*; primum procedit ab ipsa voluntate agentis formaliter, & expresse; ut cùm propria voluntate jejunas, aut voves jejunium. 2. procedit à voluntate alterius, cui

tuam

tuam voluntatem commisisti: ut cùm contrahis per procuratores; sic peccatum Adæ fuit voluntarium posteris ejus; quia Deus voluntates eorum omnium commiserat voluntati Adæ.

5. In *Elicitum*, & *imperatum*; illud immediatè, & directè elicitur ab ipsa voluntate, istud verò elicitur vel ab alia facultate interna, vel externa per imperium voluntatis elicitum, vel ab ipsamet voluntate sibi per unum actu præcipiente alium; ut si ex amore in Deum amas proximum, primus amor imperat secundum.

6. In *actuale*, & *habituale*, illud est, quando de præsenti, & de facto cogitans, & advertens facis aliquid, v. g. conficis Sacramentum, aut cum actuali attentione recitas preces; istud verò quando aliquid facis non cogitans actu, & explicitè de actione, nec illa actio sequitur ex aliquo præcedenti, & explicitè volito; (tunc enim esset *virtuale*) sed tantùm facis id ex aliqua consuetudine, & sic animo dispositus es, ut si adverteres, velles id ita fieri; v. g. si adverteres, te esse distractum in precibus, te ad attentionem componeres, & ad hoc necessarium est; ut aliquando explicitè volueris attentè orare, nec unquam retractaveris hanc voluntatem per volitionem contrariam; sic enim prima illa volitio censetur moraliter perseverare; sed quia non influit physicè, nec verè in orationem præsentem, nequidem mediatè, per ullum actum connexum (alioqui esset attentio *virtualiter* voluntaria) ideò dicitur habitualis. Quod valde notandum est; nam hæc distinctio maximè examinatur in confectione sacramentorum quoad intentionem ad hoc necessariam.

Quæres, *an divisio voluntarii in liberum*, & *necessarium sit generis in species propriè*; seu *an differant essentialiter*, *an verò accidentaliter*.

Resp. quòd differunt accidentaliter. Ratio est, quia idem actus de libero fieri potest non liber, & vicissim de non libero liber absque ulla mutatione intrinseca in entitate actus: quod magis patebit infrà.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

An, & quæ sit libertas in homine.

AD pleniorem cognitionem voluntarii requisiti in actibus moralibus, dicendum de libertate, an sit, & quid sit; quandoquidem id non potuit dici in tr. de anima, ne nimium turgeret 4. Tomus.

Patet autem, voluntatem humanam esse liberam essentialiter, quia per hoc differt ab appetitu sensitivo, qui est potentia *naturalis*, seu potentia determinata ex se ad unum modum agendi, ut ignis ad comburendum, intellectus ad intelligendum, ita ut, quantum est de se, ille semper comburat, & ipse semper intelligat positis omnibus requisitis ad agendum; potentia verò *libera* de se est indeterminata ad opposita, ita ut positis omnibus ad agendum requisitis possit agere, vel non agere; sic voluntas est de se indeterminata ad volendum, aut nolendum, aut non volendum.

Notandæ sunt istæ voces *liberum*, *liberum arbitrium*, *arbitrium*, *spontaneum*, *voluntarium*, *contingens*, *necessarium*, *& coactum*, si enim confundantur, capi non possunt Philosophorum, & Theologorum placita in hac materia. 1. *liberum* est, quod sic habet actum suum in sua potestate, ut positis omnibus ad agendum requisitis possit agere, vel non agere, vel agere quodlibet ex contrariis. 2. *liberum arbitrium* idem significat, sc. voluntatem, quæ sic habet actum suum in sua potestate, sed connotat actum intellectus, cujus *arbitrium*, seu judicium prærequiritur velut necessarium exercitio libertatis. 3. *Arbitrium* est judicium, sicut *arbitrari* est judicium suum proferre. Sic *liberum arbitrium* includit intellectum, & voluntatem, quia, inquit Scotus, [r] *libertas* est voluntatis, & *arbitrari*, seu *judicare* de bonitate, aut malitia rei, & illam proponere amandam, aut fugiendam pertinet ad intellectum, cùm voluntas non feratur in incognitum.

4. *Spontaneum*, *voluntarium*, & *liberum* sæpè confunduntur, sed in rigore distinguuntur; nam sponta- neum

[r] 1.*d*.39.*A*.*n*.2.

neum est universalius, & convenit actibus appetitus sensitivi brutorum æquè, ac voluntatis humanæ. Et adhuc convenit actibus puerorum, & amentium, in quibus non est propriè usus libertatis, sicut nec rationis, licèt agant per voluntatem. Hæc autem duo *spontaneum*, & *voluntarium* opponuntur *coactioni*, quæ est vis illata ab extrinseco. *Spontanea* enim, & *voluntaria* sunt, quæ fiunt à principio intrinseco secundum propriam agentis inclinationem.

Igitur *spontaneum*, *voluntarium*, & *liberum* conveniunt 1. in hoc, quòd sunt à principio intrinseco, non ab extrinseco vim inferente, & sic opponuntur *violento*. 2. quòd fiunt prævia cognitione objecti, & sic distinguuntur à *naturali*. Differunt autem, quia in *spontaneis*, *&* *voluntariis* non datur propriè electio, benè verò in *liberis*; nam appetitus potiùs ducitur, quàm ducat; non ita est de libertate.

Libertas hæc dividitur in libertatem *essentialem*, & *contingentiæ*. 1. consistit in simplici dominio voluntatis in suos actus, quatenùs ad eos se ipsam determinat sivè necessariò, sive contingenter, & hoc per modum inclinationis, seu delectabiliter, & complacenter, talis est libertas amoris Dei ad se ipsum, & Beatorum in cœlo. 2. verò consistit in eo, quòd voluntas est sic domina sui actus, ut positis omnibus requisitis possit eum ponere, vel non ponere, aut ponere contrarium.

Rursus libertas hæc contingentiæ vel est *contrarietatis*, seu specificationis, quia est ad actus specie diversos, seu contrarios, ut ad amorem, vel odium, vel *contradictionis*, seu *exercitii*, quia est ad actum, vel negationem, seu omissionem ejus, ut ad amorem, vel non amorem, licèt non oderit per actum positivum.

Denique voluntas consideratur vel secundum appetitum innatum, quo fertur in bonum suum, sicut grave fertur deorsum, & leve sursum, vel secundum quod est potentia elicitiva sui actus, seu volitionum, & nolitionum suarum; sub 1. respectu non habet actus ullos elicitos, sed nudam propensionem in bonum; sub 2. sic elicit suos actus, ut posset non elicere,

aut elicere contrarios, & sic dicitur libera, seu domina suorum actuum.

Quærimus ergo 1. an voluntas humana sit libera, 2. qua libertate. 3. An libertas sit adeo propria voluntati, ut non pertineat etiam ad intellectum, saltem radicaliter. 4. an id voluntati competat, prout activa est, an ut passiva, &c.

CONCLUSIO I.

V*oluntas est verè libera libertate contingentiæ, prout activa est* 1. pars est communis, & de fide contra hæreticos. 2. est communior.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Actus est in sola potestate agentis, & licèt ad istam potestatem concurrant intellectus, & voluntas, tamen illa indifferentia, qua posset non sic fieri illud, quod fit, & posset fieri illud, quod non fit, in sensu sc. divisionis, ista, inquam, indifferentia, seu indeterminatio in alteram partem non potest complete reduci, nisi ad ipsam voluntatem. Voluntas sola habet indifferentiam ad contradictoria, & talem, qua ipsa sit sola sui determinativa ad alterum eorum*, &c. ergo ex Scoto, voluntas est sola plenè libera libertate contingentiæ, seu indifferentiæ, & id, prout est activa, seu prout se ipsam determinat ad agendum.

Prob. 2. ex Script. [2] *Proposui vobis vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem; eligite, quod placet*, &c. Item, [3] *Apposui tibi ignem, & aquam, ad quod volueris, extende manum tuam.* Item, [4] *Deus dereliquit hominem in manu consilii sui*. Et de homine justo dicitur, [5] *Qui potuit transgredi, & non est transgressus*. Vide libertatem activam sc. ad eligendum, ad agendum benè, aut malè.

Prob. 3. quia definitum est, in nobis esse *liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum cooperari Deo excitanti, & sic se præparare ad obtinendam gratiam justificationis, & posse dissentire gratiæ vocanti, si velit, & non se habere omninò passivè, sed vere agere*, &c. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium post Ada*

[1] *Quodli.* 18.*M.n.*9. [2] *Deut.* 4. [3] *Jos.* 24. [4] *Eccle.*24. [5] *Eccl. c.* 5.

Adæ peccatum amissum, & extinctum, aut non esse in potestate hominis vias suas facere malas, &c. *Anathema sit*. Idem [1] definierat Concil. Arausic. [2] ergo voluntas libera est ad agendum.

Prob. 4. ex SS. Patrib. *Aut voluntas non est, aut libera dicenda est*, ait August. [3] *Potest quidem mutari voluntas, sed non nisi in aliam voluntatem*, ut nunquam amittat libertatem, inquit Bernar. *Jam ergo non potest illa privari, quia nec se ipsa, sicut enim impossibile est, de se ipsa sibi non obedire, sic etiam impossibile est sua privari libertate*. Et sic de aliis.

Prob. 5. quoad 1. p. quia homo per suam voluntatem habet dominium suorum actuum, ut patet experientia, & textibus citatis ex Script. & Conciliis; & per hoc dominium potest agere, vel non agere, vel agere contraria; sed in hoc consistit tota hæc libertas; ergo &c. qui negaret experientiam, esset virgis, aut baculo excipiendus, donec fateretur, vapulationem posse cessare, vel omitti, inquit Doctor.

Prob. 2. p. De ratione libertatis est, ut id, quod dicitur liberum, sit in ejus potestate; sed ea, ad quæ voluntas est merè passiva, non sunt in ejus potestate; ergo non est libera ut passiva, sed ut activa. Prob. min. ex Scoto, [4] Passio non est in potestate patientis, & maximè quando est ab agente naturali; nam patiens non patitur, nisi qua agens agit, & prius est agens agere, quàm patiens patiatur; sed prius non est in potestate posterioris, nec ab illo dependet; ergo passio non est in potestate patientis; ergo voluntas non est formaliter libera ut passiva, nec ad ea, ad quæ se habet merè passivè.

Confir. ex Concil. Trid. [5] dicente, hominem se disponere ad gratiam *libere assentiendo, & cooperando gratiæ Dei, ita ut neque homo ipse nihil omnino agat, nec mere passivè se habeat*; ergo etiam respectu actuum supernaturalium ex gratia voluntas est libera, ut activa. De hoc fusiùs aliàs.

Objic. 1. Scriptura [6] videtur non agnoscere in nobis libertatem ad bonum, & malum, cùm dicit, [7] *bene, aut male facite, si potestis*; ergo &c.

C 2 Resp.

[1] *SS.9.can.4.5. & 6.* [2] *Can. 13.*
[3] *1.Retrac.c.9.* [4] *2.d.25.A.n.6.*
[5] *SS.6.c.cap.5.* [6] *Isa.41.* [7] *Ps.13.*

Resp. neg. ant. nec enim hic est sensus scripturæ qua hæretici abutuntur, hæc verba diriguntur ad idola mortua, & insensibilia, non ad homines; *illa os habent, & non loquuntur*, bene verò homines.

Objic. 2. ex Aug. *homo malè utens libero arbitrio & se, & ipsum perdit*; sed Adam per peccatum malè usus est arbitrio; ergo istud perdidit; ergo post peccatum Adæ non remansit in homine libertas arbitrii.

Resp. dist. ant. perdidit ipsum arbitrium infirmando, debilitando, con. totaliter, neg. ant. nec enim id prætendit Aug. sed tantùm, quòd debilitatum est per peccatum, ita ut non sit ita sana, & robusta voluntas, nec libertas ad faciendum bonum, & vitandum malum, nisi fortiori juvetur gratia. [1] *Peccato Adæ liberum arbitrium de hominum natura periisse non dicimus, sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo, ad benè autem, pieque vivendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, & ad omne bonum adjuta*, inquit ipse August.

Objic. 3. Libertas contingentiæ est facultas, qua positis omnibus ad agendum requisitis, voluntas potest agere, vel non agere, sed talis facultas non est in nobis; ergo nec libertas. Prob. min. Concursus est unum ex requisitis, sed, posito concursu Dei, voluntas non potest non agere, ergo &c.

Resp. neg. utramque min. concursus enim Dei nullam imponit necessitatem, sed est accomodatus libertati nostræ, ut diximus in Physicis.

Objic. 1. con. 2. p. Voluntas est libera ad actus supernaturales, v. g. charitatis; sed ad illos actus voluntas non habet indifferentiam activam, sed purè passivam; ergo ad libertatem sufficit indifferentia passiva. Maj. patet ex Concil. Trid. [2] cit. prob. min. actus illi fiunt immediatè à sola gratia; ergo voluntas non concurrit ad illos activè, sed passivè tantum. Prob. ant. ex Script. *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*. Item, *Quicumque spiritu Dei aguntur*; sc. voluntas non agit, sed agitur; ergo &c. Confir. ex SS. Patribus: nam Chrisost. [3] versans illud Apostoli, *Non sumus sufficientes cogitare*

[1] *2. duas ep. Pelag. c. 5.* [2] *Ro. 9. & 8.* [3] *ho. 22. de humil*

tare aliquid, &c. dicit, *Planè non fiduciam habemus, ut partim sit nostrum, partim sit Dei, sed totum illi tribuimus* ergo actus illi sunt totaliter à Deo quamvis liberi.

Resp. neg. maj. 1. argum. & ant. 2. & conf. illatas ex textibus Script. & PP. nam in tantum illos actus soli Deo tribuere videntur, quia sunt principaliter ab eo ut excitante, adjuvante, & operante, imò & dat ea, quibus nos ipsi cooperamus, sed tamen sunt toti à Deo, & toti à nobis, & singuli in suo ordine.

Objic. 2. Receptio gratiæ est libera voluntati, sed ad illam se habet merè passivè; ergo ut passiva est etiam libera.

Resp. dist. maj. Receptio gratiæ sanctificantis est libera objectivè, con. formaliter, & elicitivè, neg. maj. Et de gratia actuali est absolutè falsa. Illam operatur Deus in nobis sine nobis, & hæc facit, ut velimus: receptio verò sanctificantis est libera objectivè, quatenus illam optamus, & nos ad eam disponimus libere cooperando gratiis actualibus.

Objic. 3. Datur pura omissio, & suspensio actus libera; sed tunc voluntas nihil agit; ergo est libera sine activitate.

Resp. 1. quòd sicut tunc nihil agit, ita nec patitur. 2. dist. min. nihil agit, sed potest agere, con. nihil agit, nec potest agere, neg. min. & conf. nam ideo omissio pura est libera, quia sic eam habet voluntas, ut posset non habere, faciendo id, quod omittit.

CONCLUSIO II.

L*ibertas formalis est in sola voluntate, non autem in intellectu, nequidem radicaliter*. Est communis contra Thomistas ponentes eam radicaliter in intellectu, & completivè tantùm in voluntate.

Ut autem vitetur quæstio de nomine, nota, quòd in duplici sensu dici potest, libertatem esse radicaliter in intellectu. 1. quia voluntas non exercet suam libertatem, maximè contrarietatis, nisi objectum ei repræsentetur ab intellectu bonum, aut malum, ita ut illa repræsentatio sit velut applicatio objecti ad potentiam, & occasio, seu conditio, sine qua voluntas non ageret, quia est potentia cœca, & non

fertur in incognitum. Et hoc sensu non negamus, libertatem esse radicaliter, seu occasionaliter in intellectu, & de hoc non est quæstio. 2. sic intelligi potest, ut indifferentia ad amandum, vel non amandum dependeat saltem radicaliter ab actu, quo intellectus repræsentat objectum ut amandum, vel odiendum, ita ut voluntas non possit non amare, si intellectus dictet esse amandum; uno verbo, sic dependeat à judicio practico intellectus, ut debeat necessariò se illi conformare, & facere, vel omittere, quod ille dictat faciendum, vel omittendum, & hoc sensu negamus, libertatem voluntatis dependere, & esse radicaliter in intellectu. Et hoc

Prob. 1. ex Scoto [1] cit. quia *nihil aliud à voluntate est causa totalis volitionis in voluntate, & libertas non potest esse in intellectu, quia hic agit modo maximè naturali .... ergo intellectus non est causa indeterminata alicujus effectus, sed determinata*; ergo non est in eo libertas. Nam liberum, & determinatum opponuntur. Liberum est indifferens, & indeterminatum quoad specificationem, vel exercitium, vel quoad utrumque; sed intellectus utroque modo est determinatus; ergo neutro modo est indifferens, nec liber. Prob. min. si esset indifferens quoad specificationem, proposita illi per sensum specie ignis, posset intelligere aquam, & si esset indifferens quoad exercitium, posset non intelligere; sed utrumque est falsum, & contra experientiam; ergo &c.

Confir. quia, ut diximus in Philosophia, intelligere formaliter est quoddam pati; sed passio non est in potestate patientis; ergo nec intelligere in potestate intellectus.

Prob. 2. Si ullus actus intellectus esset ei liber, maximè judicium; sed hoc non est ei liberum; ergo nullus actus est liber intellectui, saltem formaliter. Maj. est certa ex adversariis, qui eam libertatem ponunt in judicio proponente objecta ut fugienda, vel amanda sub diversis rationibus, & certè in apprehensione non potest esse indifferentia, cum maximè pendeat ab objecto immittente speciem. Prob. min. non est in potestate intellectus facere, ut propositio sit vera, vel falsa, nec ut conclusio sit bona, aut mala, repræsentat

[1] 2. d. 25.

sentat enim objecta, qualia sunt, vel apparent; non potest judicare rem bonam, si appareat mala, nec malam, si appareat bona, & si repræsentat eam ut indifferentem, id non facit pro libitu, sed quia hæc in se talis apparet; ergo nulla indifferentia formalis est in intellectu; ergo tota est in voluntate.

Objic. 1. Potentia libera debet cognoscere objecta, inter quæ potest eligere; sed cognitio est in intellectu; ergo & libertas.

Resp. dist. maj. Cognoscere per se, vel per alium, con. per se ipsam, neg. maj. & conf. sufficit, quòd objecta cognoscantur per intellectum, qui ea proponat voluntati, ut eligat.

Inst. Potentia libera debet posse se determinare; sed potentia, in qua non est formaliter cognitio, non potest se determinare; ergo nec est libera. Prob. min. electio est ex cognitione; ergo potentia, in qua non est formaliter cognitio, non potest se determinare.

Resp. neg. min. & conf. prob. Nam requiritur quidem cognitio, sed non ipsa in potentia eligente, sufficit, quòd adsit in intellectu.

Objic. 2. Ibi est libertas, ubi est principium dominii in actus suos, sed illud principium residet in intellectu; ergo & libertas. Prob. min. ad perfectum dominium requiritur, ut potentia judicet, dirigat, & imperet, sed directio, judicium, & imperium spectant ad potentiam cognoscitivam; ergo & principium dominii in actus suos.

Resp. neg. utramque min. nam directio per modum imperii spectat ad solam voluntatem, judicium verò ad intellectum, sed istud non est formaliter dominium, licèt ei præsupponatur: & sic dirigit indicando, non autem jubendo.

Objic. 3. ex Arist. [1] desiderium, & electio oriuntur ex Consilio, sed consilium, & judicium sunt in intellectu; ergo & radix electionis, seu libertatis.

Resp. dist. maj. Oriuntur ex consilio, quasi ex conditionibus prærequisitis ad illos actus, con. quasi ex principio elicitivo, seu effectivo, neg. maj. & conf. cognitio boni absentis prærequiritur ad desiderium, & consultatio ad electionem mediorum, sed tam desiderium, quàm electio sunt à voluntate.

[1] 2. *Ethic. c. 2. & 3.*

Inst. Ideò voluntas dicitur *liberum arbitrium*, quia per judicium proponuntur ei media eligenda; ergo libertas voluntatis radicatur in judicio intellectus.

Resp. neg. conf. quia illa dependentia electionis à judicio non est velut à principio, sed ut à pura conditione, & ideò non est vera radicatio physica, nec metaphysica libertatis, nec intellectus repræsentat ea media eligenda, ut indifferentia pro libitu suo, sed quia talia sunt in se, nec potest aliter ea repræsentare, quàm ut cognoscit; ergo tota libertas electionis est in voluntate.

Inst. 2. Libertas contingentiæ in Deo non venit ex indifferentia voluntatis, sed judicii: qui judicat objecta creata indifferentia; ergo ita est in nobis. Prob. ant. indifferentia, & determinatio esset imperfectio in voluntate Dei, quia diceret potentialitatem; ergo &c.

Resp. neg. ant. & rationem ejus. Nam libertas in Deo nihil aliud dicit, nisi quòd quæ vult contingenter posset non velle, & quæ non vult, posset velle; quod non importat potentialitatem physicam, nec imperfectionem, sed maximam perfectionem, sc. libertatem.

Inst. 3. Si judicium non est indifferens, voluntas erit determinata ad unum, non autem libera; ergo ejus libertas venit ab intellectu, sc. ab indifferentia judicii. Prob. ant. si judicium proponit objectum determinatè ut bonum, & amandum, voluntas determinatur ad amorem, ut patet in motibus primò primis, qui ideò non sunt liberi; ergo &c.

Resp. neg. ant. & prob. ejus; nam licèt voluntas non possit odisse rem sibi propositam ut bonam purè sine malitia, potest tamen non amare ob libertatem *exercitii*, & *contradictionis*. Motus autem *primò primi*, qui sunt indeliberati, non sunt in voluntate, sed in appetitu animali. Ideò *non video, quòd sint peccata*, inquit Doctor, [1] *quia præcedunt omnem actum voluntatis*.

Inst. 4. Etiam ad libertatem exercitii requiritur judicium indifferens; ergo nulla solutio. Prob. ant. libertas exercitii est circa actum, vel omissionem ejus; sed voluntas non est indifferens ad actum, vel omis-

[1] 2.*d*. 42. *R*. *n*. 19.

omissionem ejus, v. g. ad amorem, vel non amorem, nisi intellectus utrumque proponat sub aliqua ratione bonitatis; ergo etiam ad libertatem exercitii requiritur judicium indifferens. Prob. min. voluntas non est indifferens ad specificationem, v. g. ad amorem, & odium, nisi utrumque ei proponatur ab intellectu; ergo ita est de amore, & non amore.

Resp. neg. ant. 1. argum. & min. 2. & cons. 3. nam ad puram omissionem amoris, v. g. circa bonum creatum non requiritur ullum motivum positivum distinctum à libertate voluntatis. Et lata est disparitas de amore, & odio in libertate specificationis; nam ad omnem actum positivum voluntas debet moveri ab objecto, & ideò objectum debet cognosci ut odibile, non verò ad negationem actus.

Objic. 4. Bonitas, vel malitia actus augetur, vel minuitur in voluntate ex majori, vel minori libertate, & hæc ex majori, vel minori cognitione bonitatis, aut malitiæ objecti; ergo libertas pendet à cognitione intellectus, & in eo radicatur. Ant. patet ex illo Axiomate; *Sicut se habet magis ad magis, ita simpliciter ad simpliciter*. Prob. ant. ex omnium consensu, si advertentia non est plena, ita nec libertas; ergo libertas augetur, vel minuitur ex majori, vel minori cognitione.

Resp. 1. neg. cons. & ratio ejus non est universaliter, & absolutè vera. Nam actus pendet partialiter ab habitu, & potentia, & quò intensior est habitus, eò etiam est intensior actus, & tamen actus nunquam potest esse simpliciter ab habitu sine potentia. Sic licèt malitia crescat ex majori cognitione mali, non sequitur, quòd possit esse tota à cognitione.

Resp. 2. dist. ant. & maj. prob. augetur libertas accidentalis, & extrinseca, con. essentialis, & intrinseca, neg. ant. & maj. prob. malitia actus intrinseca, & libertas pariter intrinseca venit à voluntate, quæ magis vult malum cognitum; cognitio verò est circumstantia, & conditio, sine qua malitia, & deordinatio illa non esset tam voluntaria: sicut actus ignis eò fortior est, quò major applicatio, & tamen illa applicatio non dicitur principium radicale actionis; ita est de cognitione respectu actuum voluntatis, quæ non amat, nec odit res, nisi applicatas per cognitionem.

CONCLUSIO III.

Libertas est adeo essentialis voluntati, ut non possit physicè violentari ad actus elicitos, benè verò moraliter.

Dico, *ad actus elicitos*. Nam si volitiones, & nolitiones possint produci à solo Deo in voluntate merè passivè se habente, ut dictum est de intellectionibus, certum est, quòd tales actus non erunt liberi voluntati. Loquimur ergo de actibus ab ipsa eliciendis, & dicimus, eam non posse cogi ad eliciendos in se ullos actus positivos, benè verò impediri, ne eliciat, & tunc omissio non esset libera. Hoc supposito.

Prob. 1. ex Scoto. [1] 1. p. *Contradictio est voluntatem simpliciter cogi ad actum volendi, quia violentum est, cujus principium est extra, non conferen te vim passo, seu quod est totaliter à principio extrinseco, & contra inclinationem passi. Sed velle non potest sic inesse voluntati, quia tunc nolens vellet, & volens nollet, quod est contradictorium*; ergo ex Scoto [2] implicat, quòd voluntas possit cogi ad volitionem eliciendam.

Prob. 2. ex SS. Patribus, quos ipsemet Doctor [3] citat. *Nihil tam in nostra potestate, quàm ipsa voluntas est*; (sc. actus voluntatis eliciti) *quod si fieri non potest, ut dum volumus, non velimus, adest utique voluntas volentibus, nec aliud quidpiam est in potestate, nisi quod volentibus adest*, ait August. [4] ergo ex Patribus libertas à coactione ad actus elicitos sic essentialis est voluntati, ut non possit ea privari.

Prob. 3. Voluntas non potest agere contra naturam suam; sed modus agendi coactè est contra naturam voluntatis; ergo non potest sic cogi. Maj. patet, nam ignis non potest agere per modum aquæ, nec aqua per modum ignis, quia modus agendi naturalis venit à propria rerum forma. Prob. min. 1. ex August. [5] dicente, quòd libertas est tam propria voluntati, quàm gravitas lapidi, *Motus voluntatis similis est illi motui, quo deorsum lapis fertur... veruntamen in eo dissimilis, quòd in potestate non habet lapis cohibere motum, quo fertur inferius, animus verò dum non vult, non ita movetur.*

[1] 4. *d.* 29. *B. n.* 6. [2] 1. *d.* 1. *q.* 4. *n.* 18. [3] *l.* 3. *de lib. ar. c.* 17. & 1. [4] *Retra. c.* 9. [5] *Ib. d. c.* 1.

tur. 2. quia differentia formalis voluntatis ab intellectu consistit in hoc, quòd iste agit naturaliter, & illa liberè, 3. quia causa naturalis non potest agere liberè; ergo nec libera potest agere naturaliter, seu coactè.

Prob. 4. Non potest dici, quomodo sic posset cogi; ergo nec quod sit possibile. Prob. ant. non potest cogi nisi à Deo vel per se immediatè, vel per creaturam; v. g. per qualitatem physicam prædeterminantem; sed neutro modo id potest fieri; ergo nullo. Prob. min. 1. si per se, id faceret per concursum extraordinarium, & prædeterminantem; nam ordinarius non prædeterminat; sed hoc dici non potest; ergo Deus id per se non potest facere. Prob. min. quia concursus, ut concursus, essentialiter connotat concursum alium ex parte creaturæ, & condeterminationem sibi connaturalem; ergo concursus Dei qualiscumque non induceret coactionem, quia supponeret semper voluntatem connaturaliter, id est liberè concurrentem. 2. non per qualitatem prædeterminantem; tum quia si Deus per seipsum id non potest facere, ita nec per causam ullam secundam; tum quia si qualitas illa se sola produceret volitionem, jam voluntas non ageret, sed se haberet merè passivè, & sic non est ad propositum, si verò voluntas coageret; ergo liberè, quia vellet agere, tum 3. quia nulla actio creaturæ habet majorem efficaciam, quàm decretum, & concursus Dei; ergo si iste non cogit, multò minùs illa id poterit; tum 4. quia omnis actio creaturæ habet effectum contingentem; ergo ab ea non potest venire necessitas.

Prob. 2. p. quia necessitas moralis est ea, qua fit, ut in aliquibus circumstantiis voluntas absolutè, & physicè possit quidem resistere gratiæ, & voluntati Dei, & non agere; sed tamen adeò efficaciter inclinatur, & trahitur, ut infallibiliter velit, & consentiat; sed talis necessitas induci potest in voluntatem; ergo hæc potest cogi moraliter ad actus elicitos. Prob. min. nam de facto sic necessitatur voluntas beatorum ad amorem per præsentiam objecti beatifici, & sic accidit quandoque viatoribus quibusdam per gratias efficacissimas.

Obijc. 1. ex Script. *Voluntati Dei quis resistit*; ergo

Deo volente ut velim, etiam contra inclinationem meam, id erit, alioqui Deo resisterem; & ille non esset omnipotens.

Respond. neg. conf. Nam cùm Deus non possit velle contra rerum essentiam, non potest velle, ut nolens velim; si facit, ut velim, non facit violentiam.

Objic. 2. Potest Deus causare, & conservare in anima talem cognitionem objecti, & tam determinatæ bonitatis, ut nulla maneat indifferentia in voluntate ad illud volendum; ergo tunc determinabitur ad volendum. Prob. conf. voluntas non potest nolle objectum, in quo nullum repræsentatur motivum nolitionis; ergo necessariò illud volet.

Resp. neg. conf. utramque, nam si non possit nolle, saltem poterit non velle, propter libertatem contradictionis. Ita est de objecto, quod repræsentaretur purè malum, quia licèt non posset illud amare, saltem posset non odisse.

Inst. Deus posset negare concursum suum in 1. casu ad ullum actum præterquam ad amorem, & in 2. ad solum odium, & negare concursum ad suspensionem amoris, vel odii; ergo in 1. non posset non amare, & in 2. non posset non odisse.

Resp. neg. conf. tum quia si tunc amaret, vel odiret, id faceret liberè, quia vellet, tum quia non requiritur concursus ad non agendum.

Objic. 3. Concilia, & Patres non arguunt hæreticos, qui negant libertatem ex impossibilitate eam tollendi, sed ex dispositione justitiæ, & sapientiæ, quas non decet punire, nec præmiare actus involuntarios; ergo non putant, coactionem esse impossibilem.

Resp. neg. ant. Patet enim ex discursu cit. S. Aug. contra Pelagianos, qui negabant liberum arbitrium, quòd illa necessitas repugnat voluntati, & quòd libertas est illi essentialis, &c.

Inst. Aug. docet, [1] Deum posse vertere voluntatem in bonum contra inclinationem, quam habet in malum. *Quis tam impie desipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, ubi voluerit in bonum non posse convertere?* ergo sentit, Deum posse cogere voluntatem.

Resp. neg. conf. Nam ad hoc sufficit, quod Deus possit

[1] *Enchi. c.* 98.

possit ita flectere voluntatem in bonum, ut velit illud, & per consequens liberè, & necessitas erit moralis, non physica, de qua loquimur.

Objic. 4. Volitio finis necessitat ad electionem mediorum; ergo necessitas non repugnat voluntati ad actus elicitos. Prob. ant. qui vult finem, vult necessariò media.

Resp. neg. cons. Nam volitio efficax finis est etiam volitio mediorum, saltem implicita, & sic nulla est ibi necessitas ab extrinseco, de qua loquimur.

Ob. 5. ex Scoto. [1] Si Deus ageret necessariò ad extra, tolleretur contingentia in creaturis; ergo & libertas voluntatis, quia non minùs influit, & potest in voluntatem, quàm in alias causas; ergo voluntas posset necessitari ad agendum.

Resp. dist. ant. Tolleretur contingentia proxima, & actualis, con. remota, & essentialis, seu aptitudinalis, neg. ant. non enim impediret, quin creaturæ essent ex natura sua contingenter activæ, quia non mutaretur earum essentia, sed quia activitas earum proxima, & actualis pendet à concursu Dei, si iste esset necessarius, ita & illa.

Resp. 2. neg. cons. quia si Deus ad extra ageret necessariò, ageret ad extremum potentiæ suæ, & sic se solo faceret, quidquid nunc facit cum creatura, & sic ista nihil ageret, sed non propterea tolleretur libertas intrinseca.

Resp. 3. neg. eandem cons. quia si non esset libertas in Deo, neque esset in creatura, in qua nulla perfectio esse potest, quæ non sit in Deo, & sic corruit fundamentum argumenti; supponimus enim, voluntatem esse de facto liberam.

CONCLUSIO. IV.

Non omnis libertas opponitur necessitati, libertas essentialis; & dominii stat cum necessitate, & opponitur soli coactioni; libertas sola contingentiæ opponitur necessitati. Ita Scotistæ.

Libertas autem *dominii*, seu *essentialis* est illa, qua agens sic est dominus suæ actionis, ut seipsum determinet ad agendum, licèt actionem cohibere non possit,

[1] 1.*d*.2.*q*.2.*R*.*n*.20.

sit, & dicitur *essentialis*, quia sequitur naturam voluntatis, ut dicebamus suprà; libertas verò contingentiæ est, qua agens sic se determinat ad agendum, ut posset non agere, vel agere opposita.

Item duplex est necessitas, ex Scoto [1] 1. *prævia*, seu *antecedens*, quæ sic determinat voluntatem ad actum, ut illa non habeat hujus dominium, & sic voluntas non agit, sed agitur; ideo non est libera, 2. *concomitans*, quæ non cadit in voluntatem *antecedenter*, nec ab extrinseco illi imponitur, sed à seipsa, dum elicit actum suum, & perseverat in illo. 1. destruit omnem libertatem. 2. verò non impedit libertatem dominii, sed tantùm contingentiæ. Hoc supposito

Prob. 1. ex Scoto [2] quoad 1. p. *Cum necessitate ad volendum stat libertas in voluntate*. Et id probat ex August. *Oportebat priùs hominem fieri, ut posset benè velle, & male, nec gratis, vel frustrà, si benè, nec impunè, si malè,..postea verò sic erit* (sc. in Cœlo) *ut malè velle non possit, nec ideò libero carebit arbitrio, multò quippe liberius erit arbitrium, quod omninò non poterit servire peccato*. Item ex Anselmo, *Quia voluntas divina necessariò vult bonitatem suam, & tamen in volendo eam est libera*. Et consistere dicit eam libertatem in eo, quòd *delectabiliter, & eligibiliter elicit actum suum, & permanet in actu*. Est ergo libertas *à coactione*, seu *a necessitate antecedente*, quia excludit determinationem ad agendum, quæ veniat ab extrinseco, & *antecedente*; non est autem libertas à *necessitate concomitante*, quia est necessitas, quam Deus sibi imponit per actum suum proprium, & dicitur *dominii*. 1. captivat voluntatem, cùm sit *antecedens*, & permittit ei dominium sui actus, 2. verò, quam sibi imponit voluntas, non tollit illud dominium, sed potiùs est exercitium illius dominii, quod exercet per actum suum, dum agit eligibiliter, & delectabiliter.

Prob. 2. p. ex dictis: nam ex omnium sensu, necessitas non patitur indifferentiam ad agere, vel non agere; ergo opponitur libertati contingentiæ, quæ consistit in illa indifferentia.

Objicies 1. con. 1. p. Si libertas vera staret cum aliqua necessitate, actiones liberæ non differrent à natu-

[1] *Quodlib.* 15. N. n. 10. [2] *Ibid.* K. 8.

naturalibus ; sed conseq. est falsum ; ergo & quòd libertas vera stet cum ulla necessitate. Prob. maj. tam dici potest, quòd motus lapidis deorsum sit à forma ejus intrinseca, sc. à gravitate, quàm ulla talis volitio à voluntate ; ergo tam ille motus esset liber, quàm illa volitio.

Resp. neg. maj. & conf. prob. & Scotus [1] dat disparitatem, quia *lapis est lapis, & grave est grave, voluntas verò est voluntas*. Sc. modus agendi entium venit à formis eorum specificis, & formæ illæ sunt 1. & essentialiter distinctæ ; nec aliunde petenda est ratio, cur unum sic, aliud verò sic agat, aut moveatur, quàm ex formis, & naturis singulorum. Unde *voluntas nunquam est principium agendi naturaliter ; quia esse activum naturaliter, et esse activum liberè sunt primæ differentiæ principii activi, et voluntas est principium activum liberè, quia est voluntas*, &c. Sic non est alia ratio, quare hoc habeat talem modum agendi, puta, naturaliter, vel liberè, nisi quia est tale principium activum, sc. naturale, vel liberum.

Hoc notare placuit ex Scoto, ut capiatur doctrina ejus de libertate tam in Deo, quàm in creatis. Videbimus autem infra, quòd ad meritum, vel demeritum non sufficit hæc libertas, sed requiritur libertas contingentiæ. Per idem patet, quòd nequidem cum prædeterminatione physica,) saltem ut solet explicari) non staret libertas *contingentiæ* ; quia si imponat aliquam necessitatem, illa erit prævia, seu antecedens, & ab extra.

Denique libertas contingentiæ est propria homini viatori, libertas verò dominii, & essentialis est generalissimus gradus libertatis communis voluntati divinæ, & creatæ, per quem agens liberum primò dividitur à naturali.

CONCLUSIO I.

Voluntas non cessat esse libera ad actum pro primo instanti, quo illum habet ; seu non cessat esse libera in ipso exercitio suæ libertatis. Ita Scotistæ, & alii. Sed ut meliùs capiatur.

Suppono, voluntatem spectari posse in triplici statu.

(1) *Ibid. n.* 15.

statu 1. in *actu primo remoto*, sc. prout est potentia de se indifferens ad agere, vel non agere, estque *libertas remota*. 2. in actu *primo proximo*, sc. non ut nuda potentia, sed simul cum omnibus ad agendum requisitis, & tunc dicitur *proximè libera*, quia nihil ei deest præter actualem determinationem, seu volitionem, aut nolitionem. 3. in ipso *actuali exercitio libertatis*, & cum primùm elicit volitionem, aut nolitionem, & tunc est actualiter determinata per actum, quem elicit. Nemo dubitat de 1. & 2. statu, sed agimus de 3. & dicimus, quòd in ipso instanti, quo elicit actum suum volitionis, aut nolitionis, est adhuc libera. Hoc supposito.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Nam *potentia contradictionis non est necessario potentia ante actum; nam cuilibet propositioni contingenti de futuro respondet sua contingens de præsenti*, v.g. huic, *Tu sedebis*, respondet ista, *Tu sedes*, & utraque est contingens; sed hæc de præsenti est magis determinata, & ideò potentia non præcedit actum prioritate temporis, sed naturæ; alioqui Deus non prædestinaret liberè, quia non datur instans, vel tempus durationis ante actualem prædestinationem. Hinc

Prob. 2. Deus in ipsa actuali prædestinatione liberè agit; ergo per usum libertatis non cessat liber esse respectu talis actus; ergo ut voluntas dicatur libera sufficit, ut sit libera priùs natura, quàm ponatur actus: alioqui Deus nunquam esset liber, quia nullum est instans reale, in quo non sit sub omni actu, sub quo esse potest.

Prob. 3. Si Voluntas non esset libera pro instanti, quo agit, nunquam esset actu libera, nec actus liber, & contingens; sed conseq. est falsum; ergo & ant. Prob. maj. 1. quia ex Aug. [2] *Nemo dicitur peccare in eo, quod facturus est, vel quod fecit, sed in eo, quod facit*, sc. de præsenti, & dum est sub actu; ergo voluntas non dicitur libere agere ante actum, vel post, & si non esset libera pro instanti, quo agit, nunquam esset libera. 2. quia alioqui actus non diceretur liber ut existens, sed ut futurus; ergo esset liber, antequam esset, quod absurdum est; *Non entis enim non sunt qualitates*.

Con-

[1] 2. d. 5. q. 2. C. n. 7. [2] Ep. 107.

Confir. quia causa non est causa, nisi quando actu causat, & ad rationem causæ sufficit prioritas naturæ ad effectum; ergo ita est de libertate.

Objic. 1. Quod est actu determinatum, non est actu liberum, sed voluntas in actu 2. exercitii libertatis est actu determinata; ergo tunc non est libera. Min. patet, nam per volitionem actualem determinatur ad unam partem contradictionis, vel contrarietatis. Prob. maj. quia libertas consistit in indifferentia, sed in actu 2. actionis non est amplius indifferens; ergo nec libera.

Resp. dist. maj. quod est determinatum in actu 2. non est liberum in actu 2. con. non est liberum in actu 1. neg. maj. Et sic dist. min. prob. in actu 2. actionis non est indifferens in actu 2. con. in actu 1. neg. min. nam de facto agit ut potentia indifferens, & determinatio actus 2. non tollit indifferentiam 1. Ideo Logici docent, quòd *indeterminatio de possibili stat cum determinatione de inesse*.

Inst. Eadem actio non potest esse pro eodem instanti elicita, & suspensa; ergo nec voluntas indifferens, seu libera, & determinata. Prob. cons. libera dicit actionem suspensam, & ut agens dicit elicitam, quia ut libera, est indifferens ad agere, vel non agere; ergo si manet libertas in actu 1. dum agit, actio erit simul elicita, & suspensa.

Resp. neg. cons. & dist. ant. prob. dicit actionem suspensam, & elicitam sub diverso respectu, con. sub eodem, neg. ant. nam actio dicitur suspensa per ordinem ad potentiam, & in actu 1. & elicita in actu 2. Nam libertas non dicit potentiam simultatis in actibus, seu partibus contrarietatis, sed simultatem potentiæ ad illas: voluntas respicit agere, vel non agere divisim, sc. unum, vel alterum, non autem conjunctim.

Objic. 2. Necessitas opponitur libertati, ac contingentiæ, sed actus voluntatis est necessarius pro instanti, in quo elicitur; ergo pro eo instanti non est liber. Prob. min. omne, quod est, non potest non esse pro eo instanti, in quo est; alioqui esset, & non esset; sed actus est pro instanti, quo elicitur; ergo tunc necessariò est.

Resp. neg. 1. min. & dist. maj. prob. omne, quod est,

est, non potest non esse in sensu composito, con.in sensu diviso, & simpliciter, neg. maj. & cons. volitio actualis, ut actualis, & in sensu composito suæ existentiæ, non potest non esse; sed divisim, & per respectum ad voluntatem posset non esse, quia voluntas est de se libera, & indifferens ad illum actum, etiam quando illum habet.

QUÆSTIO VI.

De causa radicali nostræ libertatis, quomodo dependeat à Deo, & ab intellectu.

DIco, *Radicali*, nam de *efficiente* certum est, eam esse à solo Deo, sicut & tota anima, & totum esse omnium. Item de *materiali*, & *subjectiva* patet ex præcedenti, quòd est in sola voluntate formaliter. De *finali* nihil speciale inquirendum est pro nunc. Restat ergo quærendum de radicali tam intrinseca, quam extrinseca, & 1. an pendeat à judicio intellectus, ita ut si hoc sit determinatum, proponat objectum sub unica ratione volibilitatis, voluntas non possit non velle, & è contra non possit illud velle, sed necessitetur ad fugiendum, si proponat illud sub unica ratione odibilitatis, & ita est de judicio *ultimo*, seu practicè practico; v.g. si judicet, *Deus est hic, & nunc amandus*, non possit voluntas omittere amorem. 2. Quæritur, an sic libertas nostra dependeat à divina, ut si Deus non ageret liberè, adhuc voluntas nostra ageret liberè, utrumque dubium jam tetigimus in præcedenti, sed pauca addenda ad pleniorem hujus materiæ intelligentiam, quæ maximi est momenti ad intelligentiam actuum humanorum.

Suppono autem, quòd in Deo *libertas*, & *omnipotentia* distinguuntur inter se, & ab essentia formaliter ex natura rei, sicut cætera ejus attributa; nam libertas est principium agendi delectabiliter, & eligibiliter, & cùm indifferentia; omnipotentia verò est principium agendi infinitè, & si Deus non esset liber ad extra, adhuc esset omnipotens, & è contra si non esset omnipotens, adhuc posset esse liber; ideò meritò quærimus, an libertas nostra pendeat ab omnipotentia, vel à libertate Dei.

CON-

CONCLUSIO I.

Libertas nostra sic pendet extrinsecè à libertate Dei, & in ea radicatur, ut si Deus non esset liber ad extra, nec voluntas nostra liberè ageret: intrinsecè autem ipsamet voluntas nostra est radix suæ propriæ libertatis. Ita Scotistæ, & alii contra Thomistas, & iam tetigimus in Metaph.

Prob. 1. ex Scoto,[1] qui sic argumentatur: *Aliquid causatur contingenter; ergo causa 1. contingenter, & volens causat. Prob. cons. Qualibet causa 2. causat, in quantùm movetur à prima, & si prima necessariò movet, ita erit de 2. Prob. cons. Omnis causa, quæ agit ut mota ab alia, si necessariò movetur ab illa, ipsa quoque necessariò movet, & agit; sed si Deus non esset liber ad extra, voluntas nostra, sicut & omnis causa 2. necessariò moveretur à Deo; ergo & necessariò ageret.*

Dices, mai. esse falsam, quia motio 1. causæ recepta in 2. modificatur ab illa, in qua agit secundum modum ejus, qui est agere contingenter juxta commune axioma, *Quidquid recipitur* &c.

Contra 1. quia causa necessaria agit, in quantùm potest; ergo si Deus ageret necessariò in voluntate nostra, ageret infinitè, & secundum totam potentiam suam, quæ est infinita; at causa finita non potest limitare infinitam, nec impedire effectus ejus; ergo replica vana est, & major Scoti est vera: sequitur enim, quòd potentia Dei se sola produceret omnia, quæ jam producit cum creatura, quia non posset se ipsam attemperare, nec expectare concursum ejus, ut facit, quia id facit merè liberè.

Contra 2. Nam replica supponit, concursum, & actionem Dei recipi in causa 2. immediatè, non verò in ipsis effectibus, quod ex dictis in Physica constat esse falsum; ergo & falsum est, actionem Dei recipi in voluntate nostra. Ideo,

Prob. 2. Deus priùs natura agit in effectum, quàm causa 2. ergo si in illo priori Deus ageret necessariò, effectus ab eo totaliter produceretur, & volũtas nostra non daret illi contingentiam in instanti posteriori.

Ant.

[1] 1. *d.* 2. *q.* 2. *O. R. n.* 20. & *d.* 2. 8. *q.* 5. K. *n.* 19. & *d.* 39. 1. *n.* 12.

Ant. supponitur ex dictis in Physica de causa 1. quòd sit prior natura, ordine, & dignitate, & concursus ejus sit independens à nostro, immediatiùs immediatione virtutis attingat effectum, licèt sit simul tempore cum actione nostra. Prob.cons in 1. instanti naturæ effectus supponitur existens per causam principaliorem, & efficaciorem, sed Deus est causa principalior, & efficacior actionum voluntatis, & ageret necessariò pro omni suo posse; ergo voluntas nostra non tolleret ab effectu necessitatem, nec daret ei contingentiam.

Confir. tum quia causa dependentior, ignobilior, & debilior, & finita, qualis est creatura, non potest impedire effectum potentioris, & infinitæ, ut est Deus: tum quia idem effectus esset simul necessarius, & contingens, imò & ipsa eadem actio, nam ex adversariorum sententia concursus Dei, & creaturæ sunt eadem actio.

Prob. 3. Si libertas contingentiæ non esset in Deo, non esset in nobis, quia nulla perfectio est in creatura, nisi participatè à Deo; ergo si Deus non ageret liberè ad extra, nec nos liberi essemus, ergo libertas nostra pendet à Dei libertate, & in illa radicatur. Prob. ant. quia implicat, dari perfectionem in creatura, vel ullo ente, quæ non sit in Deo eminenter; sed libertas est maxima perfectio; ergo si non esset in Deo, ita nec in creatura.

Prob. 2. p. 1. ex Scoto [1] docente, cotingentiam actuum nostrorum haberi *non solum à causa proxima*, sc. à voluntate nostra, *sed etiam à causa prima*, & quòd *præcisò omni libero arbitrio humano, Angelico, & Divino, omnia evenirent de necessitate, & nihil contingenter eveniret*; ergò libertas ista residet intrinsecè in voluntate nostra æquè, ac in Deo, quod patet ex quæst. præcedenti: nam libertas est intrinseca voluntati, nec in hoc immorandum, sufficit hoc addidisse; ut meliùs capiatur mens Scoti, & nostra, & hoc videant, qui ei imponunt, quasi velit unicam, & totalem causam nostræ libertatis peti à Divina, quod ne quidem somniavit.

Objic. 1. Arist. putat, Deum agere necessariò, & tamen agnoscit in rebus contingentiam, & in nobis liber-

[1] d.39.q.un.

libertatem; ergo contra ipsum est dicere, quòd, si Deus ageret necessariò, nulla esset libertas in nobis.

Resp. con. totum, nec in hoc audiendus Arist. qui errat in cognitione Dei nostri, & non mirum, quòd erret in consequenti, qui errat in principio.

Inst. Contingentia dicit imperfectionem in Deo; ergo rectè illam negat Arist. in Deo, & nos malè arguimus eum. Prob. ant. libertas contingentiæ dicit potentialitatē ad oppositos actus; sed omnis potentialitas repugnat Deo, quia est actus purissimus; ergo &c.

Resp. neg. ant. & dist. maj. dicit potentialitatem activam con. maj. & neg. min. passivam, neg. maj. & conf. potentialitas passiva dicit imperfectionem, ideo repugnat Deo, sed activa dicit perfectionem, & virtutem, quæ tanto major est, quantò plura respicit.

Objic. 2. Effectus aliarum creaturarum non amittunt contingentiam propter concursum unius causæ necessariæ; ergo nec actus humani, licèt Deus ad eos concurreret necessariò; ant. patet, nam sydera influunt necessariò, & naturaliter in actus nostros cum voluntate, quæ non desinit esse libera. Prob. conf. tum quia est utrobique par ratio, tum quia in syllogismo licèt una præmissarum sit necessaria, conclusio non desinit esse contingens propter aliam præmissam contingentem, & probabilem, quia effectus, sicut conclusio sequitur debiliorem partem; ergo &c.

Resp. neg. utramque conf. & disparitas est 1. quia ambæ causæ creatæ sunt finitæ, & neutra potest se sola ponere totum effectum, ut Deus cum creaturis, qui est agens infinitum, & totum effectum se solo poneret, si ageret ad extremum virtutis suæ, & necessariò. 2. quia conclusio sequitur necessariò vi formæ ex qualibuscumque præmissis; contingentia verò venit ex parte materiæ illarum, ergo paritas nō valet.

Inst. 1. Cum effectus pendet à pluribus causis ordinatis, defectus illarum inducitur in effectum; ergo si una est contingens, ita & effectus, quia contingentia est defectus præ necessitate, quia est quædam defectibilitas; ergo si Deus concurreret necessario ad volitiones nostras, non minùs essent contingentes propter voluntatem nostram. Prob. ant. ex illis regulis; *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu.* Et, *Effectus numquam superat causam suam.*

Resp.

Resp. dist. ant. Si omnes de facto influant, nec una præveniatur, vel impediatur ab influxu, con. si una sit potentior, & independens, altera dependens, & præveniatur, aut impediatur, neg. ant. & conf. nam, ut dicebamus, causa 1. quæ est infinitè potens, & priùs natura ageret, & necessariò, & ad extremum suæ potentiæ præveniret 2. & totum effectum se sola poneret.

Resp. 2. neg. suppositum argumenti, nempe quòd causa 2. ageret liberè, vel esset libera: hoc enim falsum esset, si Deus non esset liber.

Inst. 2. Voluntas esset ejusdem naturæ, ac nunc est, sed nunc est essentialiter libera; ergo & tunc.

Resp. neg. maj. Nam implicante libertate in Deo, implicaret etiam creatura libera.

Resp. 2. dist. min. est essentialiter libera in actu 1. conc. in actu 2. & quoad exercitium, neg. min. quia in casu posito, voluntas non posset exercere suam libertatem ob suam dependentiam à concursu Dei, qui esset necessarius.

Inst. 3. Concursus etiam Dei nunc est ejusdem naturæ, qualis esset tunc, sed nunc non tollit libertatem; ergo neque tunc tolleret. Prob. maj. nunc, & de lege posita Deus necessariò concurrit, & eodem concursu; ergo concursus Dei est ejusdem naturæ, & tam necessarius, quàm esset tunc.

Resp. neg. ant. utriusque argum. nam nunc, & de facto concursus Dei est liber, & per consequens attemperatus modo nostro agendi, & in casu supposito esset necessarius, & sine attemperatione; sed absolutus, & infinitus.

Objic. 3. Sequeretur, totam libertatem voluntatis refundi in Deum, ita ut actus nostri totam suam contingentiam haberent ab eo, & nihil à nobis, sed conseq.. est falsum; ergo & ant. Prob. maj. nam si quid haberent à nobis, illud non posset nisi esse contingens; ergo &c.

Resp. neg. maj. & conf. prob. Nam sequeretur tantum, vel quod implicaret in nobis libertas, si repugnaret Deo, vel voluntas nostra esset tantùm libera in actu primo, quod in actu secundo, seu de facto nihil ageret, quia præveniretur à Deo, ut diximus.

CON-

CONCLUSIO II.

V*Oluntas non determinatur in actibus suis per judicium practicum ultimum intellectus ita, quin posset illud non sequi*. Est contra eosdem.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] q. præcedenti, nam si voluntas determinaretur à judicio practico, libertas tota esset in intellectu, non in voluntate. Scotus verò docet, quod *nihil aliud à voluntate est causa totalis volitionis*, & rationes, quas ibi adduximus pro hac conclusione, sufficiunt. Præterea

Prob. 2. ex Arist. [2] *Præcipiente intellectu, & dictante intelligentia fugere aliquid, aut prosequi, non movetur* (voluntas) *sed secundum concupiscentiam agit, ut incontinens* (vel ut legunt Conimbricenses) *intellectus jubet nonnunquam, ratioque fugere aliquid, aut prosequi dicit, at non obtemperat homo, neque movetur, sed agit cupiditate, ut in ipso fieri solet incontinente*. Et alibi dicit, quòd *nonnulli opinantur quidem meliùs, sed propter pravitatem eligunt, quæ non oportet*. Item, *Voluntas incontinentis appetit id, quod non putat esse faciendum*; ergo ex Philosopho voluntas non determinatur per judicium ullam intellectus, sed potiùs sæpè facit contrarium.

Prob. 3. ex SS. Patribus. Nam sæpe *quid sit agendum videmus, nec agimus, quia non delectat*, ait August. [3] *Ecce videmus, quid agendum, & tamen nolumus agere*. Et S. Ber. *voluntas licèt non sine ratione, tamen contra rationem potest eligere minus bonum*. Et patet ex Evangelio de servo, *qui novit voluntatem Domini, & non præparavit, & non fecit, vapulabit multis*; ergo posito quocumque judicio intellectus, voluntas potest non sequi, imò & facere oppositum.

Prob. 4. rationibus adductis suprà de radice libertatis, v. g. quod ipse intellectus determinetur in suis judiciis ab objectis, & sic non est liber, nec libertas aliter ab illis peti potest, quàm velut ex applicatione objecti ad potentiam, & conditione sine qua non; quia intellectus officium in nobis non est nisi ostendere, quid

[1] 2.*d*.25.*S*.*n*.22.3.*de An*.*q*.47.
[2] 3.*Ethic*.*c*.2.& 14.
[3] *Ps*. 123.*de lib*.*arb*.

quid agendum, non autem imperare, aut movere physicè, nec determinare voluntatem, aut alias potentias, id soli voluntati competit.

Prob. 6. De ratione potentiæ liberæ est, ut, positis omnibus ad agendum requisitis, possit agere, vel non agere; sed judicium ultimum practicum est voluntati unum ex prærequisitis ad agendum; ergo vel voluntas non est libera, vel posito illo judicio potest agere, vel non agere id, quod judicatur agendum.

Prob. 7. Si voluntas non posset agere contra judicii ultimi dictamen, nunquam esset in ea peccatum, quin esset error in intellectu, sed hoc est falsum; ergo & illud. Prob. min. nam alioqui frustra diceret Scriptura, *Scienti bonum, & non facienti peccatum est illi*.

Prob. 8. quia stante judicio ultimo de inæqualitate mediorum, & dictante melius eligendum, voluntas potest eligere minus utile; unde enim illi veniret necessitas eligendi utilius; ergo &c.

Objic. 1. Arist.[1] docet, illud eligi à voluntate, *quod fuit consultatione deliberatum*, & quòd voluntas *sequitur judicium rationis*. Et D. Bern. dicit, quòd voluntas *quocumque se vertat, semper comitem habet rationem, quia nunquam sine ratione movetur*; ergo determinatur per judicium.

Resp. neg. conf. Nam Arist. & Patres volunt tantum, quòd voluntas debeat dirigi per intellectum, & sequi ejus dictamen, si velit rectè agere, quod non negamus, nec de hoc quæstio est: non negant, sed potiùs asserunt, eam posse non sequi rationis judicia, ut patet ex locis citatis.

Objic. 2. Quandiu intellectus proponit objectum indifferenter, voluntas manet indifferens, ergo determinatio venit ab intellectu practico. Prob. ant. sicut voluntas absolutè non fertur in incognitum, ita non fertur, nisi prout est cognitum; ergo si sit cognitum indifferenter, illa manet indifferens.

Resp. neg. ant. utrumque, nam licèt judicium sit problematicum, aut dubium, voluntas potest se determinare pro libitu ad unam partem; imò quoties videt *meliora, probatque* per intellectum, *& deteriora sequitur*, ut contingit, quoties peccat.

Inst.

[1] 3. *Ethic. c. 3. & l. 6. c. 12. & 13.*

Inst. 1. Quando judicium dictat determinatè amandum esse, si voluntas posset non amare, non posset ea dare rationem, cur ita faceret; sed hoc cons. est absurdum; ergo & ant. Prob. min. nisi enim posset dare rationem facti sui, non esset rationalis, quia ageret sine ratione; & de facto nemo est, qui interrogatus, cur sic agat, non det rationem sui actus.

Resp. neg. maj. Nam voluntas semper agit ex aliquo fine, quem quisque allegat pro ratione sui actus, & quem illi proposuit intellectus sub aliqua ratione boni prohibiti, vel honesti; v.g. ostendit furtum ut prohibitum, sed utile, & voluntas spreta prohibitione præfert utilitatem; idem est de fornicatione, & aliis peccatis.

Inst. 2. Objectum voluntatis est bonum cognitum ut bonum; sed non cognoscitur ut bonum, nisi per judicium practicum, & determinatum; ergo, &c.

Resp. neg. min. Requiritur quidem cognitio aliqualis malitiæ, aut bonitatis rei, ut ametur, vel odiatur, sed non requiritur semper judicium practicum; nec per istud sic determinatur voluntas, ut non possit conformari illi.

Restat ergo, plenam libertatem esse in voluntate, & licèt dicamus, eam pendere à libertate Dei, tamen hæc dependentia est extrinseca in sensu prædicto, & pendet etiam ab intellectu, sed tanquam à dirigente, & illuminante, ut diximus, cui potest non se conformare; alioqui frustra desudarent Theologi ad probandum, eam debere conformare se dictamini conscientiæ, & opinioni probabiliori, & tutiori, quandoquidem non posset discordare à judicio practico, eò vel maximè, quia intellectus determinatur ab objectis ad opinandum.

QUÆSTIO VII.

Quid importet libertas formalis supra entitatem physicam actuum voluntatis.

AD pleniorem libertatis cognitionem quærimus, an illa sit adeò intrinseca actui, ut ille idem, qui nunc est liber, non potuerit esse non liber, an saltem sit modus illi intrinsecus, & inseparabilis, ac indistinctus

ctus realiter, an verò modus quidam solùm extrinsecus, & accidentalis?

Suppono autem, quod omnis volitio, & nolitio positiva est qualitas positiva verè, & physicè producta; & distincta à voluntate, ut probatum est suo loco; nam inter producens, & productum est distinctio realis, & inter causam, & effectum dantur multæ relationes, v.g. causæ ad causatum, & causati ad causam in genere, in specie, & in individuo. Sic in omni actu voluntatis datur respectus in voluntate ad illum, ut causæ ad causatum, & producentis ad productum, &c. Quòd si voluntas sit causa naturalis, aut necassaria sui actus, insurgent respectus, qui importabunt formalitates, seu denominationes naturalitatis, aut necessitatis; & si causat libere, illi respectus importabunt formalitates, aut denominationes libertatis, & tales respectus dicimus actiones, & passiones.

Item sicut in voluntate distinguimus *libertatem proximam*, qua, positis omnibus ad agendum requisitis, possit agere, vel non agere, & *remotam*, quæ nihil est distinctum ab entitate potentiæ cum dominio aptitudinali in suos actus: ita est de actibus ejus; nam dicuntur *remotè*, seu *aptitudinaliter* liberi, quatenus sunt à potentia, quæ de se nata est agere, vel non agere; *proximè* autem, seu *formaliter*, quatenus exeunt de facto à voluntate sic disposita, ut in iisdem circumstantiis, in quibus eos producit, posset non eos producere, seu non agere.

CONCLUSIO.

Libertas est essentialis actui, sed hic dicitur liber per denominationem extrinsecam à libertatate voluntatis, à qua producitur, vel etiam à productione passiva. Est communior.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Nam *formalis*, seu essentialis *ratio voluntatis in principiando est libertas, quæ non ita convenit ipsi volitioni*. Et infrà, *Voluntas ut in nobis sit actus primus, libera est ad actum volendi, non autem ipse actus volendi est liber, sive principium liberum producendi aliquid*. Nam si actus ille

[1] 1.*d*.13.*q*.1.*G*.*n*.5.

ille producat aliquid, v. g. habitum, id non facit liberè, ſed ut cauſa naturalis. Loquitur Doctor [1] de libertate activa, non de paſſiva, quæ eſt in actu producto liberè. *Actio volendi in nobis non eſt formaliter libera, ſed ipſa voluntas; quia actio illa eſt quædam qualitas; & quædam forma naturalis in ſe, & non aliquid intellectuale habens inclinationem ad oppoſita;* ergo ex Scoto, volitio non eſt in ſe formaliter libera, ſed à voluntate ſic eam producente, ut poſſet non producere. Quod confirmari poteſt ex dictis, ſc. quòd volitio eſt qualitas abſoluta, quæ produci poteſt à ſolo Deo in voluntate merè paſſivè ſe habente; tunc enim non eſſet libera voluntati.

Prob. 2. quoad 1. p. Eadem volitio de libera fieri poteſt non libera, & viciſſim; ergo libertas non eſt illi eſſentialis, ſed accidentalis. Prob. ant. Idem numero amor per defectum, vel adventum advertentiæ fit de non libero liber, aut de libero non liber. Item in actu primo potuit eſſe non liber defectu concurſus ex parte Dei, & fieret liber in actu ſecundo, adveniente concurſu Dei. Denique eadem omiſſio, quæ in primo inſtanti eſſet libera, quia adſunt omnia requiſita ad agendum actum, qui omittitur, poteſt eſſe non libera in ſecundo, ſi Deus tunc vellet negare concurſum ſuum; ergo, &c.

Dices, in illis caſibus variari actus propter mutationem advertentiæ, aut concurſus ad meritum, vel defectum.

Contrà. Cognitio non influit phyſicè in volitiones, ſed per modum conditionis proponentis objectum, ut objectum eſt; ergo non cauſat diverſitatem in volitione. Idem eſt de concurſu; nam eodem concurſu poſſet Deus producere ſe ſolo volitionem eandem, quam producit cum voluntate; ergo identitas, vel diverſitas concurſus non variat volitionem.

Confir. quia eadem volitio producta à voluntate indifferenti eſſet libera, & producta à ſolo Deo in voluntate non eſſet libera; ergo libertas eſt illi accidentalis.

Prob. 3. Nam hoc ipſo, quod volitio procedit à potentia libera, & quæ ſic eam habet, ut poſſet non habere, ſufficienter, & verè dicitur libera; ſed talis

[1] *d.*12.*H.n.*14.

denominatio est extrinseca; nam libertas illa se tenet ex parte potentiæ; ergo actus dicitur liber per denominationem extrinsecam.

Prob. 2.p. 1. quia si admittatur in actibus relatio causati ad causantem quæ dicitur passio correspondens formali actioni productivæ, actus verè est liber, & illa relatio verè inest actui producto; ergo illum denominat liberum. Prob. ant. actio productiva, quæ est in voluntate agente, est in se libera; ergo & passio illi correspondens. Quod à fortiori debent dicere, qui ponunt actionem in passo, nec volunt eam distingui a passione.

Objic. 1. con. 1. p. Vitalitas est intrinseca, & essentialis volitioni, ergo & libertas: ant. patet; Deus enim non potest facere, ut de non vitali fiat vitalis, velè contra. Prob. conf. libertas est modus quidam vitalis; ergo tam est inseparabilis ab actu, quàm vitalitas.

Resp. dist. ant. Vitalitas remota, & in actu primo, conc. proxima, & in actu secundo, neg. utrumque ant. nam loquimur de libertate in actu secundo, & proximo, & hæc non est modus intrinsecus vitalitatis, sed extrinsecus.

Inst. Libertas in actu primo est essentialis principio vitali; nam per hanc voluntas differt essentialiter ab appetitu bruti; ergo in actu primo est essentialis vitalitati actus. Prob. conf. omni actui primo correspondet 2. proportionatus; ergo si vitalitas in actu primo est essentialis principio vitali, seu voluntati, ita & libertas actui ejus 2.

Resp. neg. utramque conf. nam sufficit, quòd actus voluntatis natus sit fieri liberè, & hæc proportio cum actu primo sufficit; alioqui amor beatorum, & Dei non posset esse necessarius, quia est à voluntate libera: quod est falsum in bona Theologia.

Objic. 2. Actus liber, & necessarius petunt esse à potentiis essentialiter diversis; ergo & ipsi differunt essentialiter. Prob. ant. potentia non libera non potest producere actum liberum; ergo nec libera potest producere necessarium.

Resp. dist. ant. Liber, & naturalis, con. actus pr. cisè necessarius, & non contingens, neg. ant. & con seq. prob. nam potentia remotè libera potest producere actum proximè necessarium, ut patet de volun tate

be-

beata, & hoc sufficit ad diversitatem actuum: Aliter est de necessitate naturali, & libertate contingentiæ, quæ non possunt venire ab eadem potentia.

Inst. Voluntas non potest habere actum, qui non sit voluntarius; ergo nec qui non sit liber: quia liberum, & voluntarium connectuntur.

Resp. neg. conf. & rationem ejus: nam hæc duo longe differunt, ut patet ex dictis.

Objic. 1. con. 2. p. Libertas in voluntate agente est quid physicum; ergo est quid reale intrinsecum voluntati. Prob. ant. nam libertas in volitione est terminus physicus voluntatis, ut operativa est.

Resp. dist. ant. Libertas actualis, & proxima est quid physicum accidentale actui, con. essentiale, neg. ant. nam actualis, & proxima in voluntate, ut operante, est tantùm modus extrinsecus, quo denominatur liberè operans, seu cum expedito usu libertatis essentialis; ideò nihil reale intrinsecum ponit in actu suo, præter denominationem extrinsecam petitam à libertate voluntatis.

Inst. 1. Voluntati ut productivæ respondet entitas volitionis ut productæ; ergo & voluntati ut liberæ respondet libertas in volitione; ergo hæc erit intrinseca volitioni. Prob. conf. voluntas tam producit ut libera, quàm ut activa; ergo tam debet ei correspondere libertas in volitione, quàm ulla alia entitas.

Resp. neg. conseq. & dist. ant. prob. Tam producit ut libera libertate remota, vel proxima, con. proxima. neg. ant. nam libertas proxima se habet accidentaliter ad illam productionem; & neg. conf. nam sicut voluntas dicitur liberè agens in actu secundo propter circumstantias, quæ illi permittunt indifferentiam actualem quoad exercitium nativæ libertatis, ita libertas ista actualis est accidentalis illi actui, in quo nihil ponit intrinsecum.

Inst. 2. Libertas, quæ est in volitione, potest esse objectum specialis complacentiæ Dei, qualis non erit in volitione non libera; ergo illa libertas est quid intrinsecum illi volitioni. Prob. conf. nisi esset aliquid intrinsecum in illa, quod non est injusta, non posset sic movere Deum ad complacentiam propter denominationem purè extrinsecam.

Resp. neg. conf. & ant. prob. Nam actus externus

potest terminare Dei complacentiam, & tamen non est liber intrinsecè.

Objic. 2. Voluntas dicitur intrinsecè, & activè libera in agendo propter actum, quem elicit; ergo & ipse actus erit intrinsecè liber propter libertatem passivam.

Resp. neg. ant. Nam posset producere eundem actum non liberè. Ideo dicitur libera non præcisè propter actum, sed propter circumstantias requisitas ad liberum exercitium libertatis.

Objic. 3. Actus interni voluntatis, & ab ea eliciti aliter sunt liberi, quàm externi eliciti ab aliis potentiis, quos illa imperat; sed externi sunt liberi per denominationem extrinsecam; ergo interni sunt liberi per intrinsecam.

Resp. dist. maj. aliter, quia interni sunt immediatè liberi, sicut & immediatè eliciti, con. quatenus libertas formaliter illis inhæret, neg. maj. & conf. actus ergo eliciti à voluntate sunt liberi per denominationem immediatam, & externi per mediatam; sed neutris libertas inhæret formaliter.

Fateor tamen, quòd, si libertas in actione, qua formaliter voluntas elicit volitionem, sit aliquid physicum intrinsecum, quo distinguatur ab alia actione, qua produceretur volitio necessaria, tunc dici poterit, quòd in illis fundentur diversæ relationes, & denominationes intrinsecæ passionis, seu libertatis, & necessitatis passivæ. An verò id ita sit, nec ne parum interest.

QUÆSTIO VIII.

Quodnam voluntarium requiratur ad actum verè moralem.

QUia non agimus hìc de voluntario, & libero, nisi in ordine ad actus humanos; seu morales, videndum, an quæcunque voluntarietas ad illos sufficiat, sive sit libertas, seu voluntarietas essentialis stans cum necessitate, seu spontaneitas, seu libertas à coactione, sive sit libertas *contingentiæ*, & hoc propter quosdam hæreticos, qui non agnoscunt in homine post peccatum Adæ libertatem *indifferentiæ*, seu *contin-*

tingentiæ, & *specificationis*, aut *contradictionis*, & putant, libertatem à *coactione*, & violentia sufficere ad moralitatem, seu imputabilitatem: contra primum illum errorem negantem existentiam libertatis nihil restat dicendum; veritatem catholicam sustinuimus supra ex Scriptura, Conciliis, & SS. Patribus, sc. existentiam liberi arbitrii. De secundo agendum, maximè contra Bajanos; [1] & alios quosdam recentes, qui docent, quòd *ad merendum, vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate* (qualis est libertas contingentiæ) *sed sufficit libertas à coactione*, inquit Bajus, & quòd *homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessariò facit*. Et *libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed libertas à peccato*. Et ab Alexandro VIII. 17. Decembris anni 1690. damnata [2] est inter alias hæc propositio *in statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua peccatum originale in voluntate Adam peccantis*. Sit igitur

CONCLUSIO.

Actus voluntatis ut sit humanus, & moralis, debet esse voluntarius perfecta voluntarietate, seu libertate contingentiæ, seu indifferentiæ; nec sufficit libertas à coactione. Ita Catholici, & videtur de fide.

Prob. 1. ex Scriptura, & Patribus, qui libertatem illam docent nobis datam, ut agamus bonum, si volumus. *Dedit nobis potestatem filios Dei fieri*. Unde notat S. Hilar. [3] *Hinc mens noscit, esse filios Dei, non necessitatem esse, sed potestatem*. Quod etiam notat Chrysost. [4] *Non dixit, fecit eos filios Dei fieri, ut ostendat multa nobis opus esse diligentia, ut adoptionis impressam imaginem puram servemus, atque intactam*: quod iisdem ferme verbis notat Theophylactus, *scilicet Dei gratia nostræ diligentiæ, & electioni commissa, ut eam servemus, vel abjiciamus*. Colligitur ex aliis multis Scripturæ locis, ut cùm D. Paulus [5] dicit, *Non habens necessitatem, potestatem autem habens*

D 4 *suæ*

[1] *Propos.* 3. *n.* 67. & 41. [2] *Props.* 1.
[3] 1. *De Trin.* [4] *Hom.* 9. *in Joa.* [5] 1. *Cor.* 7.

sua voluntatis; sic enim à voluntate hominis excludit necessitatem: [1] *Non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* scilicet ex libertate indifferenti hominis ad sua opera colligit Dei libertatem circa homines, quod Christus significarat comparans Patrem suum homini, qui [2] *peregre profectus reliquit domum suam, & dedit servis suis potestatem cujuscumque operis*: ibi vides libertatem non tantùm contradictionis, & exercitii, sed etiam contrarietatis, & specificationis; quippe *quæ in potestate nostra sunt, ea sicut volumus diligentia nostra disponuntur*, inquit Euseb. [3] *ea in nostra potestate sunt, quæ æquè in utramque partem contingunt, ut moveri, & non moveri, mentiri, & non mentiri, dare, & non dare*. Denique *quæcumque hujusmodi sunt, ut in iis vitii, aut virtutis opera insint*, inquit Nemes. cit. qui per ultima verba docet, hanc libertatem indifferentiæ esse generaliter in omnibus actibus humanis, seu moralibus, qui vitio, vel virtuti imputantur.

Ad idem facit illud sapientis; [4] *Apposui tibi ignem, & aquam, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum; quod placuerit ei, dabitur illi*. Non loquebatur de homine integro, & in statu innocentiæ, sed de homine lapso. *Deus ergo dicit, posui ante vitam, & mortem, ad quod volueris, extende manum tuam; Dæmon dicit, non est in te, ad quod extendas manum tuam, sed necessitate quadam id agis. Videntur ne tibi hæc fide digniora?* inquit Chrysost. [5] Unde dicitur *Beatus ille, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino*, &c. & certè id non esset, si ex necessitate fecisset, fuissetque determinatus ad illud bonum, non autem indifferens; & è contra immeritò puniretur, si ex necessitate peccaret, [6] *Subjicit tibi Diabolus scortationis cogitationis, si vis, probas, si nolis, improbas*. Nota illationem S. Cyrilli, [7] *Si enim ex necessitate scortareris, cujus gratia Deus gehennam parasset?*

Prob.

[1] Rom. 9. [2] Mar. 13. [3] Præpar. Ecum. l. 6. c. 7.
[4] Eccl. 15. [5] Ser. 2. de provid.
[6] Eccl. 31. [7] De statu hom. cath. 4.

Prob. 2. ex Conciliis, & decretis Ecclesiæ. Nam Concilium Constantiense, Coloniense, Senonense, & novissime Tridentinum (ut antiquiora omittam) docent, in homine adesse libertatem ad cooperandum gratiæ, & non cooperandum; *Si quis dixerit, liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari Deo excitanti, neque posse dissentire, si velit, Anath. sit*; cooperari autem, & non cooperari, seu dissentire sunt actus oppositi contrariè, aut contradictoriè; ergo definiunt, in homine esse libertatem moralem, seu indifferentiæ. Id confirm. ex Bullis Pontificiis Pii V. Gregorii XIII. Urbani VIII. & Innocentii X. ex quibus damnantur prædictæ Baji, & Jansenii propositiones, & aliorum, qui negant hujusmodi libertatis existentiam, vel necessitatem ad meritum, vel demeritum, seu ad actus morales: & ex Constit. Alexandri VIII.

Prob. 3. specialiter ex SS. Patribus. *Animi* (inquit August.) [1] *si libero ad faciendum, & non faciendum motu careant, si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, eorum peccatum tenere non possumus*: & alibi: [2] *Quæcumque ista causa est voluntatis, si non ei potest resisti sine peccato ei ceditur; quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? peccatur autem; ergo caveri potest*. De virtute idem docet Hieron. [3] *dedit eis mentis propriæ libertatem, & ut viveret unusquisque non ex necessitate, sed ex voluntate, ut virtus haberet locum*; ergo si adsit determinatio, seu necessitas agendi, virtus non habebit locum; *Voluntas habet pœnam, necessitas veniam*, ait Optat. Milevit. *Qui operantur bonum, & gloriam, & honorem percipiunt, quoniam operati sunt bonum, cùm possent non operari illud. Qui autem illud non operantur, judicium justum recipient Dei, quia non operati sunt bonum, cùm possent operari illud*, inquit S. Irenæus: idem docent communiter alii SS. Patres, quos citat Ripalda.

Prob. 3. ex Scoto, [4] qui præ cæteris Scholasticis Orthodoxis expressè pugnat pro libertate essentiali, quam vult stare cum necessitate, & talis est libertas, qua Deus se amat, & qua spirat Spiritum Sanctum,

[1] *de lib. arb. c. 21.* [2] *de lib. arb. c. 18.* [3] *Ep. 147. l. 7. adv. Parmen.* [4] *to. 3. de ente supern. l. 2. d. 14.*

& hanc libertatem vocat *essentialem*; quia est essentialis voluntati, *& dominii*, quia per ipsam est domina sui actus, ita ut ad eum non determinetur ab aliquo agente extrinseco, sed se ipsam delectabiliter, & complacenter determinat; & opponitur *coactioni*, non autem *necessitati*; sed tamen aliam agnoscit, quam vocat *contingentiæ*, *& contradictionis*. Potentia *rationalis perfecta*, *qualis est voluntas*, *quamvis sit contradictoriorum*, *poterit determinare se*, *objecto præsente*, *ad unum illorum*. scilicet velle, vel non velle. Et clariùs dixerat, [1] quòd *in potestate voluntatis est non tantum sic*, *vel sic velle*: *sed velle*, *vel non velle*: *quia libertas ejus est ad agendum*, *vel non agendum*: & clarissimè, [2] *In potestate voluntatis nostræ est habere nolle*, *& velle circa objectum*.

Hanc autem libertatem requirit ad actus morales: unde ponit hoc generale principium, scilicet: *quòd malitia primò*, *& formaliter non est nisi in aliquo actu voluntatis*; sic justitia, seu actus virtutis est pariter in voluntate, & id probat ex S. August. *Causa primò peccandi est voluntas*; *nihil enim est peccatum*, *nisi quod est in potestate facientis*, *& nihil est in potestate facientis*, *nisi quod est in potestate voluntatis ejus*; *quia nihil præter hoc est imputabile*, &c. ergo actus moralis debet esse plenè liber libertate opposita necessitati; quia quod est necessarium, non est in potestate facientis, ut dicebamus ex SS. Patribus; ergo de mente Scoti in hac quæstione, nulla est ratio dubitandi, quin requirat voluntarium, seu libertatem perfectam immunem à necessitate, & id tam expresse docet, ut mirum sit, cum Ripaldæ [3] videri ambiguum; si legerit eum dicentem, quòd *propriè loquendo de actibus humanis*, *causantur per intellectum*, *& voluntatem ab homine*, id est cum advertentia, & intentione, ac libertate plena; & quod *actus*, *ad quem obligatur homo*, *debet esse humanus*, *& maximè dico*, *quòd laudabile*, *& vituperabile*; *imo generalius præmiabile*, *& punibile continentur sub hoc communi*, *quod est imputabile*, *& illius communis est una ratio*, *hæc scilicet*, *actum esse in libera potestate agentis*, *& licet ad istam*

[1] *Quodl.* 16. *N.* & 2. *d.* 25. *fin.* & 1. *d.* 1. *q.* 4. *n.* 18. *&c.*
[2] 2. *d.* 42. *q.* 4. *A. a.* 1. & 2. [3] *Ibid. disp.* 15. *n.* 154. 4. *d.* 6. *q.* 5. *B. n.* 3.

istam potestatem concurrant intellectus, & voluntas; tamen illa indifferentia, qua posset non fieri illud, quod fit, & posset fieri illud, quod non fit, ista, inquam, indifferentia, vel indeterminatio ad alteram partem non potest complete reduci, nisi ad ipsam voluntatem .... Voluntas sola habet indifferentiam ad contradictoria, & talem, quod ipsa est sui determinativa ad alterum illorum .... Propter hoc igitur, quod actus ejus sic indifferenter est in ejus potestate, licet non nisi supposita intellectione, ideo per se est imputabilis agenti, & id probat ex August. dicente, quòd *motus, si culpæ deputatur, non est naturalis, sed voluntarius*, & post verba discipuli, *Motus, quo voluntas convertitur, nisi esset voluntarius, & in nostra potestate positus, neque laudandus esset homo, neque culpandus*. Uno verbo, semper dicit, aut supponit actum moralem, & imputabilem debere esse voluntarium, seu liberum .[1] *Prima ratio voluntatis est ex convenientia actus ad efficiens, à quo actus dicitur moralis, quia libere elicitus, & hoc est commune actui bono, & malo, neque enim actus est laudabilis, nec vituperabilis, nisi sit à voluntate*. Hæc fusius ex Scoto notamus ob rationem allatam, scilicet quia cùm admittat aliquam speciem libertatis, quæ stat cum necessitate, & opponitur soli coactioni, quæ venit ab extrinseco, multi putant eum ad moralitatem, & imputabilitatem requirere solam voluntarietatem, seu libertatem à coactione immunem; quod planè alienum est ab ejus mente.

Prob. denique ratione, quia per actum moralem omnes intelligunt actum imputabilem in laudem, aut vituperium, in præmium, vel pœnam: denique per quem fit moraliter bonus, aut malus; ergo & actum plenè voluntarium, seu liberum à necessitate. Prob. conf. est enim à recta ratione alienum, ut actus, qui non potest vitari; sed necessariò fit, vel omittitur, imputetur homini ad pœnam, vel præmium: ideo dicebat S. Ansel. [2] *Cum punis malos, justum est, quia illorum meritis convenit, cùm verò parcis malis, justum est, quia bonitati tuæ est condecens*, punitio supponit demeritum, & istud supponit libertatem in peccante ad vitandum peccatum: & idem patet ex Aristot. citato.

[1] 2. d. 40. A. n. 2. [2] Proslog. c. 10.

Confir. quia si ad moralitatem sufficeret volitio necessaria, & inevitabilis, ad quid regulæ, præcepta, vel Consilia? hæc enim frustra dantur homini determinato ad unum.

Objic. 1. Amor Dei, quo se amat, & justitiam, est voluntarius, & liber; sed est etiam necessarius, & bonus in genere moris; ergo voluntarietas stat cum necessitate, & talis sufficit ad moralitatem; ergo non requiritur libertas indifferentiæ; maj. non potest negari. Prob. min. Deus non potest ulla ratione omittere amorem sui, nec justitiæ: unde cùm Julianus hæreticus diceret, quòd *liberum non est, nisi quod duo potest velle, id est bonum, & malum*, sic instat S. Aug. [1] *liber ergo Deus non est, quia malum non potest velle; siccine Deum laudas, ut ei auferas libertatem? An potius intelligere debes, esse quandam beatam necessitatem, qua Deus injustus esse non potest?* Idem docet [2] contra Pelagium, qui dicebat, voluntatis arbitrio privari, quidquid naturali necessitate constringitur: & illi objicit, hinc sequi absurdum hoc, quòd non appeteremus voluntariè beatitudinem, quia non possumus non velle illam. *Perquàm absurdum est, ut ideò dicamus non pertinere ad voluntatem nostram, quod beati esse volumus, quia id omninò nolle non possumus, nescio, qua & bona constructione naturæ: nec dicere audemus, ideo Deum non voluntatem, sed necessitatem habere justitiæ, quia non potest velle peccare:* Et inquit Scotus; [3] *Voluntas divina necessariò vult bonitatem suam, & tamen in volendo eam est libera.* Item ex S. Tho. *Deus sua voluntate liberè amat seipsum, licèt de necessitate amet seipsum*; ergo voluntarium, seu liberum non opponitur necessitati. His etiam argumentis utuntur Calvinus, & VVicleffus.

Resp. dist. maj. Est liber libertate *essentiali*, ac *physica*, seu *dominii*, conc. maj. libertate *contingentiæ*, & *morali*, neg. maj. & min. loquendo de genere moris in nostro sensu. Quidquid est in Deo, est quidem infinitè perfectum, & laudabile, sed moralitas illa est eminentioris infinitè ordinis, & sine comparatione ad nostram. Amat se delectabiliter, & compla-

cen-

[1] 1. *de op. imperf.* [2] *De nat. & grat. c.* 49.
[3] *Quod.* 19. *de pot. q.* 10. *a.* 2. *ad* 3.

center, & cum infinita propensione voluntatis suæ, quæ de se essentialiter est recta. Unde conc. ant.prob. neg. conseq. Ad August. idem potest responderi. Et præterea in 1. loco Julianus exigebat libertatem contrarietatis ad bonum, & malum: nobis verò sufficit libertas contradictionis: & licèt in Deo agnoscat necessitatem cum libertate, non tamen infert, id sufficere ad imputabilitatem moralem, sed ad perfectionem physicam. Ad 2. locum patet ex dictis quid respondendum; licèt enim nemo possit odisse beatitudinem, non negat tamen August. quin possit non amare; ideò multi nequidem cogitant de illa, ut diximus. Idem denique dicimus de Scoto, & D. Thoma.

Inst. Christus Dominus erat impeccabilis, sed tamen liber; ergo necessitas non repugnat libertati. Ant. supponitur ex Theologia, & patet ex SS. Patribus; *Neque enim metuendum erat, ne isto ineffabili modo in unitatem personæ à Verbo Dei assumpta natura humana per liberum voluntatis arbitrium peccaret, cùm ista susceptio talis esset, ut natura hominis à Deo ita suscepta nullum in se motum malæ voluntatis admitteret*, inquit August. [1] imò voluntas ejus tantò magis erat libera, quantò magis peccato servire non poterat; ergo in eo fuit vera libertas ad peccandum cum necessitate non peccandi; & hoc argumento utebatur VVicleffus, ut probaret, hominem ad præceptorum observantiam necessitari etiam antecedenter.

Resp. pro nunc conc. maj. de impeccabilitate proxima, & in sensu composito unionis hypostaticæ, & aliorum donorum, quæ illam consequuntur, & præcipuè visionis beatificæ, & neg. vel dist. min. erat liber libertate physica, & remota, conc. min. libertate morali, & proxima, neg. min. & cons. voluntas ejus humana erat similis nostræ, scilicet libera, & defectibilis; sed ut unita Verbo, & ab ipso directa, & aliis donis cumulata non poterat deficere à recto: & hoc nunc sufficiat: quia in Theologia videbimus de impeccabilitate, & libertate Christi. Certè August. [2] potentiam peccandi non vult pertinere ad gradum ullum libertatis: *Posse enim peccare non est libertas, nec pars libertatis*, inquit: loquitur etiam ibi de liber-

[1] *De cor. & gr. c. 11.*
[2] *Tr. 4. in Joa.*

bertate à peccato, non à necessitate, *libertas prima est carere peccatis*.

Inst. 2. ergo Christus non fuit liber moraliter circa res preceptas. Prob. subs. quia non poterat illas omittere, aut contrarias facere sine peccato; ergo vel libertas illa moralis non est necessaria ad meritum, & demeritum, vel non fuit in Christo; quod est falsissimum; nam alioqui non potuisset mereri.

Resp. ex dicendis ibidem neg. sub. & ant. prob. 1. quia fortè nulli præcepto rigoroso subjacebat sub pœnam peccati, ita ut peccaret non obediendo; hoc enim pendebat ab arbitrio voluntatis divinæ sic præcipientis, & disponentis; ut videtur docere Eminentissimus Laurea [1] noster: nam *Lex justo posita non est*, scilicet ut illi dominetur: *In illa enim est potiùs, & cum ipsa, quàm sub ipsa, quia amicus justitiæ*, sive ut Lyranus explicat, *Lex justo non est posita quantùm ad vim coactivam; quia justus non cohibetur timore pœnæ à malis, sed virtutis amore*, quia fuit liber quoad præceptorum executionem, non verò quoad violationem. *Filius hominis est Dominus etiam sabbathi*: unde *Christus Deus erat, & poterat supra totam legem dispensare*, inquit noster Lyranus. Sed omnia æquè libenter acceptavit, & observavit, ac si sub pœnis fuissent præcepta. 3. quia si non potuit aliqua omittere penitùs sine peccato; saltem fuerunt ei liberá quoad circumstantias temporis, loci, motivorum, intensionis, & sic potuit hæc implere pro libitu quoad tempus, & remissè, vel intensè, & ex motivis diversarum virtutum. Denique licèt non possemus conciliare impeccabilitatem Christi cum libertate morali, non propterea negari deberet, quia clarè asseritur in Scriptura; [3] *Ego pono animam meam, & iterum sumam eam: nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso .... potestatem habeo ponendi animam meam*, & hanc libertatem habebat non obstante præcepto moriendi: *Hoc mandatum accepi à Patre meo*, &c. Unde August. [4] *Non carnem deseruit invitus, sed quia voluit*, &c. Vides libertatem ad substantiam, & circumstantias.

Inst. 3. Beati non possunt peccare, nec velle malum nec

[1] *De Incar. d.* 17. *n.* 120. [2] 1. *Tim.* 1.
[3] *Joa.* 10. [4] 4. *de Trin. c.* 13.

nec omittere amorem Dei; sed tamen sunt liberi; ergo libertas, etiam in hominibus, sufficit cum necessitate; maj. supponitur ab omnibus: sunt enim in termino, & confirmati in gratia, & perpetuitas beatitudinis id importat. Prob. min. ex S. August. [1] *Sic oportebat hominem fieri, ut & bene velle posset, & male, nec gratis, si benè, nec impunè, si malè. Postea verò sic erit, ut male velle non possit, nec ideò libero carebit arbitrio; multò quippe liberius erit arbitrium, quod omninò non poterit servire peccato*; ergo Beati cum necessitate non peccandi erunt liberi, & magis liberi.

Resp. 1. quòd simili argumento VVicleffus suum contra libertatem tuebatur errorem, ut scribit VValdensis; *quia*, inquiebat, *est & libertas in Angelis, qui tamen ad hoc agendum, quod agunt, summa necessitate trahuntur*; & idem notat de Calvino Bellarm. [2] Ideo non debet proponi à Catholicis viris, sed rejici.

Resp. 2. dist. min. & cons. prob. Sunt liberi physicè, & liberiores libertate, quę dicitur à servitute concupiscentiæ, & peccati, conc. min. & cons. libertate morali, & quæ sufficiat ad meritum, vel demeritum, neg. min. & cons. Hæc enim libertas est in solis viatoribus: illa verò prior non sufficit ad meritum, vel demeritum, & est libertas physica, seu essentialis, & libertas à servitute, & malo. *Erit in illis voluntas libera ab omni malo, & plena omni bono*, ait August. erit libertas à coactione; *A peccato abstinebunt libera voluntate, quia neque coacta non peccabit, sed sponte*; ergo hæ auctoritates August. non sunt ad rem, ut patet ex ipso textu.

Objic. 3. Nulla major libertas requiritur in homine ad moralitatem, quàm ut actus sint in ejus potestate; sed omnes actus voluntatis sunt in ejus potestate, etiam cum necessitate; ergo etiam cum necessitate stat sufficiens libertas moralis. Maj. patet ex fundamentis nostræ conclusionis. Prob. min. voluntas est essentialiter libera, & non potest cogi ad actus elicitos; ergo actus omnes ejus sunt in ejus potestate, hoc ipso quod ab ipsa eliciuntur. Ant. constat ex dictis de voluntate. Prob. cons. ex August. [3] *Voluntas nostra* nec

[1] *Ench. c.* 105. [2] *l.* 1. *de doctr. fid. a.* 1. *c.* 25.
[3] 3. *de lib. arb. c.* 3.

nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porrò quia est in nostra potestate, libera est nobis. Non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus, aut potest non esse, quod habemus. Non enim posset aliud sentire esse in potestate nostra, nisi quod cùm volumus, facimus. Quapropter nihil tam in nostra potestate, quàm nostra voluntas est; ergo omnis actus voluntatis est liber hoc ipso, quod est voluntarius, seu à voluntate.

Resp. dist. maj. In nostra potestate opposita tam coactioni, quàm necessitati, seu potestate indifferentiæ ad contraria, vel contradictoria, conc. maj. & neg. min. in nostra potestate opposita soli coactioni, neg. maj. & cons. quis enim dixerit, motus infantium, vel amentium, aut brutorum esse propriè in eorum potestate, quia spontanei, & voluntarii sunt non solum ipsis volentibus, seu appetentibus, & delectabiliter, sed etiam cum impetu in eos feruntur. Ad libertatem ergo, & perfectam voluntarietatem requiritur, ut volitiones, seu actus voluntatis nostræ ita sint in nostra potestate, ut possimus elicere, vel omittere, vel cessare ab eis pro libitu, & quoties ratio suggeret; & in hoc voluntarium rationabile, seu morale, ac humanum differt ab animali, seu irrationali. Hæc paulò fusiùs delibata sunt, quia sunt ad moralitatis intelligentiam prorsus necessaria.

Constat igitur, actum, ut sit humanus, & moralis, debere esse non qualitercumque voluntarium, sed perfectè voluntarium libertate, seu voluntarietate indifferentiæ ad contraria, vel contradictoria; nec sufficit libertas à coactione, sed requiritur libertas à necessitate, saltem antecedenti. Unde amor, quo Deus se amat, & quo spirat, est quidem summè voluntarius, sed est simul necessarius. Idem est de amore beatifico in Angelis, & Sanctis; ideò non est actus moralis.

QUÆSTIO IX.

De involuntario, & causis ejus, maximè ex coactione, & ignorantia.

Quia contrariorum eadem est ratio, & juxta se posita magis elucescunt, meliùs, & pleniùs intellige-

ligetur natura voluntarii, ac liberi moralis, si dixerimus, in quo consistat involuntarium. Imò Arist. priùs explicuit istud.

Repete quæ diximus de differentia *liberi*, ac *voluntarii*, & præcipuè, quòd *voluntarium* potest augeri, dum minuitur *liberum*. Quò enim magis propendet, & inclinatur in aliquod objectum, vel actum, eò magis est voluntarium; sed inde libertas minuitur; quia quò magis voluntas inclinatur in unam partem, eò magis determinatur ad illam, & sic minuitur indifferentia libertatis. Denique ex majori inclinatione, vel delectatione, aut concupiscentia fit vehementior motus, & augetur voluntarietas, sed minuitur libertas.

Porrò notandæ sunt hæ voces, *necessarium*, *violentum*, *coactum*, & *involuntarium*, quæ si confundantur, ut solent, confusionem afferent huic materiæ. *Necessarium* est illud omne, quod fit sine libertate, & latiùs patet, quàm cætera; nam omne *involuntarium*, & *coactum*, & *violentum* est quidem *necessarium*, sed non è contra; nam omne *necessarium* non est *coactum*. Amor Dei, quo se amat, est *necessarius*, sed non est *violentus*, nec *coactus*, nec *involuntarius*. *Violentum* est, quod fit contra inclinationem passi, sive illud sit appetitivum, sive non; ut calor est violentus aquæ, & ascensus lapidi; ideò non omne necessarium est coactum. *Involuntarium* describi solet à Philosopho, *quod est ab extrinseco non conferente vim passo*, id est, ni fallor, non inclinante, sed potiùs repugnante passo. *Coactum* est, quod venit potentiæ appetitivæ, seu voluntati ab extrinseco, ipsa renitente, seu in contrarium inclinante, saltem ex propensione naturæ, vel habitus, ut si voluntas inclinans ad actum vindictę impediretur à Deo per negationem concursus, aut alio modo. Utor hoc exemplo, quia suppono ex dictis, voluntatem non posse cogi ad actus elicitos: denique *involuntarium* non sumitur hìc purè negativè pro eo, quod non est à voluntate, seu à principio appetente, sed sumitur contrariè pro eo, quod opponitur alicui actui voluntario, seu potentiæ appetitivæ.

CON-

CONCLUSIO

I*Nvoluntarium est, quod venit à principio extrinseco voluntati contra inclinationem appetitus, vel ex ignorantia antecedente*. Est communis.

Prob. ex dictis de voluntario; nam sicut voluntarium, ex Scoto, [1] *debet esse causaliter à voluntate eliciente, vel imperante; sic quod est in voluntate, & venit ab extrinseco, est sine dubio involuntarium*; & quia voluntarium præterea requirit cognitionem in volente, qua cognoscat id, quod vult, ac circumstantias ejus, quæ faciunt ad moralitatem, sic involuntarium nascitur etiam ex ignorantia, ita ut licèt volitio, vel actus esset ab ipsa elicitus, tamen, nisi eliciatur ex cognitione, adhuc erit involuntarius: uno verbo illud dicitur *involuntarium, quod non est in potestate voluntatis illud patientis*, sicut *voluntarium propriè dicitur, quod est in potestate voluntatis*, inquit Doctor, [2] & ipsemet utrumque definiebat supra dicens, [3] quòd involuntarium simpliciter est illud, *contra quod remurmurat simpliciter vo'untas*, & per oppositum *voluntarium, contra quod voluntas non omninò remurmurat*, &c. Item patet ex definitione Aristotelis de utroque. Dicit enim; *involuntaria esse illa, quæ per vim, vel ignorantiam perpetrantur*: violentum est, cujus principium ab extra tale existit, in quo agens, vel patiens nihil confert; veluti si ventus tulerit aliquo vel homines præpotentes.

Igitur voluntarium requirit duo copulativè, scilicet principium intrinsecum in agente, & cognitionem in eodem; & si alterum desit, cessat voluntarietas, sed ad involuntarietatem sufficit alterutra causa, scilicet si fit à principio extrinseco, vel ex ignorantia.

Quantum ex 1. capite *involuntarium* aliud est *positivum*, aliud *negativum*. 1. consistit vel in impulsu aliquo positivo, quo cogatur voluntas ad aliquid volendum, vel ex eo quod poneretur in ea alicujus actus volitio absque ejus activo concursu, v. g. amor non solùm mali (tunc ille amor esset dupliciter violentus): sed etiam boni (tunc enim veniret purè ab extrinseco ipsa non cooperante) & ille esset illi violentus, non

[1] *Quodl*. 18. *cit*. [2] *Ibid*. [3] 4. *d*. 14. *q*. 1. *N*.

non ut passiva est, nec subjectivè, quia potius esset illi naturalis, & juxta inclinationem ejus, sed prout activa est, quia sic nihil ageret, sed se haberet merè passivè. 2. verò consistit in negatione, seu omissione actus, v. g. amoris, vel odii, ad quod inclinaretur positivè ob aliquod impedimentum ab extra veniens, v. g. ob negationem concursus divini, sine quo non potest actum elicere, sicut in fornace Babylonica ignis impediebatur ab actione in tres pueros per negationem concursus divini, & illa inactio erat igni violenta negativè. 3. hæc violentia considerari potest quoad *actus imperatos*, quatenus per vim externam impeditur executio volitionum, ut si volenti percutere inimicum retineatur pes, aut manus, fit aliqua violentia tali homini.

Alia causa involuntarii est *ignorantia*, quam diximus triplicem, 1. dicitur *antecedens*, quæ sic præcedit actum voluntatis, ut illius sit causa, quatenus scilicet ille non fieret, si non illa præcessisset, ut cùm quis nesciens in sylva latere hominem, sed putans ibi esse leporem, explodit globum catapultarium, & fratrem occidit, &, si id cognovisset, non occidisset, & dicitur etiam *justa*, *probabilis*, & *invincibilis*. 2. *subsequens*, seu *consequens*, quæ sequitur ex peccato quasi pœna ejus, inquit Scotus, sed ab aliis communiter dicitur, quæ antecedit quidem actum, estque aliquo modo causa ejus, sed est volita in se, quatenus homo vel neglexit, aut noluit scire id, quod impedisset actum, ut qui non vult scire præceptum festi, ut liberè, & sine scrupulo laboret: ideo hæc solet vocari *injusta*, *improbabilis*, *vincibilis*, *affectata*, & *crassa*. 3. est *comitans*, quæ non est volita, ut præcedens, nec causat effectum, ut prima; sed qui cum illa agit, nescit quidem malum, quod facit, sed ita est affectus, & dispositus, ut quamvis sciret, adhuc faceret, ut qui putans se ferire leporem in sylva, ferit inimicum nesciens ibi eum latere, sed quem nihilominus feriisset, si scivisset. *Ignorantia* igitur non potest directè causare effectum, cùm sit non ens, seu negatio cognitionis, sed indirectè, quatenus tollit cognitionem, quæ necessaria est ad voluntarium, & quæ impediret actum, si adesset; & dicitur *tollens*, *prohibens*.

Ubi

Ubi vides, ignorantias omnes illas antecedere quidem effectum, sed non voluntatem; sola 1. antecedit utrumque, duæ posteriores consequuntur, aut comitantur voluntatem, non verò antecedunt, nec causant effectum, saltem totaliter. 1. nullo modo est volita, sed potiùs supponit moralem, & exactam diligentiam ad illam præveniendam, 2. est aliquo modo volita, saltem indirectè, quatenus homo noluit instrui, nec adhibuit debitam diligentiam, ut sciret quid juris, aut facti, v. g. venator videt aliquid moveri in sylva nesciens, an sit fera, vel homo, & non curans informari jaculatur; illa ignorantia est *crassa*, *affectata*, & *volita*, & licèt fortè venator non explodisset catapultam, si perfectè scivisset, ibi latere hominem, sicque ignorantia influat in effectum aliquo modo, tamen non videtur involuntariè fecisse. De talibus dicitur, *Noluit intelligere, ut benè ageret*. 3. potest esse non volita, nec cogitata, sed effectus (nempe occisio) videtur adhuc voluntarius, & comitatur voluntatem pravam.

2. Ignorantia dicitur *invincibilis*, aut *vincibilis*: 1. est, quam removere nec possumus, nec debemus; seu quæ humano modo non potest expelli; & ideo dicitur *inculpabilis*. 2. quam removere possumus, & debemus, & ideo dicitur *culpabilis*, si non removetur. 3. alia dicitur *pravæ dispositionis*, estque positivus error, quo aliter judicatur de re, quàm est in se, & alia *puræ privationis*, quæ est pura nescientia. 4. alia dicitur *juris*, qua ignoratur præceptum, vel prohibitio actus; & *facti*, qua scitur quidem prohibitio, vel præceptum, sed ignoratur, an actus, aut res sit illa, quæ præcipitur, vel prohibetur, v. gr. scio prohiberi homicidium, & possum nescire, an occisio hostis, seu aggressoris sit illud homicidium prohibitum, & ad hanc ignorantiam facit non solum substantia rei, seu objecti, sed etiam circumstantiarum, quæ influunt in moralitatem. Aristoteles 1. vocat universalem; quia jus respicit omnes. 2. verò particularem, quia contingit circa singularia. Jus verò aliud est *naturale*, & aliud *positivum*. Rursus *positivum* aliud est *humanum*, aliud *divinum*, de quibus suo tempore dicetur. His autem suppositis, sit

CON-

CONCLUSIO II.

Non datur, nec dari potest propriè involuntarium activum, passivum autem non repugnat; sed de facto non datur, nequidem in actibus supernaturalibus; longè magis possibile est negativum, aut privativum.

Prob. 1. p. ex Scoto, [1] & Philos. & ex dictis de voluntate, quam diximus non posse cogi ad actus elicitos, & hoc probat his verbis. *Contradictio est, voluntatem simpliciter cogi ad actum volendi, quia violentum est totaliter à principio extrinseco, quod est contra inclinationem passi: sed velle non potest sic inesse voluntati*, (scilicet à principio totaliter extrinseco contra suam inclinationem) *quia tunc nolens vellet, aut volens nollet*, seu vellet, & non vellet, quod est contradictorium; ergo voluntas non potest habere involuntarium activum, seu quod idem est, non potest cogi ad actus elicitos. Vide quæ ibi diximus de tali Thesi.

Prob. 2. p. etiam ex dictis; non enim repugnat, quamcumque volitionem, aut nolitionem produci à Deo solo in voluntate merè passivè se habente, imò & contra elicitam, aut innatam, aut habitualem ejus inclinationem; sed tunc illæ volitiones, & nolitiones essent involuntariæ passivè; ergo non repugnat involuntarium passivum: maj. patet ex dictis ibi. min. prob. nihil enim aliud intelligimus per involuntarium passivum, quàm illud, quod ponitur totaliter à principio extrinseco, & maximè contra inclinationem passi, ut mox dicebamus ex Scoto, [2] & alibi docet dicens, *involuntarium simpliciter esse illud, contra quod voluntas remurmurat*. Ideo dicit, quòd habitus est in voluntate, & tamen non voluntariè voluntas habet illum. Vide etiam quæ diximus de possibilitate productionis intellectionis in intellectu, & volitionis in voluntate.

Confir. ex eodem. Voluntarium debet dici illud, quod est causaliter à voluntate eliciente, vel imperante; ergo volitio, vel nolitio, quæ non eliceretur, aut imperaretur à voluntate, non esset voluntaria, sed involuntaria, & maximè quando illa volitio esset contra

[1] 4. *d.* 29. *B. n.* 6. [2] *Quodl.* 18. *EE. Ibid.* 17. *Addit.*

tra inclinationem actualem, vel habitualem voluntatis; in hoc consistit maximè violentia positiva; si autem ille actus, seu volitio sit juxta inclinationem voluntatis, non erit illi simpliciter voluntaria, sed naturalis, prout naturale opponitur violento. Diceretur etiam voluntaria *negativè*, sed absolutè loquendo esset involuntaria, quia non esset à principio intrinseco.

Prob. 3. p. quia si aliquæ volitiones, aut nolitiones sic producerentur in voluntate merè passivè se habente, maximè actus supernaturales fidei, spei, & charitatis, quibus ex supernaturali, & efficaci Dei auxilio excitante, & adjuvante operamur; sed tales actus non sunt à principio totaliter extrinseco, seu a Deo solo ita, ut voluntas nihil agat; ergo non dantur tales actus involuntarii. Maj. patet ex hæreticis, qui tales actus in nobis à solo Deo produci opinantur, abutentes variis textibus Scripturæ, ut vidimus in Philosophia, & fusiùs videbimus tr. de gratia. Prob. min. ex dictis de activitate, & libertate voluntatis, & maximè ex Concilio Tridentino, [1] *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quoad obtinendam justificationis gratiam se disponat*, (id docet præstari per actus fidei, spei, charitatis, & pœnitentiæ) *sed velut inanime quoddam nihil omninò agere, sed mere passivè se habere, anathema sit.*

Prob. 4. p. quia Deus potest negare concursum suum voluntati inclinatæ ad aliquem actum, v. g. ad amorem, vel odium; sed illa negatio amoris, vel odii erit involuntaria privativè, aut negativè; nihil enim intelligimus aliud per involuntarium *privativum*, & *negativum*; posita enim tali negatione, privatur libertate ad amandum, & determinatur ab extrinseco ad non amandum; & id verius est, si omnia ad amandum requisita adsint: creatura enim aliquo modo exigit concursum Dei ad agendum, positis aliis omnibus requisitis; ergo per negationem concursus fit illi aliqua violentia.

Dico, *aliqua*, nam in omni rigore non est vera violentia; sufficit, quòd illa negatio actionis non sit illi voluntaria; & non est, quia illa venit penitùs ab extrinseco.

Prob.

[1] *Sess. 6. can. 4.*

Prob. denique 5. p. Nam si voluntas imperet manui meæ, ut percutiat aliquem, potest detineri, & impediri, & è contra potest quis violenter movere manum meam, ut percutiam alium contra imperium voluntatis, & ipsa renitente, in quo non est difficultas.

Objectiones principales contra 1. & 2. & 3. partem jam solutæ sunt in locis prædictis.

Objic. 1. contra 1. p. Voluntas potest necessitari à Deo etiam ad actus elicitos; ergo & cogi. ant. patet: nam per lumen gloriæ, & visionem beatam necessitatur ad fruitionem, & Scotus[1] ipse fatetur, quòd prædeterminatio physica tolleret libertatem. Probat. ant. necessitas ad amorem sive ex visione, sive ex qualitate, aut gratia prædeterminante esset à principio extrinseco; ergo esset vera coactio.

Resp. 1. dist. ant. potest necessitari moraliter, conc. ant. physicè, neg. ant. saltem quoad actus elicitos; nec id facit visio beata; & quantùm ad hoc negant Scotistæ prædeterminationem physicam: quæ non solum destrueret libertatem contingentiæ necessariam ad actus humanos, sed etiam modum essentialem agendi voluntatis humanæ.

Resp. 2. neg. conf. necessitas enim stat cum libertate essentiali voluntatis, quia non impedit, quin agat voluntariè, & delectabiliter, & complacenter; non verò violentia, seu coactio, quæ tota venit ab extrinseco. Visio Beata, & gratia, aut qualitas prædeterminans facerent, ut homo velit, & per consequens ut agat volens, non autem nolens.

Objic. 2. Potentia libera, & indifferens est capacior violentiæ, quàm naturalis, & determinata; sed naturalis, & determinata potest cogi; ergo & indifferens. Min. patet, nam grave, quod est determinatum ad descensum, potest moveri sursum, & sic de aliis. Prob. maj. indifferens ad plura magis distat à determinatione, & plus violentatur, si determinetur, quàm naturale, quod cum sit ex se determinatum ad unum, determinatur ad aliud oppositum, ut patet in exemplo allato de gravi, quod cum sit determinatum ad deorsum per violentiam, non determinatur nisi ad sursum; voluntas verò, quæ est indifferens ad innumeros actus, per coactionē determinatur ad unicum; ergo

[1] 4.d.14.q.3.con.3.

ergo est magis capax violentiæ. Prob. conſ. quia per violentiam patitur in iis omnibus objectis, & actibus, ad quos erat indeterminata; lapis verò non patitur, niſi in ea parte, in qua erat determinatus, ſcilicet in gravitate, ſeu deſcenſu: in hoc argumento magnam vim facit recens Theologus. [1]

Reſp. neg. maj. & ant. prob. Nam potiùs è contra dicendum, quòd quia indifferens magis repugnat cum determinatione, quàm determinatio ad unum cum determinatione ad oppoſitum, ideò indifferens eſt incapacius, & magis diſtat à determinabilitate, quæ illi magis repugnat; ergo male colligitur, quòd quia potentia naturalis, & determinata ad unum poteſt violentari, potentia indifferens etiam poterit. Fateor, ſi cogeretur voluntas, violentia eſſet major, ſed non ſequitur, quòd potiùs debeat ſubeſſe coactioni.

Inſt. ex eodem, potentia indifferens habet plus activitatis, quàm naturalis; ergo habet minus reſiſtentiæ; ergo magis poteſt pati violentiam: quia quæ habent plus activitatis, habent minus reſiſtentiæ. Prob. ant. indifferens extendit activitatem ad plura; ergo habet plus activitatis.

Reſp. 1. neg. ant. & diſt. ant. prob. activitatem ad plura diviſivè, conc. ant. ſimul, & conjunctim, neg. ant. & conſ. voluntas habet activitatem ad oppoſita diviſivè, quatenus poteſt velle, aut non velle, velle unum, aut aliud, non verò ad utrumque ſimul. Non ergo inde arguitur major activitas; imò virtus unita fortior, & ſic cauſa determinata eſt activior.

Reſp. 2. neg.conſ. Inde quidem ſequitur, voluntatem ob indifferentiam eſſe flexibiliorem in alterutram partem, ſed non magis violentabilem; imò in quamcumque partem inclinetur, voluntariè inclinabitur.

Objic. 3. Homo gravi tentatione preſſus cum modico gratiæ auxilio volens reſiſtere, & non reſiſtens ob vehementiorem motum tentationis, violenter caderet; ergo poſſibilis eſt coactio. prob. ant. quia moveretur contra inclinationem, & voluntas contra motum remurmuraret.

Reſp.

[1] *de act. hum. diſp. 6.*

Resp. neg. ant. utrumque; nam quamdiu vellet resistere, non consentiret, & licèt ratio, & gratia resistant suadentes, ut resistat, voluntas tamen cedit, & quidem volens.

Objic. contra 2. & 4. p. Voluntas de se est indifferens indifferentia contrarietatis, & contradictionis; ergo nullus actus, & nulla negatio actus potest esse illi involuntaria, seu violenta passivè, aut privativè. cons. patet ex principiis Scoti; nam involuntarium est illud, *contra quod voluntas remurmurat*; non murmurat autem contra id, ad quod est indifferens, sed tantùm contra illud, in cujus oppositum inclinat positivè, & determinatè; sed non inclinat determinatè in ea, ad quæ est indifferens, ut sunt amor, & odium, amor, & non amor; ergo non potest pati violentiam, seu involuntarium passivum, nec privativum, & maximè respectu Dei; ergo quamcumque volitionem Deus in voluntate producat, vel impediat, semper erit voluntaria.

Resp. neg. cons. & dist. maj. prob. in his, quæ ab ea sunt ut à principio intrinseco, conc. maj. ut a principio extrinseco, neg. maj. & similiter dist. min. est indifferens ad amorem, & odium, vel non amorem à se eliciendum activè, & ut à principio intrinseco, conc. min. à se purè recipiendum ab extrinseco, neg. min. & cons. voluntas est de se activa suarum volitionum, & indifferens ab extrinseco ad agere, vel non agere; ergo quoties ad unum contrariorum, vel contradictoriorum determinatur ab extrinseco, v. g. à Deo, qui vel volitionem, aut nolitionem in ea se solo producit, aut negat ei concursum ad aliquem actum, patitur violentiam in sua libertate, quæ necessariò est activa, & ab intrinseco domina sui agere, vel non agere.

Inst. Voluntas non potest remurmurare contra id, quod à creatore suo patitur; nec iste potest facere violentiam ulli suæ creaturæ, quia omnis creatura est in potentia obedientiali ad ipsum; ergo sive Deus producat in voluntate volitionem, sive neget ei concursum ad illam, non facit violentiam.

Resp. neg. cons. quia licèt liberum sit Deo uti sua creatura ad nutum suum, tamen hoc ipso quod dedit illi talem naturam, & inclinationes, si non concur-

rat conformiter ad illos motus, quos imprimit, illi sunt violenti quoad hoc, v. g. motus lapidis sursum, & impedimentum igni ne ageret, positis ultimis dispositionibus ad agendum spectata illorum natura, essent illis violenti; sic quia voluntas de se nata est esse domina suorum actuum, quidquid fit per quod tollitur illud dominium, facit, ut actus, vel negationes eorum sint involuntariæ aut positivè, aut negativè, aut privativè; nec in his attenditur ad agens extrinsecum: nam tam calor à Deo productus, quàm ab igne est violentus aquæ.

Objic. 2. Quod non est à principio extrinseco, non est involuntarium; sed quidquid est à Deo sive agente, sive negante concursum, non est a principio extrinseco; Deus enim non est quid extrinsecum nobis; ergo sive Deus se solo producat volitiones, sive impediat, nulla erit involuntarietas, seu violentia.

Resp. neg. min. Nam per principium extrinsecum in definitione involuntarii intelligitur, quidquid est superadditum ipsi potentiæ, & talis est Deus, tales sunt gratiæ excitantes, & adjutrices quantumcunque inhærentes ipsi voluntati, & cum ipsa facientes unum principium activum volitionum.

Objic. 3. Voluntas non solum potest non remurmurare contra volitiones in ipsa productas, aut contra negationem concursus, & impedimenta, sed etiam potest, & debet eas velle; ergo non sunt, nec debent esse involuntariæ. Prob. ant. debet enim velle, quod placet Deo, & prima inclinatio omnis creaturæ est obedire creatori.

Resp. dist. conseq. Non erunt involuntariæ, id est non volitæ objectivè, conc. consf. elicitivè, neg. conseq. potest voluntas petere a Deo, ut in se producat amorem divinum, & impediat volitionem peccati; illa petitio, seu desiderium est voluntarium, & ille amor, & illud impedimentum erunt volita objectivè, sed non erunt voluntaria elicitivè; idem est de actibus imperatis; v. g. percussio est voluntaria in actu imperante, sed non in se elicitivè.

Colligis 1. Voluntatem non posse pati violentiam quoad actus elicitos, quia non potest elicere actum ullum, nisi velit, & si velit, non violentatur.

Colligis 2. quòd si Deus produceret in voluntate ali-

aliquam volitionem, aut motum, v. g. amorem, vel odium, illi actus essent quidem naturales voluntati, prout naturale opponitur violento, sed non voluntarii, nisi passivè, aut objectivè, quatenus voluntas eos vellet; nam voluntarietas, prout de illa hìc agimus, attenditur penes activitatem, & dicitur per respectum ad principium activum, non verò ad passivum.

Colligis 3. Voluntatem posse impediri, & aliquo modo violentiam pati privativè tum quoad actus imperatos, ut si volentis percutere detineantur manus aut si proposito objecto amabili, vel odibili impediatur elicere actum amoris, vel odii, quem alioqui erat elicitura, & tunc negatio, vel privatio percussionis erit violenta, sicut & carentia amoris, vel odii. Dico *aliquo modo*; nam omissio percussionis, aut alterius actus imperati erit quidem non volita, sed non propriè involuntaria, imò percussio erit volita; at in negatione amoris circa bonum propositum, v. g. amoris Dei clarè visi, si negaretur concursus divinus, esset violenta privativè propter suam innatam propensionem ad amorem objecti hìc præsentis.

CONCLUSIO III.

Ignorantia antecedens, & quidem hæc sola causat verum involuntarium, quatenus impedit, ne actus, quem causat sit voluntarius, & imputabilis. Est communis, & videtur de fide quoad 1. partem. Nam dum hæc scribo, pervenit ad me Decretum jam citatum Alexandri VIII. qui mense præterito Decembri 1690. inter 31. propositiones damnatas ponit hanc, *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali*: Siquidem ex tali decreto contra hujusmodi propositiones sequitur, quòd ignorantia invincibilis etiam juris naturæ excusat à peccato formali, & per consequens tollit voluntarium.

Prob. præterea ex Scoto, & Phil. citatis in definitione voluntarii; nam ad illud requiritur, ut sit à

principio intrinseco cognoscente singula. Item actus ut sit moralis, debet esse deliberatus, & per consequens ex cognitione, ac judicio; ergo ignorantia, quæ causat actum, seu sine qua non esset actus, vel omissio, tollit voluntarietatem. Item ex communi axiomate, & ex dictis de voluntate, quòd *non fertur in incognitum*; seu *nihil volitum, quin præcognitum*; ergo quod est ex ignorantia, est involuntarium.

Dico, *sola*; nam ignorantia consequens est ipsamet voluntaria, & ipsa mediante effectus est voluntarius, v. g. qui non vult scire præceptum jejunii, ut sine repugnantia comedat carnes, vult & ignorantiam præcepti, & omissionem jejunii, quam causat talis ignorantia, aut vult utrumque directè, scilicet ignorantiam, & omissionem jejunii. Qui emittit jaculum in sylvam nolens videre, an lateat homo, vel fera, vult ignorantiam, quæ impediisset homicidium, vel utrumque; ergo utrumque est voluntarium: qui enim vult causam, vult & effectum, quem prævidet ex illa secuturum.

De *comitante* id etiam patet, & quidem à fortiori: nam ignorantia illa non causat, sed comitatur homicidium; qui enim sic agit, vult homicidium potiùs, quàm ignorantiam; ergo homicidium non est illi involuntarium. Dicerem tamen, quod si venator ante emissionem jaculi nihil prorsus cogitabat de homicidio, de quo postea lætatur, non est proprie voluntarium antecedenter, sed consequenter, & potiùs dicetur volitum, & approbatum, quàm voluntarium, & intentum. Istud maximè verum est, si ignorantia sit invincibilis: nam si est vincibilis, & crassa, utrumque erit volitum, & quidem magis, quàm in consequente, quia in ista si non præcessisset, non emisisset sagittam, benè verò in comitante.

Quæres, *an creatura possit pati violentiam à Deo?*

Resp. affirmativè, quia Deus respectu creaturæ est agens distinctum, & extrinsecum, & potest illi imprimere formas, & motus contra creaturarum naturalem inclinationem, v. g. potest movere lapidem sursum, calefacere aquam, impedire actionem ignis; ergo & facere violentiam: nam violentum est *quidquid est à principio extrinseco, & contra inclinationem passi*; un-

unde calor est violentus aquæ, & motus sursum lapidi, &c. à quocumque agente veniant, sive à Deo, sive a creatura sint, non minùs repugnant inclinationi subjectorum illorum.

Dices. Omnes creaturæ priùs inclinantur ad obediendum Deo, quam ad ullam qualitatem, vel motum creatum; ergo quidquid veniat à Deo sic volente, non est violentum.

Resp. neg.cons. Nam illa obedientia nihil est aliud, quàm dependentia, & capacitas patiēdi, quidquid placuerit Deo illis inferre; sed non impedit repugnantiā naturalem cum illis qualitatibus, aut motibus, quam ille ipse indidit unicuique; repugnantia non respicit Deum agentem, sed formam, aut motum, aut privationem.

Dices 2. Omnis violentia supponit resistentiam in passo; sed nulla creatura resistit Deo; ergo nullam patitur violentiam.

Resp. dist. maj. Resistentiam respectu formæ, aut effectus, con. maj. & neg. min. respectu agentis, saltem supremi, neg. maj. & cons. nulla creatura resistit Deo agenti, bene verò effectibus, seu formis. Nulla creatura potest impedire, ne Deus in illam agat, & in ea producat quidquid voluerit, sed quantum potest, repugnat, & resistit effectui, v.g. aqua calori, & lapis ascensui.

Dices 3. Deus potest auferre gravitatem lapidi; sed tunc illum movendo sursum non faceret ei violentiam; ergo idem accidit omnibus in similibus casibus, scilicet aufert illis inclinationem contrariam motibus, quos illis imprimere placet. Prob. min. quia tunc ille motus non est contra inclinationem lapidis, quia venit ex gravitate.

Resp. neg. maj. quia gravitas est proprietas inseparabilis à forma lapidis, & ita est de aliis inclinationibus, ex quibus mensuratur propria violentia.

Resp. 2. dist. min. non fieret violentia immediata per illum motum, conc. min. mediata, neg. min. nam auferendo gravitatem actualem, faceret violentiam gravitati aptitudinali, quæ est intrinseca formæ suæ.

QUÆSTIO X.

De voluntario ex concupiscentia, & metu.

Metus describitur *instantis periculi vel futuri mali mentis trepidatio* seu *fuga mali imminentis difficile vitandi*. Dicitur *mali instantis*, seu *imminentis*, quia quæ longè distant, non considerantur; ideo metum non incutiunt. 2. *futuri*, quia malum præsens facit dolorem, & præteritum facit tristitiam. 3. *mentis trepidatio*, quia metus attenditur in potentiis internis potiùs, quàm in externis.

Alius dicitur *gravis*, seu *cadens in constantem virum*, qui causatur à malo gravi, quod scilicet prudenter, & honestè debet præferri alteri malo, ut perditio famæ, sanitatis, vitæ, aut ingentium bonorum; alius *levis*, seu *cadens in virum imbecillioris animi*, qui scilicet non debet movere hominem prudentem, nec alteri præponderat. *Gravitas* autem requirit 1. ut malum sit in se magni momenti, non autem ex imaginatione, vel ex levi apparentia. 2. ut valde probabiliter sit eventurum, non autem ex suspicione, & sine fundamento. 3. ut qui metum incutit, sit potens, & cui difficile resisti possit. 4. ut ipsum malum non possit facilè vitari.

2. Alius dicitur *justus*, seu *non injuriosus*, qui incutitur à persona libera operante secundum justitiam, ut cùm magistratus, vel superior præcipit rationabilia sub pœnis vitæ, aut animæ, seu salutis, vel testis minatur accusare aliquem de crimine verè commisso: *non injustus* est ille, qui venit à causa inanimata, v. g. a ventis, & tempestate, à qua imminet periculum naufragii. Alius *injustus*, seu *injuriosus*, qui venit à persona operante contra justitiam, v. g. à latrone minante mortem, nisi tradas illi pecuniam, aut à principe, nisi ad arbitrium ejus judices.

3. Alius *filialis*, seu *Reverentialis*; & *servilis*, *mundanus*, *castus*, seu *initialis*, & *naturalis*, de quibus in Theologia; nec faciunt ad propositum.

4. Alius dicitur *electivus eorum, quæ sunt lucrosa, & grata*, quando scilicet eliguntur media conve-
nien-

nientia, & consona naturæ, aut valde utilia, ut si quis ad vitandam infirmitatem eligat poculum suave, & dulce, & valde gratum. Alius *electivus eorum; quæ sunt ingrata, & damnifica*, ut quando ad vitam salvandam tradis bursam latroni, aut sumis pharmacum amarum, aut pateris sectionem membrorum: & quæritur de his, timoribus, an causent involuntarium.

Concupiscentia est passio, seu motus quidam vehemens appetitus sensitivi, quo ad propositionem boni delectabilis, aut utilis allicitur voluntas cum aliquali vehementia ad ejus prosecutionem, cùm est in concupiscibili; aut ad fugam, aut ad vindictam, si est in irascibili; & est vel *antecedens*, quando in appetitu prius existens, quàm in voluntate hanc movet ad amorem, vel odium, aut iram; vel *consequens*, si est prius in voluntate, quæ illos motus excitat in appetitu, ut promptiùs, & delectabiliùs feratur in objectum.

CONCLUSIO I.

Metus non facit involuntarium simpliciter, sed quandoque secundum quid; seu *quod fit ex metu, est simpliciter voluntarium, & involuntarium secundum quid, nisi præveniat usum rationis*.

Prob. 1. ex Scoto [1] post Phil. dicente, quòd *actio voluntatis, quæ est propriè humana, non potest esse coacta, nisi secundum quid, metu scilicet majoris mali, quàm sit ille actus, & est ista coactio* (secundum quid) *possibilis in homine virtuoso, quando non levi æstimatione, sed certitudinaliter, saltem certitudine sufficiente in actibus humanis, scit malum sibi inferendum, quod majus est inconveniens sibi, quàm actum istum displicentem elicere, & potest bene esse, quod secundum rectam rationem sit sibi majus inconveniens, utpote mors, vel carcer, vel captivitas. Cùm ergo iste sit dominus voluntatis suæ, potest & velle aliquid, quod alias nollet, & imperare actum alias nolitum, antequam incurrat ista mala*, v. g. cùm imperat, & vult projectionem mercium in mare, ut vitet mortem naufragii, quas alioqui valde amat, &

[1] *4. d. 29. B. n. 6.*

vellet conservare, *& hoc secundum rectam rationem*. Unde talis metus dicitur cadere in virum constantem. Et loqués de projectione mercium propter tempestatem, & periculum vitæ, *ubi metus inducit non tantù ad actum exteriorem projectionis, sed etiam ad actum interiorem, scilicet ad velle projicere*, addit, quòd *uterq; actus*[scilic. volitio interior, & projectio exterior] *pro quanto ad illos inducitur*[homo] *metu pœnæ, est simpliciter involuntarius, secundum quid tamen voluntarius pro quanto ad fugiendú ma'us malú, ut submersionem eligit minus malum, scilicet projectionem mercium*, &c.

Prob. 2. ex eodem, quia involuntarium, seu violentum simpliciter est, *cujus principium totaliter est extra non conferente vim passo, & non inclinato ad illam formam, quæ ab agente extrinseco inducitur*, &c. sed homo non potest sic cogi ad velle illud internum, quod elicit ex metu, quia *omnis actus humanus sive elicitus, sive imperatus, & liber, sive electivus, sive voluntarius est à principio interno eligente, & volen amissionem mercium potiùs, quàm incurrere periculum vitæ;* ergo quod fit ex metu, est simpliciter voluntarium, & quidem liberum, ac imputabile, quia fit ex electione deliberata, in qua eligitur minùs malum, ut vitetur majus.

Prob. 3. ex Aug. *Si subtilius advertamus, etiam quod quisque invitus facere cogitur, si facit, voluntate facit; sed quia malit aliud, ideo invitus hoc est nolens facere dicitur. Malo quippe aliquo facere compellitur, quod volens evitare, vel à se removere, facit quod cogitur; nam si tanta voluntas sit, ut malit hoc non facere, quàm illud pati,* [v. g. mortem] *cogenti procul dubio resistit, nec facit*, ut patet non solum de martyribus, qui mori maluerunt, quàm Tyrannis placere, sed etiam de aliis multis, qui ex constantia, vel obstinatione tormentorum, & mortis horrores contempserunt.

Prob. 4. In operante ex metu duplex consideratur voluntas. 1. efficax, & absoluta, & actus ejus est simpliciter voluntarius, ut projectio mercium: 2. conditionata, & inefficax, quæ haberetur, si metus abesset, ut conservatio mercium; & respectu hujus voluntatis projectio dicitur utcumque involuntaria; ergo voluntarium in his, quæ fiunt ex metu, prædomina-

minatur, nam voluntas proiiciendi est efficax, & absoluta, & agit de præsenti, voluntas autem conservandi ferè non est, sed esset, & vellet, nisi adesset metus: unumquodque autem simpliciter, & absolutè denominatur ab eo, quod est actu, non verò ab eo, quod est in potentia nisi secundum quid ad summum, qualis est volitio conservandi merces.

Prob. 2. p. quia ordinariè, quod fit ex metu, fit cum quadam repugnantia interiori voluntatis, quæ ad id non se determinaret, nisi ad id impelleretur ex metu majoris mali: v.g. mercator non se determinaret ad projectionem mercium, nisi immineret periculum naufragii, hæc ergo est quidem voluntatis simpliciter, quia posset non velle illam, sed cum quadam involuntarietate, seu repugnantia.

Prob. 3. p. quia quandoque metus potest esse tam subitus, & vehemens, ut præveniat deliberationem, & tunc idem dicendum de his actibus, ac de motibus indeliberatis, aut ex ignorantia, qui non sunt liberi, nec per consequens humani, nec imputabiles.

Objic. 1. ex Phil. *Nemo sanæ mentis sponte jactat bona sua*; unde concludit, *jactationem bonorum*, & alia hujusmodi *esse per se* involuntaria: nemo enim aliquid tale sponte faceret: ergo projectio mercium ex metu naufragii non est simpliciter voluntaria, saltem ex Philosopho.

Respondeo neg. conf. alioquin Philos. [1] sibi contradiceret: docet enim, quòd violentum est, *cujus principium ab extra tale existit, in quo agens, vel patiens nihil confert*: & ad propositum addit, quòd *mixti sunt hujusmodi actus, sed magis similes voluntariis, nam in electione sunt tunc, cùm fiunt*, &c. vult igitur, quòd tales actus ex metu habeant aliquid involuntarietatis ut plurimum.

Objic. 2. Promissa, & contractus ex metu non obligant, sed id oriri non potest nisi defectu libertatis: ergo metus facit involuntarium, seu non liberum. Prob. maj. vota, & matrimonia facta ex metu irritantur: ergo non obligant.

Resp. dist. maj. si fiant ex metu injusto, & sine consensu interno, non obligant in conscientia, con. maj. si adsit consensus internus, neg. maj. nam ille consen-

[1] 5. Ethic. c. 1.

sus internus erit omnino liber. Ad prob. dist. ant. irritantur in foro externo, & ex legibus humanis, con. ant. in foro interno, neg. ant. leges humanæ irritant contractus factos ex metu gravi ob rationes humanas, ne scilicet videantur approbare violentias, minas, & media, quibus apparenter vis infertur humanæ libertati; sed nos hic examinamus actus humanos in ordine ad libertatem internam.

Objic. 3. Si motus non faceret involuntarium, non excusaret à peccato trangressiones præceptorum: sed conf. est falsum; ergo &c. patet maj. non enim apparet, unde excusarentur, nisi ex involuntarietate, & metu; prob. min. urgente metu mortis v. g. potest omitti Baptismus, aut confessio ante Eucharistiam, & suppleri per contritionem potest celebrari Missa sine ornamentis, & alia omitti, quæ graviter præcipiuntur.

Respondeo neg. min. & conf. prob. neque enim talia excusantur à peccato propter metum, vel involuntarietatem, sed quia in his casibus non urgent talia præcepta: nec enim leges humanæ, vel Ecclesiasticæ obligant cum tanto dispendio. Dico, *humanæ*; nam contra legem Dei, aut naturæ, quæ obligant pro semper, non possent unquam violari ob metum quemcumque; quia nullum potest imminere homini malum temporale, quod sit magis timendum, quàm offensa Dei, quæ est inseparabilis à talibus trangressionibus.

Inst. Si metus non excusaret penitùs à peccato, non diceretur unquam cadere in constantem, seu virtuosum virum; sed hoc est contra nos; ergo verè excusat.

Respondeo neg. maj. Nam, ut dicatur cadere in constantem virum requiritur, & sufficit 1. quòd sit de gravi malo. 2. incutiatur à potente, qui possit, & soleat exequi minas suas, & 3. ut non possit aliter vitari malum illud, & quia talis metus cadit in virum constantem, & virtuosum, ideò tunc præcepta humana non obligant.

Objic. contra 2. Si metus causaret involuntarium secundum quid, observantia præceptorum, & victoria tentationum esset involuntaria; sed conseq. est falsum; ergo &c. Prob. maj. multi observant præcepta, &.

& vincunt tentationes metu damnationis; & inferni; v. g. cùm fur abstinet à furto; aut in ardore carnis abstinet à fornicatione, vellet explere avaritiam, aut libidinem, nisi adesset timor inferni, ergo tam involuntariè servat mandata, quàm qui merces projicit metu naufragii.

Resp. neg. maj. & ant. prob. Nam furtum, & fornicatio per se mala sunt, & quidem gravissima, & atrociora in æstimatione fidelium, quàm pœnæ omnes inferni, nec unquam potest etiam inefficaciter, & conditionatè illa velle: conservatio autem mercium de se est licita, & ad minùs indifferens, & potest desiderari; & ideo amittuntur cum quadam tristitia, & dolore, ex quo venit involuntarietas in projiciente illas metu naufragii, quòd autem vincens tentationem sentiat aliquam repugnantiam ptopter inclinationem carnis, aut cupiditatis, illamet erit involuntaria christiano, quia residet in parte inferiori animæ, & in parte sensitiva potiùs, quàm in voluntate.

Dixi autem in conclusione, *nisi metus præveniat usum rationis*, quia in tali casu actus non esset à principio intrinseco cognoscente singula, nec esset actus humanus.

CONCLUSIO II.

Concupiscentia antecedens non tollit, sed potiùs auget voluntarium, licèt minuat liberum, nisi ita sit vehemens, ut præveniat rationem. Ita communiter.

Prob. 1. ex Scoto (1) sæpè citato, quia *involuntarium simpliciter est illud, quod est à principio extrinseco, & contra quòd voluntas remurmurat, & voluntarium, contra quod voluntas non omninò remurmurat. 2. quod voluntariè acceptat, & 3. quod voluntariè causat:* sed non solùm non remurmurat contra actus suos, ad quos movetur à concupiscentia, sed etiam in eos inclinat, & fertur cum majori impetu, & delectatione; ergo, ex Scoto, non solùm concupiscentia non impedit, aut minuit, sed etiam auget voluntarium. *Forsan non bene dicitur, esse illa involuntaria, quæ per iram, aut concupiscentiam fiunt*, inquit Philos. [2]

E. 6. Prima.

[1] 4. *d.* 14. *q.* 1. *M.* & *O.*
[2] 3. *Ethic. c.* 1.

Prima enim nullum aliud animal voluntariè ageret, nec pueri etiam. Deinde utrum nihil agemus voluntariè ex iis, quæ per iram, aut concupiscentiam, vel honesta quidem voluntariè, turpia verò involuntariè? Vel ridiculum est, cùm una sit causa: absurdum verò dicere, illa involuntaria esse, quæ oportet appetere. Et irasci oportet in quibusdam, & concupiscere quædam, ut sanitatem, & doctrinam; actus verò hominum ex ira, & concupiscentia sunt, quæ involuntaria ponere absurdum est.

Prob. 2. Tunc actus magis est voluntarius, quando fit cum cognitione, aut volitione, seu propensione voluntatis intensiori; sed quod fit ex concupiscentia, v. g. ex ira, vel amore, fit ex cognitione, & voluntatis inclinatione intensiori; ergo est magis voluntarium. Prob. minor. passio facit, ut attentiùs inspiciatur objectum sub ratione boni, & ira sub ratione mali, & per consequens ut fortiùs ametur, vel fugiatur; quia passio applicat intellectum, & voluntatem ad objectum, quod prosequitur.

Prob. 2. p. quia libertas tunc est minor, quando minor est indifferentia voluntatis; & major determinatio in unam partem; sed ex concupiscentia nascitur minor indifferentia, & major determinatio voluntatis ad unam partem; ergo minuitur libertas. Prob. min. ex ira enim voluntas inclinatur ad fugam, & odium, & ex concupiscentia ad amorem, & prosecutionem.

Dixi autem 1. *concupiscentia antecedens* potiùs auget voluntarium, nam de consequenti nulla est difficultas; illa enim est effectus volitionis, & majoris voluntarietatis signum, sed non causa; cùm enim voluntas excitat in nobis passiones appetitus, & eas velut in auxilium suum advocat, signum est sine dubio illam fortiùs velle, quod agit.

Dixi 2. *Nisi concupiscentia sit adeò prompta, & vehemens, ut præveniat usum rationis*; ut fit in motibus primo primis; tunc enim deest cognitio, sine qua nullum est voluntarium.

Fateor tamen, ibi misceri etiam aliquid involuntarii, tum quia sæpe contingit, ut mediis utamur ad finem volitum ex concupiscentia cum aliqua retinentia, ut cum avarus vincente libidine profundit opes, aut si pater ex ambitione, vel superbia mactaret, vel exponeret unicum filium; nam in his casibus

eadem

eadem est ratio de concupiscentia, ac de timore.

Objic. 1. con. 1. p. Illud est magis voluntarium, quod magis est à principio intrinseco cum cognitione; sed quæ sunt ex concupiscentia, sunt magis ab extrinseco, & cum minori cognitione, ergo sunt minùs voluntaria. Prob. min. 1. enim concupiscentia est motus appetitus sensitivi, & extrinseca voluntati æquè ac timor. 2. vehemens ira, vel amor impediunt intellectum, ne attentiùs consideret, & examinet in objectis, aut circumstantiis ea, quæ hominem deterrerent ab actu; ergo quæ sunt ex concupiscentia magis sunt ab extrinseco, & cum minori cognitione.

Resp. dist. maj. est magis voluntarium quoad extrinseca voluntarii, & per se, conc. maj. quoad intrinseca, & per accidens, neg. maj. & conseq. nam ratio intrinseca voluntarii consistit in hoc, quòd sit à voluntate magis, & fortiùs agente cum minori resistentia, & majori complacentia, quod accidit in actibus ejus ex concupiscentia. Ad prob. patet ex dictis 1. quòd licèt concupiscentia moveat voluntatem, & quasi impellat, movet tamen illam secundum suam inclinationem, & sine renitentia ejus, sicut qui moveret lapidem deorsum. 2. patet, quòd ordinariè attentiùs intuemur objecta, quæ volumus, & secundum eam rationem, quæ arridet, licèt aliæ conditiones objecti, & circumstantiæ minùs attendantur, & hoc sufficit ad majorem voluntarietatem ex hac parte. Et præterea cognitio se tenet ab intrinseco, & est velut conditio voluntarietatis.

Objic. 2. con. 2. p. Non potest minui libertas, quin minuatur voluntarietas; ergo si minuatur liberum, etiam minuitur voluntarium. Prob. maj. ratio generica non potest minui in specie, quin minuatur in genere; sed libertas est species voluntarietatis; ergo ubi est minor libertas, ibi est minor voluntarietas.

Resp. 1. neg. conf. quia liberum non est propriè species voluntarii, sunt quidem ab eodem principio, & quod est liberum, est quidem voluntarium, non è contra, sed voluntarium non est propriè genus ad liberum contingens, quandoquidem illud stat cum necessitate, ut diximus.

Respondeo 2. neg. ant. Nam potest poni una species loco alterius absque diminutione generis, v. g. si loco

si loco albedinis ponatur nigredo, non minuetur, nec mutabitur coloratum mutato colore; ita est in proposito, ratio libertatis mutatur non mutata voluntarietate, quia cùm voluntarium aliud sit necessarium, aliud contingens, potest magis accedere ad necessarium, ut fit in proposito, remanente semper ratione voluntarii. 3. quia ideò dicitur magis voluntarium, quia fit cum majori propensione, ac delectatione voluntatis.

Objic. 3. Concupiscentia minuit peccatum; ergo & voluntarium. Patet ant. nam quæ fiunt ex iræ, vel concupiscentiæ vehementia, sunt leviora, cæteris paribus. Prob. cons. non enim apparet, unde fierent leviora, nisi ex involuntarietate.

Resp. neg. conf. & prob. ejus; venit enim non ex diminutione voluntarii, sed libertatis, de quo in tract. de peccatis.

Quæres, *an vota, matrimonia, & alii contractus ex metu sint involuntaria, & nulla?*

Resp. pro nunc, quòd in foro conscientiæ si adsit internus consensus verus, mihi videtur, quòd ligant, sed in foro externo sunt irrita, vel irritanda; sed de hoc aliàs; pro nunc ista sufficiant.

QUÆSTIO XI.

An voluntarietas, & libertas salvetur in omissione pura, seu an possibilis sit omissio pura, & libera, & quomodo.

NOmine *omissionis liberæ*, & *puræ* intelligo cessationem omnis actus voluntatis circa aliquod objectum, v. g. nolitionis, aut volitionis positivæ circa Missam, aut jejunium. Dico *voluntatis*, nam ut illa cessatio sit libera, debet esse cognita ab intellectu, sicut & objectum ejus, & quæritur, an sicut voluntas est libera ad volendum, aut nolendum positivè jejunium, quæ *est libertas contrarietatis*, seu *specificationis*, ita etiam sit libera ad cessandum ab omni volitione, aut nolitione positiva, etiam indirecta circa illud, aut alio actu ab illo elicito, vel imperato interno, vel externo, per se, vel occasionaliter. 2. an objectum omissionis, seu actus omissus debeat esse obligatorius.

Por-

Porrò voluntas dicitur aliquid velle directè, quando ipsum respicit immediatè in seipso, indirectè verò, quando illud respicit in alio, cum quo habet connexionem, aut oppositionem, v. g. qui vellet impendere ludo, aut venationi tempus, quo celebratur sacrum, vellet directè ludum, aut venationem, & indirectè omissionem sacri. ad omissionem autem puram requiritur negatio utriusque volitionis positivæ, scilicet tam directæ, quàm indirectæ, seu mediatæ, ita ut voluntas omittat sacrum independenter ab omni actu positivo, qui sit causa ejus tam directa, quàm indirecta.

CONCLUSIO I.

Possibilis est omissio pura, & libera. Est satis communis, maximè inter Scotistas.

Prob. 1. ex Scoto, (1) qui docet, voluntatem non necessitari ad actum positivum volitionis circa ultimum finem, etiam clarè cognitum, & ut purè bonum, quia *tunc quidem non posset nolle illum, sed potest illud bonum perfectum non velle, quia in potestate voluntatis est non tantum sic vel sic velle, sed etiam velle, vel non velle, quia libertas ejus est ad agendum, vel non agendum*, &c. Non velle autem est omissio, seu negatio volitionis: sed clariùs docet, quòd *voluntas ex libertate sua posset non velle, & ita nullum actum habere, quia secundum August.* [2] *nihil est tam in potestate voluntatis, quam ipsa voluntas quantum ad operari*. Vides omissionem sine ullo actu voluntatis. Idem alibi sæpe confirmat.

Prob. 2. ex eodem. Illud est liberum, quod est in plena potestate voluntatis, sed tam negatio actus, quam ipse actus volitionis, aut nolitionis est in plena potestate; ergo & negatio actus pura est libera æquè ac positio ejus. Prob. min. nam si objectum proponatur sub ratione indifferenti, nihil cogit voluntatem ad actum ullum circa illud; ergo potest nullum habere, & tunc respectu ejus erit pura omissio: imò licèt proponatur ut bonum, & amandum, adhuc potest non amare, alioqui non esset libera libertate contradictionis.

Dices

[1] 1. *d.* 9. 4. *n.* 18. [2] 1. *d.* 7. P. & Q. *n.* 23.

Dices, minorem negandam esse, quia positio actus est directè, & immediatè in potestate voluntatis; negatio verò, seu omissio mediante actu aliquo, seu velle, quo vult omissionem, aut aliquid, ad quod illa sequitur, & sic omissio non est libera, nisi mediate, seu indirectè.

Contra 1. & prob. min. voluntas non majus dominium habet supra velle, aut nolle positivum, quàm supra non velle: sed habet dominium directum, & immediatum supra velle, aut nolle positivum; ergo & supra non velle. Prob. maj. non minùs est libera libertate contradictionis, & exercitii, quàm contrarietatis, & specificationis: sed ex omnium sententia, est libera libertate contrarietatis: ergo & contradictionis, ergo tam potest non velle, & non nolle positivè, quàm velle, & nolle. Certè si non possum omittere amorem Dei, nisi per actum odii, vel nolitionem positivam amoris, nulla est libertas contradictionis: nam nolle amare tam contrariè opponitur amori, vel volitioni amoris, quam odium, vel volitio odii: ergo si non possum omittere amorem sine aliquo actu, nulla est libertas contradictionis circa amorem Dei.

Confir. quia licèt libertas contradictionis posset exerceri per actus positivos amoris, & nolitionis amoris, adhuc non probatur, quòd non possit exerceri etiam per amorem, & non amorem: ergo semper verum est possibilem esse omissionem puram, & liberam.

Prob. 3. Qui libere amat, potest cessare ab amore nihil cogitando de ullo alio objecto, vel de odio: imò posset ei negari concursus ad cognitionem alterius objecti, vel actus: sed tunc omissio amoris esset pura, & libera: ergo possibilis est talis omissio. Prob. maj. ad actum liberum requiritur, & sufficit ex parte voluntatis, 1. indifferentia ad agendum, vel non agendum. 2. cognitio bonitatis objecti. 3. concursus paratus ad utrumque: non autem requiritur indifferentia ad odium talis objecti nec ex parte voluntatis, neque ex parte concursus: ergo tria illa sufficiunt: sed tunc nihil cogitaretur de odio, vel nolitione amoris, nec de amore alterius objecti: ergo vera est illa major: nec minùs esset liber ille amor, quàm si adessent illa omnia.

Prob.

Prob. denique, quia sic meliùs salvatur totus conceptus libertatis, & in hoc nulla est repugnantia; ergo debet admitti talis omissio.

Objic. 1. De essentia liberi, ac voluntarii est, ut sit à principio intrinseco, ut patet ex definitione allata; sed pura negatio actus, seu omissio non potest dici esse à principio; ergo nec libera. Prob. min. purum nihil non habet principium; sed pura omissio est purum nihil; ergo non est à principio intrinseco.

Respondeo dist. maj. quod est à principio intrinseco agente, aut non agente, seu positivè per influxum positivum, aut negationem influxus, conc. maj. & neg. min. à principio agente positivè tantùm, neg. maj. & conf. quales sunt res, talia sunt earum principia; negationes sunt entia negativa, seu non entia, ideo sunt suo modo à principiis non influentibus positivè.

Inst. 1. In tantum aliquid est à principio aliquo, in quantum pendet ab illo; sed pura negatio non potest pendere ullo modo à voluntate; ergo non potest esse ab illa ullo modo.

Resp. neg. min. Nam pendet negativè, & indirectè, quatenùs est in potestate libera voluntatis ponere actum oppositum, quo posito ipsa non inesset, sicut tenebræ non inessent in hemispherio nostro, si sol ibi remaneret, & si illa perseverantia esset illi libera, sic & negatio lucis, seu tenebræ.

Inst. 2. Omne voluntarium est per exercitium libertatis; est enim actus ejus secundus; sed pura negatio actus liberi non est exercitium, sed potius negatio exercitii libertatis; ergo non est voluntaria.

Respondeo ut priùs, dist. maj. exercitium positivum, aut negativum, conc. maj. & neg. min. positivum semper, neg. maj. & conseq. quia sicut omissio est negatio libera actus liberi, ita est exercitium negativum libertatis.

Inst. 3. Exercitium potentiæ vitalis debet fieri vitaliter; sed hoc non fit sine actu positivo; ergo nec exercitium libertatis. Prob. min. exercitium potentiæ vitalis non fit vitaliter, nisi quatenùs homo se movet ab intrinseco versus objectum; sed ille motus est quid positivum; ergo &c.

Respondeo dist. maj. debet fieri vitaliter, quando opera-

operatur, conc. maj. quandò non operatur, neg. maj. & ſic diſt. min. & maj. prob. non fit ſine actu poſitivo, quando operatur, conc. min. & maj. probationis, quando non operatur, neg. min. & maj. prob. nam potentia libera duobus modis exercet ſuam libertatem 1. poſitivè, & operando, & id facit per actum poſitivum. 2. negativè, & non agendo, & id prȩſtat ſine ullo actu, ſed purè ceſſando, aut abſtinendo ab actione, & ratio eſt, quia hæc libertas conſiſtit in poſſe agere, vel non agere.

Inſt. Omne exercitium libertatis in actu 2. differt ab eodem in actu primo, ſed in actu 1. jam erat negatio omnis actus poſitivi; ergo in actu 2. debet addere quid poſitivum.

Reſpondeo diſt. maj. differt poſitivè, aut negativè, con. maj. poſitivè, neg. maj. & min. nam in actu 1. omiſſionis voluntas eſt indifferens ad agere, vel omittere, & ſic præſcindebat à negatione, & actu; ſed in exercitio, ſeu in actu 2. jam eſt ſub negatione determinata.

Objices 2. Eo inſtanti, quo omiſſio incipit eſſe libera, tranſit voluntas de actu 1. ad 2. & de non volente fit volens, & omiſſio de non libera fit libera; ergo de novo aliquid advenit voluntati, & omiſſioni, ſed nihil poteſt de novo advenire, præter aliquam volitionem directam, vel indirectam circa omiſſionem; ergo ita eſt, & ſic omiſſio non poteſt eſſe pura. Prob. conſeq. nihil enim poteſt tranſire de contradictorio in contradictorium ſine mutatione.

Reſp. neg. ſubſumptum; advenit enim ipſe tranſitus tam voluntatis, quàm omiſſionis, quo illa de non volente fit volens, de actu 1. ad 2. & omiſſio de non libera dicitur libera.

Inſt. Illæ denominationes, ad quas fit tranſitus, ſunt novæ tam in voluntate, quàm in omiſſione; ergo illis advenit aliquid novi, per quod ſic tranſit.

Reſp. diſt. conſ. aliquid extrinſecum, vel intrinſecum, con. conſ. aliquid poſitivum intrinſecũ, neg. conſ. nam ſicut motus 1. primus v. g. qui in 1. inſtanti non erat liber, fit liber ſine ulla nova entitate intrinſeca tam in voluntate, quàm in actu; idem eſt de omiſſione, quæ in 1. inſtanti erat non libera, fit libera in

2. &

2. & istud novum potest esse cognitio proponens actum faciendum, vel omittendum, qua cognitione supposita voluntas fit potens facere, vel omittere, & deinceps hoc ipso, quod omittit, liberè omittit, quia poterat non omittere; est ergo denominatio nova extrinseca.

Inst. 2. Etiam hoc admisso, voluntas eligit, & se determinat ad omissionem, cùm posset eligere actionem; sed electio, seu determinatio est quid positivum; ergo advenit aliquid positivum.

Respondeo dist. maj. Eligit, & se determinat negativè, conc. maj. positivè, seu per aliquem actum, neg. maj. & min. quia electio, seu determinatio ad continuationem omissionis nihil aliud importat, quàm denominationem extrinsecam petitam ex indifferentia, in qua erat in actu primo ad agendum, vel non agendum, & ex negatione actionis in actu 2. quam poterat non habere.

Ob. 3. Omissio non potest esse libera in genere moris, nisi sit ex intentione alicujus finis sine actu positivo; sed non potest esse ex intentione alicujus finis sine actu positivo; ergo nec omissio pura. Maj. patet: nam omne agens liberum, & in genere moris agit ex proposito, & propter aliquod bonum sive committendo, sive omittendo. Min. etiam prob. quia ut agat propter finem debet moveri à fine; sed non potest moveri à fine, nisi per actum, aut passionem positivam; ergo &c. Magni faciunt hoc argumentum adversarii, sed immeritò.

Respondeo neg. maj. & dist. prob. ejus, agit ex proposito, & libertate contrarietatis, & propter bonum aliquod, si agat, conc. si omittat agere, & ut agens liberum libertate contradictionis, neg. ant. nam quæ necessitas proponendi sibi finem, & bonum aliquod in omissione actus indifferentis, aut debiti? Id quidem verum est in exercitio libertatis contrarietatis, cujus objecta sunt positiva, & contraria, sed id minimè necessarium est in exercitio libertatis contradictionis; ut agam, debeo moveri ab aliquo fine, sed ut abstineam ab omni actu, non debeo moveri, saltem explicitè, & formaliter.

Inst. 1. Voluntas non exercetur humano modo sine motivo, & fine; sed omissio hic consideratur, ut

ut libera humano modo; ergo debet haberi ex aliquo motivo, & fine. Prob. min. sicut in actu humano positivo agitur propter finem, ita in omissione humana.

Resp. dist. maj. sine motivo, & fine formaliter, & explicitè, aut saltem virtualiter, & interpretativè, conc. maj. & neg. min. formaliter, & explicitè tantùm, neg. maj. & conf. nam si possemus velle positivè aliquid humano modo sine intentione explicita, & formali alicujus finis, sed sufficit virtualis, & interpretativa, id à fortiori verum est in omissione volitionis, v. g. qui omittit sacrum, censetur id esse propter commoditatem.

Inst. 2. Causalitas, seu motio finis est realis; sed non potest esse realis sine aliquo actu positivo; ergo semper est aliquis actus positivus in omissione.

Resp. 1. dist. maj. Est realis, id est vera, prout reale opponitur ficto, conc. maj. est realis, id est physica, & per influxum vere exeuntem ab objecto, neg. maj. & conf. causalitas enim finis est metaphorica, & moralis, ut diximus in Physica.

Resp. 2. dist. eandem maj. est physica positivè, & explicitè, ac formaliter, quando finis movet formaliter, & explicitè, conc. quando movet solum virtualiter, & interpretativè, neg. maj. & min. nam sicut nullum est objectum, nec finis, qui moveat formaliter, sed tantum interpretativè, & virtualiter, ita & nulla est motio formalis physica.

Inst. 3. Quando intellectus repræsentaret duo motiva omittendi sacrum, v. g. ludum, & venationem, non posset interpretari, quodnam ex duobus moveret ad omissionem; ergo voluntas deberet se explicare, & hoc per aliquem actum; ergo in his casibus non posset dari omissio pura.

Resp. 1. negando conseq. quia licèt non possemus divinare motivum unum ex duobus, non sequitur, quin alterutrum potuisset movere, & hoc sufficit nobis, quòd alterutrum ex his objectis id possit efficere, ut omissio dicatur humana: & præterea licèt in his, & similibus casibus, maximè quando objecta proposita essent contraria, non posset dari omissio pura, adhuc posset dari in aliis, in quibus non adesset occasio dubitationis, & perplexitatis.

Resp.

Resp. 2. neg. antec. Nam ex variis circumstantiis, & modis posset facilè divinari, quodnam motivum induceret ad omissionem, an scilicet ex motivo ludi, aut venationis, vel id posset dici de utrolibet sub aliqua ratione communi, v.g. commodi, aut incommodi.

Objic. 4. Libertas est ad agere, & non agere; sed omissio non est objectum, seu terminus actionis; ergo nec libertatis. Prob. min. nihil enim potest fieri circa omissionem puram.

Resp. neg. maj. Nam sufficit, ut sit ad agere, vel non agere, aut agere oppositum; unde voluntas circa omissionem potest eam non habere agendo id, quod omittitur, & tunc non omitteret, vel non ageret, & tunc habetur omissio; non autem requiritur, ut directè, & copulativè actio, & non actio possint terminari ad idem.

Inst. 1. Libertas est proprietas entis, seu est quid positivum; sed omissio est non ens; ergo non potest dici libera.

Resp. dist. maj. libertas ex parte principii activi, conc. maj. ex parte termini, qui denominatur liber, neg. maj. & conf. libertas formaliter est in voluntate, quam denominat liberam intrinsecè; terminativè autem est in actu, vel objecto, quod ab ea denominatur extrinsecè, & sic omissio dicitur libera à libertate, quæ est in voluntate, quæ sic omittit actum, ut posset non omittere.

Inst. 2. Omne liberum debet esse volitum vel propter se, vel propter aliud; sed neutrum dici potest de omissione pura; ergo nullo modo potest esse libera. Prob. min. non propter se, quia est purum non ens; & sic nullam habet bonitatem in se, nisi propter aliud; ergo habet annexum aliquem actum positivum; & sic non est pura omissio.

Resp. neg. maj. Sufficit enim, ut sit in potestate voluntatis, ita ut possit haberi, vel non haberi, esse, aut non esse suo modo, & talis est omissio.

Inst. 3. Omissio pura libera est non volitio cum advertentia, seu deliberata, & sic est nolitio virtualis: idem enim est omittere missam, ac non velle missam; sed omne nolle supponit aliquod velle oppositum ex Scoto, [1] v.g. nolle laborem est ex velle quietem;

[1] 2.d.6.q.2.

tem; ergo omnis omissio supponit aliquem actum positivum.

Resp. dist. min. Supponit velle interpretativum, & virtuale, aut actuale, & formale, conc. min. actuale, seu formale tantùm, neg. min. & conf. nam qui otiatur per puram omissionem laboris censetur velle quietem, licèt actu non cogitet, aut saltem non velit positivè quietem.

Objic. 5. Per frequentes omissiones destruuntur habitus acquisiti; ergo non sunt puræ negationes actus. Ant. patet experientia: qui enim frequenter omittit sacrum, sensim amittit habitum religionis. Prob. ant. ens positivum non posset destrui per purum non ens; sed omissio pura est purum non ens; ergo non posset destrui per omissionem, si esset pura sine aliquo positivo.

Resp. dist. ant. destruuntur negativè, aut directè, vel indirectè, conc. ant. positivè, & directè, neg. ant. & rationem ejus, seu experientiam: nam 1. sicut habitus acquiruntur, & generantur per actus frequentatos, ita per non usum sensim amittuntur, & hoc voco destrui negativè. 2. si omissio sit non pura, sed causata per actus directe oppositos, v. g. per nolitiones positivas actuum religionis, habitus directè destruuntur per illos. 3. Si actus, qui sunt comitantes, seu occasiones omissionum, v. g. ludus, venatio, & similes sint positivi, contrahuntur habitus ludendi, venandi, &c. qui minuunt indirectè effectum religionis, & distrahunt ab illa.

Objic. 6. Deus non potest purè omittere; ergo neque homo: patet conf. Deus enim non agit minùs voluntariè, aut liberè. Prob. ant. Deus non potest omittere v. g. conservationem, vel concursum nisi volens; ergo nec purè omittere.

Resp. neg. conf. Nam licèt omissio pura notaret aliquam imperfectionem in libertate divina, v. g. aliquam potentialitatem, & ideo repugnaret Deo, non ita est de homine. 2. negari etiam posset ant. quia, ex Scoto, [1] in ordine actuum prædestinationis, & reprobationis in 1. & 2. signo, seu instanti, quo Deus vult Petro gloriam, & gratiam, nihil vult Judæ, adhuc nullus actus positivus divinæ volunta-

[1] 1. d. 41. B. n. 12.

luntatis est circa Judam, sed tantùm negationis; ergo ex Scoto, pura omissio non repugnat libertati divinæ.

Objic. 7. Peccatum dividitur in dictum, factum, vel concupitum contra legem; ergo nullum est peccatum puræ omissionis, vel illa divisio non est bona. Prob. conf. nam pura omissio non potest reduci ad ullum ex his membris.

Respondeo neg. conf. tum quia si non posset reduci omissio ad ullum ex his membris, sequeretur tantùm, quod illa divisio non esset de peccato in genere, pro ut comprehendit peccatum omissionis, & commissionis, sed de peccato commissionis; tum quia facilè reduci posset ad concupitum, non positivè, sed interpretativè, quia perinde est quoad transgressionem legis, quod fiat per nolitionem positivam obedientiæ, aut per puram omissionem ejusdem. Denique negatio ad idem genus reducitur, in quo ponitur affirmatio; *Non dictum reducitur ad dictum; non concupitum ad concupitum.*

Objic. denique Scotum, qui docet, [1] voluntatem non posse suspendere actum suum, v.g. amoris sine alio actu reflexo, quo dicat, *nolo amare. Hoc non intelligo, quod sic ipsa possit voluntariè suspendere omnem actum suum, sed voluntariè potest non velle objectum illud; sed habet tunc aliud velle, scilicet reflexum super actum suum, istud scilicet,* volo modò non elicere actum circa illud objectum, *& hoc bene potest ex se,* &c. Idem de Deo habet dicens, quòd *Deus potest velle voluntatem suam non velle hoc;* ergo ex Scoto[2] non datur pura omissio libera nec in Deo, nec in homine.

Respondeo neg. conf. nec enim id sequitur ex his textibus Scoti; nam in primo dicit, Deum non posse voluntariè suspendere omnem actum suum; nam ipsamet voluntaria suspensio est actus reflexus voluntatis ejus; nam loquitur de suspensione voluntaria positivè, quod verum est. In 2. potiùs docet contrarium expressis verbis; *Offertur voluntati* (divinæ) *hunc peccaturum, vel peccare, primò voluntas ejus circa hunc non habet velle, velle enim ipsum habere peccatum non potest, 2. potest intelligere voluntatem suam non volentem hoc, & tunc potest velle voluntatem suam non*

[1] *Quodlib.* 16. *n.* 4. [1] 1. *d.* 47. *D. n.* 5.

non velle hoc; esse omissionem puram, & non puram ex Scoto.

CONCLUSIO II.

Ut *illa omissio sit libera, non requiritur præceptum de re omissa*. Ita Scotistæ contra Thomistas, & alios, qui volunt, quòd ut omissio sit voluntaria, requiratur, ut omittens teneatur non omittere.

Prob. 1. ex Scoto, qui in textibus allegatis nullam facit mentionem de præcepto, & maximè quia omissionis possibilitatem refert in libertatem voluntatis, quæ non minùs exercetûr non instante præcepto, quá instante.

Prob. 2. Ut aliquid sit liberum, nihil aliud requiritur, quam quod sit in potestate voluntatis, ita ut possit esse, aut non esse; sed ut omissio pura ita sit in potestate voluntatis nihil refert, quòd sit præcepta, aut prohibita; ergo non requiritur præceptum, ut omissio pura sit libera. Maj. patet ex definitione liberi, & ad libertatem omissionis actus non plus requiritur, quam ad libertatem actus positivi. min. etiam patet, quia tam possum omittere sacrum die feriali, quo non præcipitur, quàm die festo, quo præcipitur. Hinc

Prob. 3. Omissio sacri die festo, & urgente præcepto est libera; ergo & die feriali. Prob. cons. quia præceptum nihil confert ad libertatem; tam enim possum audire, vel omittere sacrum die lunæ, quam die dominico.

Dices. Urgente præcepto potest omissio imputari voluntati ut causæ ejus morali, non autem cessante præcepto.

Contra. Nisi urgente præcepto voluntas posset audire, vel non audire sacrum, omissio non imputaretur illi ut causæ morali; ergo tota, aut saltem principalis, & fundamentalis ratio imputabilitatis est libertas audiendi, vel omittendi, & ad hoc nihil facit præceptum, nisi ad imputabilitatem in peccatum, vel virtutem; sed de hoc non est quæstio.

Objicies 1. Omissio sine obligatione nullam actualem connexionem habet cum voluntate; ergo sine præcepto obligante omissio non est voluntaria. Prob. ant. connexio esset physica, aut moralis; sed neutra

dici

dici potest; ergo nulla. Prob. min. 1. non est physica; quia cùm sit pura negatio actus, voluntas ad eam non influit physicè. 2. non est moralis, quia est sine regula morum, quale est præceptum obligans.

Resp. neg. ant. 1.arg. & min. 2. & ad 3. dico, illam connexionem omissionis cum voluntate esse & physicam negativè, & moralem æquè sine præcepto, & obligatione, ac cum præcepto; unde hoc argumentum æque solvendum est illis, qui admittunt possibilitatem puræ omissionis cum præcepto, seu obligatione; quomodo autem à nobis solvatur, patet ex præcedenti conclusione.

Inst. 1. Ut omissio sit voluntaria debet esse à voluntate per aliquem influxum: sed sine obligatione non potest esse ullo modo à voluntate; ergo ad omissionem liberam requiritur obligatio. Maj. patet ex definitione voluntarii. Prob.min. ut intelligamus fieri omissionem, debet præsupponi terminus aliquis *à quo*, nempe actus, & debitum, quæ omissioni opponuntur; quia debet intelligi aliqua mutatio in voluntate, qua de non omittente dicatur omittens; sed non præcedit actus, alioqui omissio non esset pura; ergo præcedit debitum.

Resp. eodem modo, neg.min. & maj. prob. quia obligatio nihil facit præcisè ad libertatem, sed tantum ad imputabilitatem; nam ex quo urget obligatio non omittendi, incipit omissio esse culpabilis; sed ante obligationem, & præceptum tam erat libera, quàm post.

Inst. 3. Ut omissio sit libera debet habere aliquid in actu 2. quo voluntas exercet suam libertatem, quod non habebat in actu 1. in quo nondum dicebatur eam exercere; sed nihil potest habere de novo in actu 2. præter aliquam obligationem ad actum; ergo cùm non habeat actum, si est pura, debet habere aliquam obligationem ortam ex præcepto: hoc est præcipuum fundamentum adversariorum. Vide quàm firmum.

Resp. 1. neg. min. & cons. 1. quia dum omittit sacrum, tam adest præceptum in actu 1. quàm in 2. ergo si in actu 1. omissio non erat libera, neque erit in 2. ut mihi est evidens. 2. falsa est eadem min. quia si aliquid requiritur pro actu 2. exercitii libertatis, illud est potentia omittendi, vel non omittendi, quæ non

præsupponitur esse in actu primo, & ante exercitium, scilicet ipso instanti, quo censetur liberè omittere sacrum, poterat velle non omittere, quod non censetur posse antea.

Inst. 4. Tam in actu 1. erat negatio actus omissi, quàm in 2. ergo utrobique se habet eodem modo.

Resp. neg. ant. nam ante illud instans, in quo est omissio libera, voluntas est indifferens ad omissionem, vel contrarium; ideo non dicebatur omissio. In actu autem 2. jam est omissio, & quidem libera: quia pro hoc instanti secundo jam non potest non esse omissio, non potest haberi actus oppositus, saltem in sensu composito; in instanti autem 1. erat indifferens ad utrumque.

Dices: Per quid ergo tollitur illa indifferentia?

Resp. non tolli per obligationem, seu præceptum, ut patet ex dictis, sed per alia connotata, quæ assignavimus in 1. conclusione, v. g. per advertentiam intellectus, & alias circumstantias, quibus induci poterat voluntas ad volendum, aut non volendum omittere; obligatio autem facit, ut omissio sit peccaminosa, si est de actu præcepto, vel virtuosa, si est de vetito; sed de his dicetur, ubi de peccato omissionis.

CONCLUSIO III.

Omnis eventus prævisus ex omissione pura, aut non pura tam est liber sine præcepto, quam ex præcepto. Sequitur ex præcedentibus.

Prob. 1. quia omissio est in se libera sine præcepto; ergo & omne, quod prævidetur ex illa sequi: ant. patet ex concl. 2. prob. conf. quia tam liberè posset voluntas impedire sequelam, quàm causam ejus.

Prob. 2. quia nihil prorsus impedit libertatem hujusmodi eventuum: hoc enim ipso, quòd omissio habetur liberè, & quòd prævidentur eventus ex ea secuturi, tam imputantur, quàm ipsamet omissio; nec ad hoc aliud facit præceptum, nisi ut imputentur ad peccatum, & pœnam, si sunt de rebus vetitis, vel laudem, & præmium, si sunt de rebus virtuosis.

Objic. 1. Ut aliquid sit voluntarium, & liberum, debet esse à voluntate, ut à causa physica, aut morali; sed eventus sequentes ex omissione non sunt à voluntate,

tate, ut à causa physica, aut morali sine præcepto: ergo nec liberi. Prob. min. submersio navis orta ex omissione regendi gubernaculum non esset nec physicè, nec moraliter à voluntate nautæ, nisi adesset præceptum regendi; ergo &c. Prob. ant. 1. non physicè, quia omissio illa; cùm sit pura negatio, non potest habere ullum influxum physicum in effectum positivum, qualis est submersio navis. 2. non moraliter, quia nisi adesset obligatio regendi, non imputaretur illi submersio; ergo &c.

Resp. neg. min. & ant. utriusque prob. nam eodem prorsus modo, quo stante præcepto regendi navim, submersio esset libera nautæ, ita & cessante obligatione; tota differentia se tenet penes imputabilitatem, & peccatum, quæ oriuntur ex ea obligatione. Illi ergo eventus essent quidem liberi cessante obligatione circa omissionem, sed essent & liberi, & imputabiles stante obligatione non omittendi.

Objic. 2. Si hoc esset, peccata nostra essent libera Deo, sed hoc est falsum, & impium; ergo cessante præcepto, eventus ex omissione non sunt liberi. Prob. seq. quia Deus prævidet peccata secutura ex permissione, qua omittit ea impedire, æquè ac submersio navis est prævisa ex omissione directionis.

Resp. dist. maj. essent libera Deo permissivè, & inculpabiliter, conc. maj. & neg. min. quid enim in hoc injuriæ, vel erroris? positivè, & culpabiliter, neg. maj. & cons. Deus non solùm permissivè, seu negativè concurrit ad peccatum, quod non impedit, cùm posset, sed etiam positivè ad materiale peccati, quod aliunde prohibet, & punit; nec in hoc culpabilis, sed adoranda est ejus sapientia. Cur non liberè concurreret homo negativè ad eventus secutos ex omissione inculpabili, aut etiam laudabili?

DISPUTATIO II.

De bonitate, & malitia actuum humanorum.



IAM vidimus, quid sit moralitas actus humani in genere, ac de libertate, quæ ad hoc requiritur; progredimur ad species moralitatis, inter quas patet bonitatem, & malitiam esse præcipuas: de indifferentia, quę velut mediat inter illas, jam diximus.

QUÆSTIO I.

An, & quid, & quotuplex sit bonitas actus humani, & quid sit malitia.

DE existentia malorum, & bonorum actuum non est qui dubitet tales dari, vel dari posse: docet ipsa Scriptura. [1] *Nonne si benè egèris, recipies, si autem malè, statim in foribus peccatum aderit?* [2] Et, *Tribulatio, & angustia in omnem animam operantis malum, gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum.* Nec audiendi sunt hæretici docentes, omnia hominis etiam justi opera esse peccata; nec in hoc immoramur. Quid autem sit illa bonitas, & in quo præcisè consistat, non adeò facile explicatur.

Diximus, quòd actus humanus est vel *internus*, qui à sola voluntate elicitur, vel *externus*, qui à voluntate imperatur aliis potentiis externis, & quatenus earum actus dominio ejus subsunt; *interni* principales sunt *intentio*, quæ versatur circa finem, velut proprium, & immediatum objectum; & *electio*, quæ circa media, de quibus egimus in tract. de anima.

Bonitas actus humani alia est *naturalis*, quæ consistit in integritate eorum omnium, quæ ad entitatem ejus physicam, aut metaphysicam requiruntur: alia *moralis*, quæ in aggregatione omnium, quæ requiruntur ad illum, non ex natura physica ejus, sed ad perfectam ejus conformitatem ad rectam rationem; & è contra *malitia naturalis* erit quicumque defectus eorum, quæ requiruntur ad entitatem physicam, aut

[1] *Gen.* 4. [2] *Rom.* 2.

aut metaphysicam actus; *moralis* verò erit defectus, seu carentia unius, aut plurium eorum, quæ requiruntur ad perfectam convenientiam actus cum recta ratione, seu regula morum. Dico, *unius, aut plurium;* quia ad bonitatem moralem requiritur aggregatio, seu concursus omnium requisitorum ad plenam convenientiam; sed ad malitiam sufficit defectus, seu carentia unius, juxta commune effatum ex D. Dionysio, *Bonum ex integra causa, malum ex quocunque defectu*: de bonitate & malitia naturali egimus in Metaphysica: de sola morali hìc loquimur.

Rursus *bonitas*, & *malitia moralis* duplex est. 1. *formalis*, seu *actualis*, quæ in ipso actu residet, & qua actus dicitur formaliter bonus, aut malus, & est decor, seu pulchritudo actus consurgens ex illa aggregatione. 2. *materialis*, seu *objectiva*, quæ reperitur in objecto, prout ab intellectu repræsentatur, & facit honestum, vel inhonestum, seu amabile, vel odibile secundum rectam rationem, seu naturam rationalem; nomine autem *rectæ rationis*, seu *rationis naturalis* intelligimus dictamen intellectus nobis à natura insitum, quo dirigitur voluntas, & cui debet conformari in suis actibus; nam *recta ratio* est proxima, & intrinseca regula morum, quatenus per illam nobis proponitur lex naturalis, & positiva tam divina, quàm humana, quæ est prima, & remotior regula; sed de his infra.

Denique, ex Scoto, [1] bonitas moralis adhuc triplex est juxta triplicem radicem, ex qua pullulat: prima dicitur *bonitas ex genere*, seu *objectiva*, seu *materialis*, quæ competit volitioni, quia transit super objectum conveniens actui secundum dictamen rectæ rationis; & hæc est prima bonitas moralis, quę ideò dicitur *objectiva*, quia est ex objecto, & *ex genere*, & *materialis* propter proportionem aliquam ejus cum materia prima; quia sicut materia prima est ex se indifferens, & perfectibilis, seu determinabilis per plures formas; ita hæc bonitas objectiva est ex se indifferens ad plures ulteriores moralitates petitas ex variis circumstantiis, & potest conjungi modò cum bonis, modò cum malis. Idem est de genere respectu differentiarum, quibus contrahitur ad varias species.

[1] 2.d.7.E.n.11.

cies: non tamen est bonitas abstracta, sicut animal respectu hominis, & bruti; nec reperitur semper in omnibus speciebus, sicut animal reperitur in bruto, & homine. 2. Dicitur *bonitas virtuosa*, seu *circumstantionalis*, quia advenit actui, non ex objecto, ut prior, sed ex aliqua circumstantia: v. g. ex fine, loco, tempore, &c. & ad hanc requiritur, ut adsint omnes circumstantiæ debitæ: quia, si unica desit, actus non erit bonus hac bonitate. 3. dicitur *gratuita*, quia est supernaturalis, & fundatur in gratia, & charitate; & *meritoria*, quia per illam meremur; dicitur etiam bonitas ex *acceptatione divina*, in ordine ad præmium. Hæ tres inter se sic ordinantur, ut prima præcedat, & sit quasi fundamentum secundæ, quæ illi supervenit, & huic tertia. Exemplum primæ sit eleemosyna, quæ ex objecto bona est: secundæ sit eadem eleemosyna, si detur de bonis propriis, & ut subvenias misero, & loco, & tempore decenti. Tertia fit ex eadem, si fit in statu gratiæ, & propter Deum; sic enim est meritoria. His tribus respondet triplex malitia, inquit Doctor. Dicemus 1. de *formali*, postea de *objectiva*, tum de *virtuosa*.

CONCLUSIO I.

Bonitas moralis sufficienter describitur ea formalitas relativa, quæ consistit in aggregatione omnium, quæ secundum rectam rationem debentur actui; seu decor, & pulchritudo actus consurgens ex illa aggregatione. Ita communiter saltem quoad sensum.

Prob. 1. ex Scoto, [1] quia *sicut pulchritudo est aggregatio omnium convenientium illi corpori, & inter se, puta, quantitatis, coloris, & figuræ, ut vult August. ita bonitas naturalis, quæ habet oppositum malum; bonitas verò moralis est ex aggregatione omnium cōvenientium actui, non absolutè ex natura actus, sed quia conveniunt ei secundum rectam rationem: quia autem actui ratio recta dictat determinatum objectum convenire, & determinatum modum, & alias circumstantias, ideò non est completa bonitas ex solo fine, sed 1. ratio bonitatis ejus est ex actus convenientia ad efficiens, à quo actus dicitur moralis, quia liberè elicitus.*

Igi-

[1] 2. *d.* 49. *A. n.* 2.

Igitur Scotus ad *moralem bonitatem* requirit duas conditiones, 1. ex parte agentis, quam vocat convenientiam cum agente, & hæc consistit in eo, quòd actus liberè eliciatur; & hæc est communis actui bono, & malo. 2. petitur ex parte objecti, quod debet esse conveniens vel ex se, & tunc actus dicitur *bonus ex genere*, seu *ex objecto* in se spectato, vel ex circumstantiis, quarum præcipua est circumstantia finis, & quando cum decentia objecti concurrunt etiam aliæ omnes circumstantiæ debitæ secundum rectam rationem, tunc bonitas actus dicitur completa. *Patet igitur*, inquit, *qòd sola bonitas finis, etiam cùm intenditur secundum rectam rationem, non sufficit ad bonitatem actus, sed requiruntur etiam aliæ circumstantiæ*, &c. & idem docet alibi [1] dicens, quòd *Bonitas moralis actus est integritas eorum omnium, quæ recta ratio operantis judicat deberi ipsi actui, vel ipsi agenti in suo actu convenire*.

Prob. 2. quia sic explicatur bonitas moralis actus, prout convenit cum aliis actibus moralibus, ut sunt actus indifferentes, & mali, & prout ab illis differt. Convenit in hoc, quod est *formalitas relativa* in actu humano. Differt autem per illam aggregationem integram; nam, ut dicebamus, si desit unica ex circumstantiis debitis secundum rectam rationem, seu regulas morum, actus non erit bonus. Igitur omnis actus humanus, cui convenit hæc descriptio, & habet has conditiones, est bonus moraliter, & nullus erit sic bonus, cui non conveniat.

Dixi autem, *seu decor, & pulchritudo actus exurgens ex illa aggregatione*; nam bonitas fundamentalis consistit quidem in illa aggregatione, sed formalis consistit in relatione quadam decentiæ, quæ in actu resultat ex illo concursu, *Sicut pulchritudo*, inquit Doctor, [2] *non est aliqua qualitas absoluta in corpore pulchro, sed est aggregatio omnium convenientium tali corpori, puta, magnitudinis, coloris, & figuræ, & aggregatio omnium respectuum, qui sunt istorum ad corpus, & ad se invicem, ita bonitas moralis actus est quasi quidam decor illius actus includens aggregationem debitæ proportionis ad omnia, ad quæ debet a-*

F 4 ctus.

[1] *Quodlib.* 18.c.n.4.
[2] 1.*d*.17.*q*.2.*O*.*n*.5.*vct*.*q*.3.*A*.*n*.2.

ctus proportionari, puta, ad potentiam, ad objectum, ad finem, ad locum, ad modum, & hoc specialiter, ut ista dicantur à recta ratione debere convenire actui: unde concludit, quòd *principaliter conformitas actus ad rectam rationem plenè dictantem de circumstantiis omnibus debitis est bonitas moralis ejus*; & hæc conformitas est relatio, quæ resultat positis illis omnibus: *Impossibile est enim poni aliquem actum in esse, & rectam rationem in esse, quin ex natura extremorum consequatur in actu talis conformitas ad rationem rectam. Relatio autem consequens extrema necessariò non habet causam propriam aliam ab extremis.* Vides totam conclusionem luculenter probatam, & explicatam in sensu nostro.

Objic. 1. Hæc definitio convenit actui indifferenti circa bonum delectabile, v.g. circa cibum dulcem; ergo hęc definitio bonitatis moralis non est sufficiens; debet enim cōvenire soli actui moraliter bono. Prob. ant. ille actus non habet ullam indecentiam; alioqui non esset indifferens.

Resp. dist. ant. convenit actui indifferenti negativè, conc. ant. positivè, neg. ant. & prob. actus circa objectum delectabile præcisè ut talis non est contra regulas rectæ rationis nec quoad objectum, nec quoad finem, nec quoad alias circumstantias; sed non propterea dictatur à recta ratione, ut honestus; & ideò non habet positivè illum decorem.

Inst. ex virtute spei potest amari Deus, ut delectabilis nobis; sed ille amor esset sine dubio bonus moraliter; ergo nulla solutio. Prob. min. actus virtutis est bonus moraliter; sed ille amor est actus virtutis, nempe spei Theologicæ; ergo & bonus moraliter.

Resp. dist. maj. est bonus, si fiat ex præcepto, vel consilio, aut aliquo motivo honesto, saltem concomitanti, conc. maj. præcisè ex illo puro motivo, neg. min. Puto enim in illa pręcisione non esse propriè actum spei Theologicæ, sed amoris proprii, seu concupiscentiæ humanæ; de quo tamen nolo hic decidere: idem respondendum ad min. & probationem ejus.

Inst. 2. Præceptum, vel consilium non facit, ut actus circa objectum indifferens sit bonus; ergo si amor

tnor ille sit bonus, id non facit præceptum, vel consilium. Prob. ant. quia Deus non habet legem, vel consilium, & tamen operatur benè; ergo bonitas non petitur ex conformitate ad legem, vel consilium.

Resp. dist. ant. ut sit bonus ex parte objecti, conc. ex parte præcepti, vel consilii, neg. ant. & conseq. prob. nam præceptum, vel consilium de re indifferenti facit, ut actus sit moraliter bonus reflexè, scilicet bonitate obedientiæ, in qua est honestas, & conformitas ad rectam rationem. Quòd autem Deus non sit capax hujus bonitatis, venit ex ejus independentia, & sapientia, quæ nulli subjacent præcepto, vel consilio.

Objic. 2. Qui definiret corpus humanum esse illud, quod habet caput, brachia, truncum, crura, & pedes, diceret quidem verum, sed non definiret corpus humanum potiùs, quàm bovinum, vel equinum; ergo per aggregationem partium, seu conditionum actus non rectè explicatur bonitas ejus moralis, sed debet explicari per conformitatem ad naturam rationalem, ut rationalis est.

Resp. neg. conf. & disparitas est, quia in ea descriptione ex collectione partium corporis humani nihil dicitur, quod respiciat formam, nequidem externam, seu figuram, ex qua colligi possit ejus differentia ab aliis corporibus, benè vero in descriptione nostra moralitatis, in qua collectionem illam notamus in ordine ad formam, scilicet convenientiam ad rectam rationem. Imò ibi explicatur & materia, & forma, scilicet fundamentum relationis, & ipsa relatio conformitatis ad rectam rationem.

Objic. 3. Sequeretur, bonitatem moralem esse aggregationem per accidens, non verò quid unum per se; sed hoc est absurdum, quia non constitueret unam veram speciem moralitatis, & essent plures bonitates; ergo non describitur per illam aggregationem.

Resp. neg. maj. Nam, ut dicebamus, illud aggregatum ex objecto, fine, & circumstantiis debitis non est ipsa formalis bonitas, sed causalis, ac fundamentalis; formalis verò est ille decor, & pulchritudo consurgens ex illa integritate, & aggregatione, ut patet ex textu Doctoris allato.

Quæres, *an illa bonitas dicat formaliter quid ab-*

solutum, & reale physicum superadditum entitati actus; an verò quid relativum, & quale illud sit?

Resp. ex dictis de moralitate in communi, quòd nihil addit absolutum physicum, sed relationem illam convenientiæ actus ad rectam rationem, quæ relatio est rationis, non quidem fingentis, sed cum fundamento, seu derelictum ex actu intellectus.

Ratio est, quia sicut moralitas ut sic nullam ponit entitatem physicam, nec absolutam, nec relativam propriè realem, ita est de bonitate, quæ est species moralitatis; & à fortiori de malitia; nam, ut probatum est, bonitas, nec malitia non dicuntur de actu, nisi per relationem ad objectum à ratione propositum, ut conveniens, vel disconveniens, sive de facto ita sit à parte rei, sive non, modò illud dictamen sit prudens, id est per maturum examen, & ex motivis saltem probabilibus: ratio enim humana non potest omnia sine errore assequi, sed accidit aliquando, ut sine culpa judicet consentaneum, quando revera non est tale; de quo infrà.

Quæres 2. *an bonitas, & malitia sint essentiales actui; sivè an actus de non bono possit fieri bonus, aut è contra.*

Resp. id etiam patere ex dictis ibidem de moralitate; nam si hæc sit entitati actus accidentalis, à fortiori hoc dicendum erit de bonitate, & malitia; nec in istis est immorandum.

CONCLUSIO II.

Formalis malitia moralis consistit in defectu unius, vel plurium eorum, quæ secundum rectam rationem debentur actui, ex quo resultat relatio difformitatis ejusdem actus ab ea regula.

Hæc discriptio patet ex præcedenti, nam, ut dicebamus ex Scoto, cùm bonum sit ex integra causa, & ideò bonitas resultet ex aggregatione omnium debitorum inesse actui; ita malitia ex defectu unius, aut plurium; quia malum ex quocumque defectu: unde sicut triplicem distinguit bonitatem, sic & triplicem malitiam ipsi oppositam. 1. est *ex genere*, quando actus transit super objectum disconveniens, ut si odire transeat super Deum, 2. est malitia *ex aliqua*

qua circumstantia deordinante actum, licèt transeat super objectum conveniens actui secundum rectam rationem; ut si dares eleemosynam ex vanitate, aut alio malo fine, actus esset vitiosus ex malitia *circumstantionali*, non autem ex objecto; si verò dares neque ex bono, neque ex malo fine, neque ex aliis debitis circumstantiis, modò nulla esset positivè mala, actus quidem non esset virtuosus, sed tamen non esset positivè malus. 4. denique est *demeritoria*, quia demeretur pœnam; sed de hac, sicut de bonitate meritoria videbimus alibi.

Vides ergo, quòd sicut bonitas formalis consistit in illa decentia, & decore, seu pulchritudine, quæ relucet in actu humano ex aggregatione omnium, quæ secundum rectam rationem debentur illi, & quæ aggregatio est bonitas fundamentalis moralis; ita malitia formalis est illa indecentia, seu difformitas, quæ resultat in actum humanum ex defectu vel objecti, vel unius, vel plurium circumstantiarum debitarum inesse illi secundum rectam rationem; qui defectus est malitia fundamentalis: uno verbo, malitia formalis est negatio, vel privatio illius decoris, seu convenientiæ, seu integræ conformitatis.

Rursus, ex Scoto citato, alia est *privativa*, seu *contraria*, alia purè *negativa*; *privativa* non tantùm deficit ab illa integritate, sed etiam inficitur aliqua circumstantia, vel objecto indebito: *negativa* autem est circa objectum indifferens, aut caret aliqua circumstantia necessaria ad positivam bonitatem, sed nulla adest, quæ sit positivè mala, ut diximus de actu indifferenti.

QUÆSTIO II.

De bonitate, & malitia objectiva; utrum actus contrahat aliquam ab objecto, & quam.

MOX dicebamus ex Scoto, primam, & quasi radicalem bonitatem, aut malitiam dici *ex genere*, seu *materialem*, & esse ab objecto: sed quia de iis non satis convenit inter Philosophos, nec inter Theologos, speciali hac quæstione venit exa-

minandum, in quo consistat præcisè bonitas, & malitia illa objecti, per quam objectum aliquod dicitur bonum, aut malum, & actus dicitur bonus, aut malus ex objecto.

Certum est autem, quòd bonitas objecti præcedit non solum bonitatem actus, sed etiam rectitudinem judicii, quo intellectus proponit illam voluntati; quia non ideò objectum est bonum, v. gr. non ideò Deus est amandus, quia amatur; nam posset amari diabolus, nec quia proponitur nobis ab intellectu ut bonus, & amandus, nec judicium illud intellectus ullam ei influit bonitatem, sed potiùs è contra ideò amor Dei est bonus, quia Deus in se est revera bonus, & amandus, & judicium, quo sic proponitur voluntati, ideò rectum est, & bonum, quia Deus revera est talis, qualis judicatur ab intellectu; ergo antecedenter ad ullum actum intellectus, aut voluntatis reperitur aliqua bonitas, vel malitia in rebus, propter quam bonum est, aut malum eas res amare, vel odisse, & illa propriè dicitur bonitas objectiva.

Certum est 2. aliqua esse bona, & honesta ex præcepto, & mala, & inhonesta ex prohibitione, seu ex lege affirmativa, aut negativa, quæ alioqui non essent sic bona, nec mala, saltem actualiter; & idem est de actibus circa illa, v. gr. lignum scientiæ boni, & mali in Paradiso terrestri non videbatur esse malum, nec ejus comestio mala seclusa prohibitione divina; sic ante legem scriptam circumcisio non videbatur objectivè bona, nec mala moraliter, imò neque in ea lege ante octavum diem, bene verò ex præcepto legis.

Aliqua etiam videntur ex se bona, & honestè amabilia, ut Deus, vel ex se mala, & inhonestè appetibilia, seclusa omni lege positiva, ut æqualitas Dei, mendacium, &c.

Certum est 3. bonitatem, quam in objecto, vel ex objecto quærimus, esse *honestatis*, non verò *delectabilitatis*, vel *utilitatis*, nec enim res dicitur bona moraliter, quia est delectabilis, vel utilis, sed quia honesta, & decens naturam rationalem, ut rationalis est. *Utile*, & *delectabile*, sicut & *inutile*, & *injucundum* possunt esse objecta honestæ actionis æquè ac in-

inhonestæ secundum varias circumstantias, quibus sociantur; ideo illa per se non dant actibus bonitatem, aut malitiam moralem; sæpe quod delectat, turpe est, &, quod displicet, honestum; ideò ista sunt de se indifferentia, & determinantur ad honestatem, vel turpitudinem per aliquas circumstantias, v. g. ex bono, vel malo fine, & similibus.

Certum est 4. nomine objecti aliquando intelligi rem externam, seu materiam, circa quam versatur actus, ut Deus, & proximus respectu charitatis; vel actum ipsum elicitum imperatum respectu imperantis, ut actus furti respectu actus, quo dicis, *volo furari*, amor, & furtum sunt objecta immediata volitionum, per quas imperantur. Quæstio procedit de utrisque, sed præcipuè de objectis externis, an scilicet actus imperati, vel imperantes sumant aliquam malitiam, aut bonitatem moralem ab objectis materialibus, circa quæ versantur.

Quia autem solet bonitas describi per conformitatem ad legem, vel derivari in objecta ex lege, suppono ex dicendis suo loco, quòd lex in genere est regula agendorum, vel omittendorum; seu regula, secundum quam homo inducitur ad agendum, vel ab agendo retrahitur; & dividitur in *naturalem*, & *positivam*, ex Scoto, [1] Illa est verum practicum lumine rationis naturalis ex propriis terminis simpliciter notum, ut in Mathematica, [2] *Omne totum est majus sua parte*; & in Metaphysica, *Quodlibet est, vel non est*; & in moralibus, *Summum bonum est amandum*. Unde lex naturæ dici etiam potest verum practicum ex aliquo tali principio evidenter demonstratum, ut *Deus est amandus, quia est summum bonum*. Unde quidquid noscitur conforme legi naturæ uno ex his modis est lex naturalis. Lex *positiva* importat *actum voluntatis superioris, qui præcipit, vel prohibet cum intentione obligandi*; & dividitur in *divinam*, quæ à Deo est, & continet quidquid S. Script. revelat necessarium, vel utile ad consequendam salutem ex ordinatione divina; & *humanam*, quæ est ab homine; & est vel *Ecclesiastica* continens quidquid

Ec-

[1] 1.2.*quæst*.90.*art*.1.
[2] 4. *dist*.17. *quæst*.1. & *dist*. 26. *quæst*. 1. & *dist*. 33.*quæst*.1.*ad* 1.

Ecclesia præcipit ob honestiorem observantiam in moribus, vel ob majorem reverentiam in Sacramentis suscipiendis, vel dispensandis; vel Civilis, quæ manat ab imperantibus in bonum vitæ civilis.

Quidquid igitur aliqua ex his legibus præcipitur, aut prohibetur, dicitur objectum actuum humanorum; & inde videntur bonitatem, aut malitiam contrahere: & quoniam de *recta ratione* sæpius fit sermo, sufficit pro nunc scire, quòd sæpe sumitur *realiter* pro ipsa natura rationali, ut rationalis est, aliquando *formaliter* pro judicio rei convenientis, aut disconvenientis, quod judicium dicitur rectum, si sit conforme objectis, & si repræsentet veritates practicas, quales in se sunt, aut saltem quales apparent esse secundum motiva verisimiliora. Denique *recta ratio* describitur *originalis forma rectè vivendi mente concepta cum notitia omnium conspirantium ad ejus expressionem in moribus*.

His autem per transennam prælibatis, quæritur, an, & quid sit bonitas objectiva; id est an bonitas aliqua derivetur ab objectis in actus humanos, & qualis illa sit? Et idem quæritur de malitia. Id dicuntur negasse Epicurei, putantes nullam rem de se esse honestam, vel turpem; & Simon magus docens, nullam operationem esse naturaliter justam, sed ex antecedenti. Quod etiam docuit Carpocras hæreticus; & Calvinus vult omnia opera nostra esse mala, & peccata, ut videre est apud Bellarminum. [1]

CONCLUSIO I.

Dantur aliqua objecta humanorum actuum moraliter bona, non solùm ex lege positiva, sed etiam ex natura sua, & influunt in illos bonitatem moralem, quæ dicitur objectiva, & consistit in convenientia naturali eorum ad rectam rationem, aut legem. Idem est de malitia cum proportione.

Prob. 1. tota conclusio ex Scoto[2] docente, quòd, *si objectum sit conveniens, tunc actus est bonus ex genere*; & hanc bonitatem vocat primam, quia *ex hoc, quod actus transit super objectum conveniens.*

[1] *lib. de justif. & de gratia.*
[2] 1.*d*.7.*r*.11.

tus tali actui secundum rectæ rationis dictamen, & *non solùm est conveniens tali actui naturaliter*, *ut sol visioni est prima bonitas moralis*; & alibi docet[1] quòd *bonitas ex genere est prima in ordine moris*; & quòd *actus habet malitiam*, *quia transit super objectum disconveniens*, *ut si odire transit super Deum*; quia Deus non est objectum conveniens odio secundum rectam rationem; ergo ex Scoto [2] dantur objecta de se bona, & mala, quæ reddunt actus bonos, & malos; & illa bonitas objectiva, quæ est prima in actibus, consistit in convenientia illorum ad rectam rationem, & malitia in disconvenientia ad eandem; & utraque est in rebus aliquot ex earum natura, seclusâ omni lege positiva; ut Deus est objectum conveniens amori, & disconveniens odio ex se, & præcisa omni lege positiva.

Confir. *Ille actus est de se malus*, *cujus objecto repugnat esse bonum*, *sive cujus objectum repugnat actui*, & *actus agenti*; & *per oppositum ille est de se bonus*, *cujus objectum est de se simpliciter necessarium*, & *perfectissimè conveniens agenti*, & *tales sunt actus odii*, & *amoris Dei*; *ille est de se*, & *essentialiter malus*, & *iste bonus*, *quia iste non potest esse contrarius rectæ rationi*, *imo necessario est juxta rectam rationem*, *quòd talis actus tendat in tale objectum*; *hoc autem est*, *quia objectum est finis ultimus secundum se volendus*, &c.

Prob.2. ex August. [3] & Arist. nam ille quidem quærit ab Evodio, *cur adulterium malè fieri putet?* Respondet ille: *non sanè ideò malum est*, *quia vetatur à lege*, *sed ideò vetatur à lege*, *quia malum est*: & in margine notatur: *Malum ex se malum*, *etiam si non vetetur*; nec responsum improbat August. nisi quatenus refundit hoc in legem æternam, de qua non agimus: ideò miror Caramuelem, [4] qui hoc legerat, dixisse, quòd *nunquam Doctor aliquis*, *quem non licet explodere*, *expresse asserit res lege æterna malas*. *quia erant non solùm metaphysicè*, *sed etiam Theologicè malæ moraliter*. Distinguit malitiam.

[1] *Quodlib*.8*G*.*n*.6.
[2] 4.*d*.16.*q*.1.*C*.*n*.4.
[3] 1.*de liber*.*arbit*.*cap*.3.
[4] *Theol*.*intentroc*.*num*.1031.

tiam, & peccatum philosophicum à Theologico. Sed hoc aliàs. Sufficit nobis, quòd aliquæ res sint adeò bonæ, aut malæ, ut de se influant bonitatem, aut malitiam in actus, qui circa illas versantur indebitè, & aliter, quàm illæ de se exigant. *Sunt quædam*, ait Arist. *quæ statim ut nominata sunt, pravitatem connexam habent, ut malevolentia, impudentia, invidentia, & in actibus stuprum* &c. *nunquam ex illis rectè facere datur, sed semper in illis delinquitur*.

Prob. 3. quoad 1. p. ratione, quia de facto sunt plura objecta, circa quæ voluntas non potest versari liberè, quin ex omnium sensu, & lumine naturali benè agat moraliter, si eorum bonitati, aut malitiæ conformetur, amando quæ bona apparent, & odiendo quæ mala sunt, & circa quæ male agit, ac turpiter, nisi sic conformetur, & hoc independenter ab omni lege positiva divina, vel humana; ergo dantur aliqua objecta moraliter bona, aut mala ex natura sua. Prob. ant. ex ipso lumine naturæ omnibus notum est, quòd Deus est bonus, & quòd per consequens amor ejus est bonus, & odium dedecens, & malum est; & quòd mendacium dedecet naturam rationalem, & malum est, & ideò amari non potest rationabiliter ut tale; & ex omnium sensu, & independenter ab ulla lege positiva amor Dei laudatur, & odium ejus, ac mendacium damnatur; & licet de facto legibus positivis divinis, & humanis ille præcipiatur, & istud vetetur, non impedit, quin sic de se sint bona, & mala, & ideò ille præcipitur, & istud prohibetur.

De bonitate autem, & malitia objectiva ex legum præcepto, vel prohibitione nulla est difficultas: certum est enim, esum carnis die veneris esse malum ex prohibitione, qua præcisa esset licitus, & indifferens; & ita est de jejunio apud Minores Conventuales, qui ea die est bonus ex regulæ præcepto, cum aliàs non haberet eam bonitatem, sed vel esset indifferens, aut bonus alia bonitate, v.g. temperantiæ, &c.

Prob. 2. p. 1. ex Scoto. [1] Nam *virtus omnis, & malitia ad aliquid sunt: Actus igitur esse bonos, vel virtuosos importat relationem, vel multas relationes, licet habeat modum denominationis, vel prædicandi qua-*

[1] *Quod lib.* 28. 1. *n.* 7.

qualitatis, sicut sanum, & pulchrum; ergo bonitas, & malitia tam in objectis, quàm in actibus debet explicari, & mensurari per relationem convenientiæ, vel disconvenientiæ ad rectam rationem; unde semper sic explicat bonitatem, & malitiam moralem.

Prob. 2. quia hæc bonitas, & malitia non potest melius explicari, quàm per illam convenientiam, & disconvenientiam ad rectam rationem; certum est, quòd omne objectum sic conveniens est moraliter bonum, & quòd sic disconvenit est moraliter malum; & ita est de actibus, qui circa illa versantur, si eis conformentur, erunt boni ex objecto, sin minùs, erunt mali, etiam seclusis omnibus aliis circumstantiis; ergo bonitas, & malitia objectivè sufficienter explicantur per illam convenientiam, vel disconvenientiam.

Objic. 1. ex August. [1] *In omnibus non usus rerum, sed libido utentis in culpa est, in omnibus hujuscemodi rebus non ex earum rerum natura, quibus utimur, sed ex causa utendi, & modo appetendi vel probandum est, vel improbandum, quod facimus*, ergo in rebus non est bonitas, vel malitia, sed in circumstantiis, & modo iis utendi.

Resp. dist. conf. in rebus omnibus, conc. conf. in aliquibus, neg. conf. nam Aug. non loquitur de omnibus, sed aliquibus, verbi gratia de cibis, de vestibus, & aliis hujuscemodi rebus, quæ cùm de se indifferentes sint, aut licitæ, fiunt malæ ex abusu, & circumstantiis; sed aliæ sunt, in quibus non potest peccari, si versemur circa illas, ut ex se exigunt; verbi gratia non potest peccari in amore Dei, cum sit essentialiter bonus, & summè; nec excusari à peccato mendacium, quia est essentialiter malum. Non dicimus, objecta esse in se mala, aut bona moraliter, & absolutè bonitate, aut malitia morali, sed relativè ad actus, & rectam rationem; in hoc enim consistit moralitas.

Obj. 2. Objectum intrinsecè malum semper est malum; & idem est de bono, sed nullum datur semper bonum, aut semper malum; ergo nec intrinsecè bonum, aut malum. Prob. min. nullum est objectum sic

[1] 3. *de Doct. Christ. c. 12.*

fic bonum, quin possit haberi actus malus circa illud; & ita est de malo: ergo nullum est objectum semper bonum, aut malum.

Resp. neg. min. & cons. prob. nam bonitas, & malitia objectiva, de qua agimus, attenditur penes naturam objecti, quod de se exigit terminare actus, qui si sint tales, quales exigit secundum rectam rationem (ver. gr. amor circa Deum, & odium circa peccatum) erunt boni ex objecto; si verò non sint tales, quales exigit de se, erunt mali; & hæc malitia non tam venit ex parte objecti, quàm ex deordinatione voluntaria hominis. Si ergo objecta bona spectentur relative, & in ordine ad amorem, quædam sunt semper bona, ut Deus, qui semper honestè amatur; si verò respectu odii, quædam sunt semper mala, quia semper odibilia, ut peccatum.

Objic. 3. contra totam concl. Convenientia objecti cum recta ratione est delectabilitas potiùs, quàm honestas; nam esse conveniens nihil aliud est, quàm esse commodum; sed delectabilitas non influit bonitatem moralem in actum; ergo nec convenientia, seu bonitas objectiva; vel non bene explicatur per illam convenientiam.

Resp. neg. ma. & rationem ejus.; nam convenientia, de qua loquimur, est decentiæ, non verò utilitatis, vel commoditatis; unde aliquid esse conveniens rectæ rationi est de se esse tale, ut recta ratio voluntati dictet, quòd potest, aut debet illud prosequi, & si id faciat, laudabiliter faciet, & è contra.

Inst. Si ex errore invincibili putares, homicidium esse bonum, ille actus tam bonus esset ex objecto, quàm malus est ex conscientia recta; ergo objectum de se, & fundamentaliter non est bonum, nec malum. Prob. ant. ille actus non posset esse bonus aliunde, quàm ab objecto; ergo, &c.

Resp. neg. antec. utrumque: nam actus esset bonus ex conscientia erronea, cui debet conformari, quam diu est invincibilis, non autem ex objecto, prout est in se.

Objic. 4. Si objectum daret bonitatem, aut malitiam actui, idem actus haberet plures bonitates, aut malitias specie diversas, & posset poni in diversis specie-

bus,

bus virtutis, aut vitii: sed hoc repugnat: ergo & illud. Prob. maj. quia idem actus potest habere plura objecta specie diversa; ut si jejunes ex obedientia, ex voto, ex gratitudine, &c. tunc enim jejunium respiciet plures bonitates specie diversas; ergo si actus sumat bonitatem ab objecto, poterit habere plures specie bonitates virtutum diversarum.

Resp dist. maj. & ant. prob. plures bonitates, sicut plura objecta partialia, & inadæquata, conc. plura objecta, & bonitates totales, & adæquatas, neg. maj. & min. implicat quidem, saltem naturaliter, quòd idem actus habeat plura objecta, aut fines, aut bonitates, aut malitias totales, & adæquatas ob rationes datas in Physica: sed partiales, & inadæquatas, ac subordinatas habere potest, sicut effectus idem plures causas partiales.

Objic. specialiter contra 2. p. Illa definitio non assignat primum, & immediatum subjectum honestatis objectivæ; ergo non est bona, quia debet dari per genus, & differentiam propriam, & immediatam. Prob. ant. si quæratur, cur objectum sit conveniens cum natura rationali, seu cum recta ratione, debet responderi, quia est conforme legi positivæ divinæ, vel humanæ; ergo potius conformitas ad legem, quàm ad rectam rationem est fundamentum primum, & immediatum bonitatis objectivæ.

Resp. neg. utrumque ant. nam cùm illa convenientia cum recta ratione immediatè manet ab entitate objectorum (loquimur de bonitate, & malitia intrinseca) potiùs, quàm à lege, à qua non venit nisi bonitas, & malitia extrinseca, rectè sic definitur: unde quærenti, cur Deus sit honestè amabilis, aut cur amor Dei sit honestus, si velis respondere per causam intrinsecam, & primariam, dices, id venire ex intrinseca, & essentiali ejus bonitate. & idem est, si quæratur prima ratio malitiæ objectivæ in odio Dei; in ejus enim summa bonitate fundatur turpitudo talis odii, & disconvenientia ejus ad rectam rationem; & lex ipsa positiva, qua præcipitur ille amor, fundatur in illa convenientia naturali.

Inst. Quærimus hic de bonitate objectiva morali, non verò de naturali, aut physica; sed bonitas, quæ petitur ab entitate objecti, est potius naturalis, & phy-

physica, quàm moralis; ergo solutio non est ad rem.

Resp. dist.maj.non agitur de bonitate naturali physica, aut metaphysica entis, conc.maj de bonitate naturali morali, quæ fundatur in naturali convenientia rei ad rectam rationem,neg.maj.& similiter dist. min. est potius naturalis, & physica,prout naturale, & physicum opponitur bonitati extrinsecæ, & arbitrariæ, quæ scilicet pendet à voluntate legislatoris, conc. min. prout naturalis bonitas significat integritatem entis, & conformitatem ad sua principia essentialia metaphysica, aut convenientiam ad aliam naturam, quàm rationalem, & distinctam à bonitate, aut malitia morali, neg. min. & cons. nam convenientia, de qua loquimur, fundatur quidem in natura objectorum, & terminatur ad rectam rationem, secundum quam sunt amabilia, vel odibilia laudabiliter, ita ut si amentur, quæ sic bona sunt, & odiantur, quæ sic mala sunt, amor, & odium sint laudabilia, & bona moraliter; & è contra si non amentur secundum illam bonitatem, nec odiantur secundum disconvenientiam, actus isti erunt mali, & inhonesti moraliter; & hoc militat pro illis objectis, quæ præcisa lege positiva dicuntur bona, & mala: nam de aliis non procedit hæc objectio.

Inst.2. Omne, quod honestè, & moraliter est amabile à voluntate humana, ideò est, quia ratio Dei sic dictat, & voluntas ejus sic statuit: sed ratio, & voluntas divina est lex æterna positiva; ergo omnis bonitas, seu amabilitas est à lege positiva, & debet explicari per conformitatem ad illam, non verò ad rectam rationem.

Resp. dist. maj. Ideò quia sic dictat ratio, & statuit voluntas divina, & simul,ac primariò quia objectum tale est de se, conc.maj. ideò tantùm, & præcisa bonitate naturali objecti, neg. maj. & cons. imò ideò ratio divina cognoscit, & judicat essentiam Dei amabilem, & odium ei esse disconveniens, quia cognoscit summam bonitatem, & amabilitatem ejus, quam non dat, sed supponit scientia illa; & similiter dicendum de voluntate, & lege, qua præcipit amorem, & prohibet odium ejus. Fateor, Dei voluntatem posse reddere positivè amabile, quod de se esset indifferens, sed

ſed id non impedit, quin aliqua ſint utraque bonitate amabilia, ſcilicet naturali, & intrinſeca, & ex ſe, quia talis ſunt naturæ, & ex lege divina ſic jubente poſitivè, ut patet de amore Dei, qui lege naturali, & poſitiva divina præcipitur.

Hæc doctrina fundatur apertè in Scoto[1] dicente, quòd *actus primam relationem* (conformitatis) *habet per ſe ab objecto, quod vel eſt rectitudo praxis, vel aliquod includens virtualiter ipſam rectitudinem, & ſi habet hoc ex fine, tamen non in quantum finis, ſed in quantum eſt objectum. Unde accipiendo regulam pro rectificante in praxi, prima regula eſt finis ultimus*, ſcilicet Deus, non ut judicans, nec præcipiens ſeu non ut legislator æternus, ſed *ut finis ultimus, qui virtualiter includit notitiam omnium veritatum ſpeculabilium* (hoc eſt de ratione objecti primi) *hæc autem prima regula, quæ eſt finis, regulate rectificat intellectũ, & voluntatem, ſicut ipſæ potentiæ natæ ſunt ordinate agere, ita quod quaſi prius gignit notitiam conformem rectæ praxi*. Vides, quod Deus ut finis ultimus, & ut objectum veritatis, practicæ gignit prius notitiam, & per conſequens lex eſt poſterior bonitate objectiva; loquor ſemper de intrinſeca, ut eſt bonitas divina, ſed hoc fuſius, ubi de peccatis, & legibus examinabimus.

Igitur bonitas moralis actus ex objecto conſiſtit formaliter in convenientia, quam habet cum objecto, quatenus verſatur circa illud conformiter ad regulam rectæ rationis, ita ut amet, vel fugiat objectum, prout recta ratio dictat illud eſſe amandum, aut fugiendum. Objectum verò eſſe ſic bonum, & conveniens, nihil aliud eſt, quàm illud eſſe ex natura ſua tale, ſi bonitas eſt intrinſeca, quod voluntas poteſt illud proſequi ſine peccato, imò & laudabiliter, & ita dicendum de malitia tam formali actus, quàm objectiva; nam contrariorum eadem eſt diſciplina.

CONCLUSIO II.

L*Icèt bonitas, & malitia, quam ab objecto habet actus humanus, dicatur generica, & materialis, eſt tamen*

[1] *quæſt. 4. prol. H. G. & Q. num.* 13. 14. & 34.

tamen in aliqua specie vera moralitatis, seu bonitatis, & malitiæ. Hanc pono ad majorem declarationem doctrinæ Scotj, quem putant multi [1] aliter sensisse, non capientes, quid sit bonitas, quam vocat genericam, & materialem.

Prob. 1. ex Scoto. [2[*Determinatio objecti est prima determinatio, quæ pertinet ad genus moris, non tanquam differentia determinans ad aliquid in illo genere, sed tanquam potentiale receptivum determinationis moralis, quia quando actus est habens objectum conveniens agenti, & actioni, tunc est capax determinationis moralis secundum circumstantias ordinatas, propter quod actus dicitur ex objecto habere bonitatem ex genere, quia sicut genus est aliquid potentiale respectu differentiarnm, sic bonitas ex objecto est prima in genere moris præsupponens solam bonitatem naturæ, & capax omnis bonitatis specificæ in genere moris*, & istam vocat *bonitatem ex circumstantiis*; ergo per bonitatem ex genere non sumit nomen generis in rigore logico, vel metaphysico, seu pro natura tantùm abstracta, & universali, quæ sit in varias species, & individua contrahibilis, ut animal per equinitatem, & rationalitatem ad equum, & hominem, bucephalum, & Petrum: sed sumit genus analogicè, & impropriè (sicut & nomen materiæ) ut significet, quòd bonitas, quam sumit actus ab objecto, licèt determinata, & individua juxta speciem singularem ipsius objecti, est prima moralitas, seu bonitas, quæ ulterius est determinabilis per alias bonitates, quas participat ex circumstantiis: istæ verò dicuntur specificæ respectu illius primæ, non quasi ei subjiciantur, sicut species generi, & hæc de illis prædicetur *in quid*, sicut genus de speciebus, ut animal de leone, & homine: sed quia illę alię bonitates superveniunt isti, & cum ea bonitatem totalem integram constituunt. Ideò illam descripsit [3] *decorem includentem aggregationem debitæ proportionis ad omnia, ad quæ debet proportionari*. Igitur bonitas, quam actus habet ab objecto, dicitur ex genere, quia est prima, cui adveniunt, & quasi aggregantur omnes aliæ, quæ ma-

(1) *Valent. to. 2. d. 2. q. 3. p. 2.*
(2) *Quodlib. 18. G. n. 6.*
(3) *1. d. 17. q. 2. P. n. 16.*

manant à circumstantiis. Ideò etiam dicitur *quasi materialis*, quia se habet velut objectum aliarum, quibus perficitur. Ita Doctorem subtilem intelligunt peritiores non solùm ex Scotistis, sed etiam aliis.

Confir. Nam alibi [1] docet, primam circumstantiam, & specificationem sumi ab objecto: *à quo enim sumitur prima circumstantia actus nudè considerati, videtur esse prius quocumque alio, & ita objectum, à quo specificatur primò actus dicatur bonus ex genere circumstantionabilis ulteriùs aliis circumstantiis, ut sit plenè moralis* (objectum inquam) *videtur primum in cognitione practica*; ergo ex Scoto bonitas objectiva est etiam specifica, & formalis, nec aliter dicitur materialis, & ex genere, nisi quia præcedit in actu alias, quæ veniunt ex circumstantiis.

Prob. 2. quia omnis actus in genere naturæ speciem habet ab objectis; ergo & in genere moris, seu bonitatis, & malitiæ. Prob. cons. quia non est major ratio de specificatione naturali, quàm de morali; dat quidem bontatem genericam, & communem, si objectum consideretur præcisè ut bonum in communi, & dat etiam specificam; & particularem, si illud idem consideretur secundum suam bonitatem propriam specificam, & individualem, v. g. eleemosyna potest considerari simpliciter ut bona, & conveniens rectæ rationi, deinde ut bona specialiter, ut levamen miseriæ proximi, & sub illa consideratione dat actui moralitatem, & bonitatem misericordiæ, sic amor propriæ uxoris dicitur conjugalis, & amor uxoris alienæ dicitur adulterinus; & illam diversitatem specificam sumit ab objectis; ergo bonitas, & malitia objectiva est verè specifica, & quidem in specie atoma.

Probatur 3. Nam actus potest esse bonus, aut malus ex solo objecto, præcisa omni circumstantia; ergo tunc erit specifica, & particularis, nec etiam genus potest existere in abstracto: quidquid enim existit est singlare, & in aliqua specie. Prob. ant. potest quis amare Deum ver. gr. non attendendo ad ullam circumstantiam: quid enim in hoc repugnat? sed tunc nulla erit bonitas in illo amore, præter objectivam; ergo potest actus esse bonus ex solo objecto, & in particulari, & in individuo.

Objic.

[1] *q 4. & 5. prol. G. n. 13.*

Objic. 1. Possunt dari actus boni diversæ speciei circa idem objectum, v.g. possum dare pauperi nummum vel ex misericordia, vel ex justitia, vel ex pœnitentia, &c. ergo specificatio bonitatis non venit ab objecto. Prob.conf. nam illæ bonitates misericordiæ, justitiæ, penitentiæ sunt diversæ speciei; ergo, &c.

Resp. dist. ant. circa idem objectum materiale, conc. ant. circa idem formale, neg. ant. & conf. nam largitio illa habebit quidem objectum materiale idem, scilicet nummum, aut largitionem nummi, sed objecta formalia sunt diversa, scilicet illæ virtutes.

Objic. 2. Propositum rectè vivendi est actus honestus ex objecto; nam recta vita est objectum moraliter bonum: sed honestas illa non est in specie ulla virtutis; ergo bonitas objectiva non est specifica, saltem semper. Min. prob. nam bonitas illa est generica, & universalis complectens omnes virtutes; ergo non est in specie ulla particulari.

Resp. neg. min. & conf. probationis: nam ille actus tam est individuus, & singularis, quàm ullus alius, & per consequens in aliqua specie, quæ licèt sit innominata, quia inolvit omnes virtutes, & illas habet pro objecto totali, & adæquato, & totam legem honestatis, non minùs est determinata, sicut actus determinatus intellectus terminatus ad ens, vel substantiam in communi non minus est singularis, & specificus, quia *ens, aut aliud simile objectum, licèt indifferens, & commune, tamen ut intellectum, habet unitatem, etiam numeralem, & individuam objecti*, &c. inquit Doctor: [1] ita dicendum de bono in communi, prout cadit sub unum actum voluntatis. Nam ut tale volitum est unum numero objectum. Unitas autem numerica non est sine specifica. Deinde licèt hoc diceretur de aliquibus, non sequeretur id dicendum universaliter de omni bonitate objectiva: & sic salvatur veritas conclusionis.

Inst. Scotus [2] ubique loquitur de bonitate objectiva, (idem est de malitia) ut de re contrahibili per differentias speciales, nempe per bonitates circumstantiarum, velut per differentias specificas; sed quod est contrahibile per differentias ulteriores se habet ut genus, non verò ut species; ergo ex Scoto & ra-

[1] 2. *d.3.q.1.H.n.11.* [2] 2.*d.7.E.n.11.*

& ratione bonitas objectiva non est nisi generica. Prob. maj. bonitas jejunii potest contrahi ex circumstantia finis ad bonitates diversarum virtutum, v. g. religionis, aut obedientiæ, aut pænitentiæ, si fiat ex motivo colendi Deum, vel obediendi Prælato, vel satisfaciendi pro peccato; *Actus transiens super objectum est quasi formabilis per quamcumque aliam circumstantiam moralem, & ita quasi potentiale non omninò extra genus moris.*

Resp. ex ipso textu Scoti, neg. maj. nam loquitur de contrahibilitate accidentali, & latè sumpta, non de propria, & rigorosa; illa fit per differentias accessorias, & accidentales, quales sunt bonitates, & malitiæ ex circumstantiis, quæ superveniunt bonitati, & malitiæ objectivæ per quandam aggregationem, ut dicebam ex eodem: uno verbo, Scotus dicit, quòd actus, seu bonitas objectiva est quasi formabilis, & quasi potentialis, quod signum est, illam contrahibilitatem, formabilitatem, & potentialitatem non esse propriè genericam, sed impropriè, & per quandam analogiam sic vocari, sed propriè est specifica.

Inst. 2. ex Scoto. [1] Nullus est actus sufficienter bonus moraliter ex objecto præter amorem Dei, nec sufficienter malus præter odium Dei; ergo omnes alii actus circa objecta creata sumunt speciem, & bonitatem, & malitiam substantialem non ab objecto, sed à circumstantiis.

Respondeo dist. ant. sufficienter, id est ultimatè, & independenter ab ullis circumstantiis, conc. ant. id est essentialiter, & primariò, neg. ant. nec enim id intendit Scotus ibi, sed tantùm quòd actus circa alia objecta præter bonitatem, quam ab illis habent, possunt etiam alias habere ex circumstantiis, quod magis patebit ex sequenti.

CONCLUSIO III.

B*Onitas, & malitia objectiva est prima, & essentialis in genere moris.*

[1] 4. *d.* 26. *q.* 1. *C. n.* 4.

Prob. 1. ex Scoto: [1] nam ibi docet, quòd bonitas ex objecto *est prima in genere moris*, quod *actus habet malitiam ex objecto, quia transit, super objectum disconveniens*, quod *actus est de se malus, cujus objecto repugnat esse bonum .... quod primam relationem habet per se ab objecto*; quòd *ab objecto prius specificatur actus, ut dicatur bonus ex genere*, &c. Hi omnes loquendi modi docent, bonitatem, & malitiam ex objecto esse primas rationes constitutivas actus in genere moris, quod enim prius est in re, prius constituit rem.

Prob. 2. quia actus sumit suam bonitatem, & malitiam specificam in genere moris ab objecto, ut probatum est in præcedentibus; ergo illa bonitas, & malitia est essentialis actui. Prob. conf. nihil enim est essentialius rei, quàm forma, seu differentia, & ratio ejus specificativa: hæc enim tribuit ei primam, & essentialem perfectionem in genere naturæ; ergo ita est in genere moris.

Confir. quia finis extrinsecus, & aliæ circumstantiæ sunt accidentia objecti, & actus; ergo bonitas, & malitia, quam habet actus ab illis, est accidentalis.

Prob. 3. Illa dicitur bonitas primaria, & essentialis, sine qua actus moralis secundum substantiam esse non potest permanente alia (idem est de malitia) illa verò dicitur accidentalis, quæ mutatur manente actu in eadem essentia moris, sed bonitas, & malitia objectiva talis est; ergo & primaria, & essentialis. Prob. min. si semel objectum est de se bonum, ut dicebamus de amore Dei, quacumque circumstantia mutata, semper est bonus eadem bonitate essentiali, sic furtum semper est malum, sive fiat ex libidine, sive ex avaritia, sive ex odio, &c.

Objic. 1. Prima, & essentialis bonitas, & malitia actus humani sumitur ex libera conformitate, vel difformitate ad rectam rationem, seu ad regulam morum; sed hæc non venit ab objecto, sed à dictamine rationis; ergo & prima, & essentialis bonitas, & malitia. Patet ant. quia ex vario dictamine rationis variatur bonitas, vel malitia actus. Prob. cons. quia recta ratio habet se ut primum, & immediatum

[1] *Ibid.*

diatum principium actus humani, objectum verò est tantum terminus ejus.

Resp. dist. maj. Sumitur formaliter, & immediatè ex illa conformitate ratione objecti, in quo fundatur primariò illa conformitas, conc. maj. ratione sui, neg. maj. & min. nam recta ratio est tantum regula intrinseca, per quam dignoscitur honestas, vel turpitudo objecti, nec aliter specificat actus, quam proponendo, & dictando varietatem illam bonitatis, & malitiæ.

Inst. Actus circa objectum indifferens non sumit ab eo primam, & essentialem bonitatem, aut malitiam, sed vel à dictamine, vel à fine, aut alia circumstantia, ergo bonitas moralis non semper sumit bonitatem essentialem ab objecto. Prob. ant. objectum indifferens de se non habet malitiam, nec bonitatem; alioqui non esset indifferens; ergo neutram potest dare actui.

Resp. dist. ant. quoad 2. p. sumit bonitatem primam à fine, qui in tali casu habet rationem objecti, ut dicebamus supra ex Scoto, conc. ant. quoad illam partem; in ratione finis, ac circumstantiæ præcisè, & formaliter ut talis, neg. ant. & cons. fateor, quòd cum res, circa quam versatur actus, est de se indifferens, ut ambulare, levare festucam; fricare barbam, &c. si actus fiat bonus, aut malus, id veniet à fine extrinseco, vel ex alia circumstantia; sed tunc ille finis, vel alia circumstantia habebit locum objecti, ut magis patebit infrà.

Resp. 2. neg. cons. Nam licèt in tali casu bonitas prima non veniat ex objecto; quia illud est de se indifferens, non sequitur, quin det illam, quando non est indifferens, sed bonus, aut malus; & de hoc casu procedit conclusio nostra, & sufficit, quòd tunc vera sit.

Objic. 2. Intentio, quæ est primus actus voluntatis, est bona, aut mala ex fine primario, & essentialiter, ergo actus moralis non semper sumit primam bonitatem, & malitiam ab objecto. Prob. ant. ille actus non respicit nisi finem ut finem; ergo non potest sumere bonitatem, aut malitiam nisi ex fine.

Resp. neg. ant. utrumque, quia tunc quod termi-

nat actum voluntatis, habet rationem obiecti potius quàm finis, aut circumstantiæ.

CONCLUSIO. IV.

UT actus contrahat bonitatem moralem ab obiecto debet esse cognita, & volita liberè, & directè; non tamen semper requiritur, ut sit volita formaliter propter se, & in ratione finis, modò absit intentio mala, qua vitietur actus. Est communis.

Prob. 1. ex Phil. [1] & Scoto [2] dicentibus, quòd ut quis operetur iustè, *debet agere sciens, eligens, & volens*, ut iam diximus supra; ergo debet scire, & velle positivè bonitatem obiecti, ut actio illam participet. Item docet, [3] quòd ad bonitatem meritoriam non videtur *sufficere minor relatio* (actus ad obiectum) *quam relatio virtualis*: dixerat autem, quòd *actus referri potest ex charitate in finem ultimum tripliciter. 1. actualiter, sicut cogitans actualiter de fine diligit illum, & vult aliquid propter illum. 2. virtualiter, sicut ex cognitione, & dilectione finis deventum est ad volitionem hujus entis*, &c. Scilicet actus potest referri in obiectum, seu finem charitatis. 1. *actualiter*, quando ex actuali amore finis, operaris ob illum finem, v. g. das eleemosynam, quia vides, & vis placere Deo. 2. *virtualiter*, quando ex amore Dei statuis aliquid facere; & postea facis id, licèt tunc non cogites ampliùs de Deo, v. g. statuis ire ad celebrandum, & arripis iter, & celebras, sed interim cessas cogitare de Deo, & amore Dei, qui tamen fuit causa, cur veneris ad celebrandum. 3. *habitualiter*, quando actus est de se referibilis ad finem, & fit in statu gratiæ, sed tamen, cùm facis, non cogitas, nec refers ad Deum nec actualiter, nec virtualiter; certum est, inquit, quòd *primus actus est meritorius, & satis probabile est de secundo. De actu, qui tantùm refertur habitualiter, & negativè* (id est qui non refertur nec actualiter, nec virtualiter) *dubium est, utrum talis actus sit meritorius, vel peccatum veniale*, quia non potest esse mortale peccatum) *aut sit talis actus indifferens*; ergo ex Scoto actus ...

[1] 2. *Ethic.* 4. [2] 1. *d.* 17. *q.* 2. *BB. vel q.* 3. *n.* 15.
[3] 2. *d.* 41. *C. n.* 4. *n.* 2.

ut sit bonus ex obiecto, seu fine; debet homo agnoscere, & velle actualiter, aut virtualiter illam bonitatem modo explicato, scilicet per volitionem positivam actualem, vel virtualem.

Prob. 1. quoad 1. p. Nam certum est, & hoc dictat ratio naturalis, quòd si facias actum de se honestum, v. g. eleemosynæ, nil curans, nec cogitans de illa honestate, sed ex alio motivo malo, vel indifferenti, aut ex puro beneplacito, vel delectatione, aut alio motivo, non erit actus charitatis, nec misericordiæ formaliter: item licèt videas ieiunium conferre ad sanitatem, ad virtutem pœnitentiæ, & castitatis, si tamen non amas illas bonitates, nec intendis illas, sed solam bonitatem temperantiæ, certum est, quòd ieiunium non participabit illas moraliter, & coram Deo, & à fortiori si comedas ex sola delectatione, non verò ad sustentationem vitæ, certum est, quòd non operaris honestè, licèt sustentatio ipsa sequatur ex comestione.

Prob. 2. p. quia obiecta materialia, v. g. Sanitas, victus, vestitus, ambulatio &c. possunt rationabiliter, & honestè amari propter intrinsecam suam bonitatem, & respui rationabiliter propter naturalem, & intrinsecam malitiam suam; v. g. potest amari bonum delectabile, & commodum naturæ in suo ordine, & servata mensura rectæ rationis, v. g. timeri possunt mala naturæ, ut morbi, mortes, & alia incommoda similiter in suo ordine, & servata mensura rationabili, & tamen illa obiecta non habent rationem formalem finis, non amantur expressè, nec propter se positivè, nec propter aliud, sed amor purè terminatur ad illa; ergo ut actus sit obiectivè bonus, moraliter non requiritur, ut ametur eius bonitas formaliter propter se, & in ratione finis. Patet conseq. nam in illis obiectis in hac suppositione consideratur tantùm explicitè, & directè bonitas naturalis, commodum naturæ, vel malitia, & incommodum, & molestia, quam inferunt, non verò honestas ulla: Prob. ant. prudentia moralis naturalis non dictat, ut versemur circa illa obiecta propter honestatem ullam intrinsecam, quam de se non habent, nec propter extrinsecam, saltem necessariò, sed ut amantes illam delectabilitatem, & commoditatem, & fugientes

malitiam, & incommoda servemus in eorum amore, vel odio debitam mensuram, & modum non excedendo, nec deficiendo, in hac autem mensura consistit honestas, & hæc potest concurrere, non ut finis, sed ut regula dirigens, & concomitans, nec est necesse, ut habeat rationem finis, & sic ludos, ambulationes, aliasve recreationes vocamus honestas, quatenus scilicet in earum usu servamus modum rationis rectæ, licèt illa directè, & in se appetamus; ergo objecta possunt honestè appeti, aut vitari secundum bonitatem, aut malitiam naturalem suam, licèt honestas non sit motivum formale, & ut finis talis amoris, vel odii.

Dices, illam ipsam mensuram, & regulam rationis habere rationem objecti formalis, ita ut cibus v. g. sit objectum comestionis honestæ, prout est moderatus juxta illam mensuram; ergo semper *honestas est* ratio motiva, & finis talium actuum, & semper volita, ut talis.

Contra. Finis ut finis est ratio motiva, & allectiva voluntatis ad amandum objectum; sed illa mensura præcisè, & per se non est ratio allectiva amandi cibum, aut ludum, sed delectabilitas, vel utilitas ut propria bonitas naturalis ejus cum ea tamen conditione, ut mensuretur ad regulam rationis; ergo *illa moderatio* non habet rationem finis, sed puræ conditionis, quę comitari debet tales actus, ne vitientur per excessum, vel defectum, aut ex alia mala aliqua circumstantia, Prob. ant. nam patet experientia ludentium, comedentium, &c. quòd non moventur ad ludendum, vel comedendum, nisi per delectationem, quam ex eis percipiunt, modò curent servare in illis debitam mediocritatem, sine qua illi actus possent vitiari per excessum, aut malam aliquam circumstantiam, & ideò parati sunt desistere, si advertant in eis esse aliquod vitium excessus, aut defectus, vel circumstantiæ malæ, & ea diligentia ad vitandos excessus, aut defectus sufficit ad honestandos tales actus.

Confir. Nam si aliqua bonitas non veniret ab objecto præcisè, & præter bonitatem finis, ut finis est, nunquam in actibus posset reperiri alia bonitas, quàm finis; sed conseq. est falsum; ergo & ant. patet maj.

nam actus eleemosynæ ex motivo pœnitentiæ, vel justitiæ non haberet ullam bonitatem objectivam misericordiæ, aut liberalitatis, sed tantùm justitiæ, aut pœnitentiæ, quæ esset bonitas formalis ex fine. Ita esset de eo, qui castitatem coleret, ut placeret Deo, non haberet meritum castitatis, sed solius charitatis, quia charitas esset unicus finis ejus.

Item ille actus (imò nec actus martyrii) ex illo fine non esset melior, quàm actus honestæ recreationis ex eodem motivo, quæ falsissima sunt, ut magis patebit infrà, & patuit, ubi de electione mediorum.

Dixi autem, quòd nòn semper requiritur, ut objectiva bonitas moralis, seu honestas respiciatur, & appetatur directè, & propter se, & ut finis; nam non solùm magis contingit, ut sic respiciatur, & intendatur, sed etiam id aliquando requiritur, ut in actibus circa objecta de se indifferentia, & quæ nullam ex se habent honestatem, vel inhonestatem; hæc enim non influent in actum bonitatem objectivam ab intrinseco, quam non habent, ergo requiritur, ut mutuent ab aliquo fine honestatem extrinsecam, à qua debet moveri agens, ut actus ejus sit moraliter bonus; debet ergo tunc illa honestas cognosci, & intendi ab agente ut finis.

Quando igitur objectum aliquod non habet ex se bonitatem moralem honestatis, ut sunt objecta indifferentia, quæ amari possunt ad vitæ sustentationem, vel ad libidinis incentivum, debet acquirere bonitatem ab extrinseco, nempè à fine operantis, à quo debet cognosci, & intendi, alioqui remaneret in sua indifferentia. Item quando aliquis actus est bonus ex objecto, ut jejunium, quod ex se habet bonitatem temperantiæ, si velis ei addere ulteriorem bonitatem ex aliquo fine extrinseco, v. g. castitatis, debes cognoscere, & velle istum finem, & jejunare, ut mortifices appetitum libidinis; & iste non tam est finis operis, quàm operantis, nisi enim hunc finem intendas expressè, & formaliter, non influet hanc bonitatem in actum jejunii, quia hæc non est illi intrinseca, saltem positivè; sed per accidens illi advenit ex beneplacito tuo: è contra est de bonitate temperātiæ, quæ cum sit annexa naturaliter ipsi objecto, seu jejunio, non requiritur, ut explicitè, & directè intenda-

tur propter se, sed sufficit, ut illud in se cognoscatur, & intendatur, licèt non propter se formaliter, sed in alium finem extrinsecum ordinetur.

Obiic. 1. contra 2. p. Arist. à nobis cit. vult, quòd, ut aliquis rectè agat, requiritur, ut agat sciens, & eligens propter ipsam, id est propter honestatem virtutis; ergo requiritur ut respiciat obiectum ut finem formaliter? Idem patet ex SS. Patribus. Docent enim, quòd *opus intentio facit*. Unde Aug. ait *Non valde attendas, quid homo faciat, sed quid cum facit aspiciat*; ergo tota bonitas actus venit à fine ut fine, ita ut debeat fieri ex motivo solius honestatis virtutis.

Resp. neg. conf. Nam ex eo textu Arist. nihil aliud colligitur, quàm quòd honestas debeat esse cognita, & volita liberè ab agente, nec illud, *propter*, aliud sonat. Loquimur enim de intentione, & bonitate eius, non de electione, quæ quidem debet esse propter finem. Actio virtutis debet esse perfectè voluntaria, non autem à casu, & ignoranter, sicut accidit in actibus artium. Denique sufficit, ut ea electio sit propter finem bonum negativè, quatenus nullum adsit motivum contrarium fini virtutis, nec ulla circumstantia mala; non autem requiritur, ut semper positivè referatur. In eodem sensu loquuntur Patres, cum docent, operis bonitatem ex intentione procedere; scilicet volunt, ut vel ex honesto fine fiat, si de se obiectum, quod intenditur, non sit bonum, aut saltem non fiat ex malo fine; & si aliunde respicit objectum de se bonum, nulla interveniat circumstantia mala.

Objicies 2. Si non deberet semper actus fieri explicitè, & formaliter propter bonitatem, ut finem, nulla esset differentia inter bonum, & malum ab agente intentum; sed hoc est absurdum; ergo debet semper intendi bonitas, ut finis, & propter se formaliter. Prob. maj. Requiritur, & sufficit ad actum malum, ut malitia objecti sit cognita, & volita aliquo modo; ergo nisi bonitas debeat intendi positivè, & formaliter propter se, idem erit de actu bono, & malo.

Resp. neg. seq. maj. & conf. prob. nam licèt quoad hoc convenirent aliquando actus malus, & bonus,

nus, in aliis multis differunt. 1. actus ille de se bonus habet de se objectum bonum, malus verò malum; nam agitur de bonitate, & malitia objectiva. 2. ad bonitatem requirimus cognitionem, & volitionem, seu voluntarium positivum, directum, explicitum, & formale; ad malum autem sufficit negativum, implicitum, indirectum, & interpretativum, ut dicemus.

Inst. Bonitas est motivum, & allectivum volitionis in genere; ergo & in specie ergo honestas debet esse motivum volitionis honestæ, quæ sub illo genere continetur.

Resp. neg. conf. quia volitio in genere debet habere objectum aliquod allectivum, scilicet aliquam bonitatem, quæ alliciat, quæcumque illa sit; in specie autem honestatis non est necesse, ut ipsa directè moveat, modò adsit aliqua bonitas; sufficit, quòd cum bonitate, quæ allicit, conjungatur, ut in casibus nostris, in quibus adest attentio ad mensuram rationis, ne amor boni propositi excedat ejus limites, aut ab eis deficiat, & ne interveniat mala illa circumstantia.

Objic. 3. Omnis actus virtutis est ex prudentia, sed prudentia respicit honestum, ut honestum formaliter, & in ratione finis; ergo omnis actus bonus moraliter respicit bonum propter se, & ut finem.

Resp. neg. min. Nam sufficit prudentiæ, quòd respiciat bonum ex se honestum, sive ut finem, sive ut objectum, modò nulla interveniat mala circumstantia. Aliud est, si objectum sit indifferens; tunc enim non dabit honestatem actui, nisi eam sumat ab aliquo extrinseco, v. g. à fine honesto, & ut tali volito: unde objectum moraliter bonum de se, & moraliter reddit actum bonum, licèt ametur ex fine indifferenti, v. g. si studeas ob recreationem moderatam, aut si comedas ob delectationem cavens, ne sit immoderata.

Inst. In his movetur voluntas vel ab honestate lectionis, vel ab ejus jucunditate; si ab honestate, ergo ut fine, & propter se, si à jucunditate, ergo actus non est honestus, sed vel malus, vel ad summum indifferens; ergo ut actus sit honestus ex objecto debet ejus honestas amari propter se, & ut finis.

Resp. moveri à jucunditate conjuncta moderationi

Prob. 1. ex Scoto: [1] nam ibi docet, quòd bonitas ex objecto *est prima in genere moris*, quod *actus habet malitiam ex objecto, quia transit, super objectum disconveniens*, quod *actus est de se malus, cujus objecto repugnat esse bonum* .... quod *primam relationem habet per se ab objecto*; quòd *ab objecto prius specificatur actus, ut dicatur bonus ex genere*, &c. Hi omnes loquendi modi docent, bonitatem, & malitiam ex objecto esse primas rationes constitutivas actus in genere moris, quod enim prius est in re, prius constituit rem.

Prob. 2. quia actus sumit suam bonitatem, & malitiam specificam in genere moris ab objecto, ut probatum est in præcedentibus; ergo illa bonitas, & malitia est essentialis actui. Prob. cons. nihil enim est essentialius rei, quàm forma, seu differentia, & ratio ejus specificativa: hæc enim tribuit ei primam, & essentialem perfectionem in genere naturæ; ergo ita est in genere moris.

Confir. quia finis extrinsecus, & aliæ circumstantiæ sunt accidentia objecti, & actus; ergo bonitas, & malitia, quam habet actus ab illis, est accidentalis.

Prob. 3. Illa dicitur bonitas primaria, & essentialis, sine qua actus moralis secundum substantiam esse non potest permanente alia (idem est de malitia) illa verò dicitur accidentalis, quæ mutatur manente actu in eadem essentia moris, sed bonitas, & malitia objectiva talis est; ergo & primaria, & essentialis. Prob. min. si semel objectum est de se bonum, ut dicebamus de amore Dei, quacumque circumstantia mutata, semper est bonus eadem bonitate essentiali, sic furtum semper est malum, sive fiat ex libidine, sive ex avaritia, sive ex odio, &c.

Objic. 1. Prima, & essentialis bonitas, & malitia actus humani sumitur ex libera conformitate, vel difformitate ad rectam rationem, seu ad regulam morum; sed hæc non venit ab objecto, sed à dictamine rationis; ergo & prima, & essentialis bonitas, & malitia. Patet ant. quia ex vario dictamine rationis variatur bonitas, vel malitia actus. Prob. cons. quia recta ratio habet se ut primum, & immediatum

[1] *Ibid.*

diatum principium actus humani, objectum verò est tantum terminus ejus.

Resp. dist. maj. Sumitur formaliter, & immediatè ex illa conformitate ratione objecti, in quo fundatur primariò illa conformitas, conc. maj. ratione sui, neg. maj. & min. nam recta ratio est tantum regula intrinseca, per quam dignoscitur honestas, vel turpitudo objecti, nec aliter specificat actus, quam proponendo, & dictando varietatem illam bonitatis, & malitiæ.

Inst. Actus circa objectum indifferens non sumit ab eo primam, & essentialem bonitatem, aut malitiam, sed vel à dictamine, vel à fine, aut alia circumstantia, ergo bonitas moralis non semper sumit bonitatem essentialem ab objecto. Prob. ant. objectum indifferens de se non habet malitiam, nec bonitatem; alioqui non esset indifferens; ergo neutram potest dare actui.

Resp. dist. ant. quoad 2. p. sumit bonitatem primam à fine, qui in tali casu habet rationem objecti, ut dicebamus supra ex Scoto, conc. ant. quoad illam partem; in ratione finis, ac circumstantiæ præcisè, & formaliter ut talis, neg. ant. & conf. fateor, quòd cum res, circa quam versatur actus, est de se indifferens, ut ambulare, levare festucam, fricare barbam, &c. si actus fiat bonus, aut malus, id veniet à fine extrinseco, vel ex alia circumstantia; sed tunc ille finis, vel alia circumstantia habebit locum objecti, ut magis patebit infrà.

Resp. 2. neg. conf. Nam licèt in tali casu bonitas prima non veniat ex objecto; quia illud est de se indifferens, non sequitur, quin det illam, quando non est indifferens, sed bonus, aut malus; & de hoc casu procedit conclusio nostra, & sufficit, quòd tunc vera sit.

Objic. 2. Intentio, quæ est primus actus voluntatis, est bona, aut mala ex fine primario, & essentialiter, ergo actus moralis non semper sumit primam bonitatem, & malitiam ab objecto. Prob. ant. ille actus non respicit nisi finem ut finem; ergo non potest sumere bonitatem, aut malitiam nisi ex fine.

Resp. neg. ant. utrumque, quia tunc quod termi-

nat actum voluntatis, habet rationem obiecti potiùs, quàm finis, aut circumstantiæ.

CONCLUSIO. IV.

Ut actus contrahat bonitatem moralem ab obiecto debet esse cognita, & volita liberè, & directè; non tamen semper requiritur, ut sit volita formaliter propter se, & in ratione finis, modò absit intentio mala, qua vitietur actus. Est communis.

Prob. 1. ex Phil. [1] & Scoto [2] dicentibus, quòd ut quis operetur iustè, *debet agere sciens, eligens, & volens*, ut iam diximus supra; ergo debet scire, & velle positivè bonitatem obiecti, ut actio illam participet. Item docet, [3] quòd ad bonitatem meritoriam non videtur *sufficere minor relatio* (actus ad obiectum) *quàm relatio virtualis*: dixerat autem, quòd *actus referri potest ex charitate in finem ultimum tripliciter. 1. actualiter, sicut cogitans actualiter de fine diligit illum, & vult aliquid propter illum. 2. virtualiter, sicut ex cognitione, & dilectione finis devenitum est ad volitionem hujus entis*, &c. Scilicet actus potest referri in obiectum, seu finem charitatis. 1. *actualiter*, quando ex actuali amore finis, operaris ob illum finem, v. g. das eleemosynam, quia vides, & vis placere Deo. 2. *virtualiter*, quando ex amore Dei statuis aliquid facere; & postea facis id, licèt tunc non cogites ampliùs de Deo, v. g. statuis ire ad celebrandum, & arripis iter, & celebras, sed interim cessas cogitare de Deo, & amore Dei, qui tamen fuit causa, cur veneris ad celebrandum. 3. *habitualiter*, quando actus est de se referibilis ad finem, & fit in statu gratiæ, sed tamen, cùm facis, non cogitas, nec refers ad Deum nec actualiter, nec virtualiter; certum est, inquit, quòd *primus actus est meritorius, & satis probabile est de secundo. De actu, qui tantùm refertur habitualiter, & negativè* (id est qui non refertur nec actualiter, nec virtualiter) *dubium est, utrum talis actus sit meritorius, vel peccatum veniale*, quia non potest esse mortale peccatum) *aut sit talis actus indifferens*; ergo ex Scoto actus ut

[1] 2. *Ethic.* 4. [2] 1. *d.* 17. *q.* 2. *BB. vel q.* 3. *n.* 15.
[3] 2. *d.* 41. *C. n.* 4. *n.* 2.

ut sit bonus ex obiecto, seu fine; debet homo agnoscere, & velle actualiter, aut virtualiter illam bonitatem modo explicato, scilicet per volitionem positivam actualem, vel virtualem.

Prob. 2. quoad 1. p. Nam certum est, & hoc dictat ratio naturalis, quòd si facias actum de se honestum, v. g. eleemosynæ, nil curans, nec cogitans de illa honestate, sed ex alio motivo malo, vel indifferenti, aut ex puro beneplacito, vel delectatione, aut alio motivo, non erit actus charitatis, nec misericordiæ formaliter: item licèt videas ieiunium conferre ad sanitatem, ad virtutem pœnitentiæ, & castitatis, si tamen non amas illas bonitates, nec intendis illas, sed solam bonitatem temperantiæ, certum est, quòd ieiunium non participabit illas moraliter, & coram Deo, & à fortiori si comedas ex sola delectatione, non verò ad sustentationem vitæ, certum est, quòd non operaris honestè, licèt sustentatio ipsa sequatur ex comestione.

Prob. 2. p. quia obiecta materialia, v. g. Sanitas, victus, vestitus, ambulatio &c. possunt rationabiliter, & honestè amari propter intrinsecam suam bonitatem, & respui rationabiliter propter naturalem, & intrinsecam malitiam suam; v. g. potest amari bonum delectabile, & commodum naturæ in suo ordine, & servata mensura rectæ rationis, v. g. timeri possunt mala naturæ, ut morbi, mortes, & alia incommoda similiter in suo ordine, & servata mensura rationabili, & tamen illa obiecta non habent rationem formalem finis, non amantur expresè, nec propter se positivè, nec propter aliud, sed amor purè terminatur ad illa; ergo ut actus sit obiectivè bonus, moraliter non requiritur, ut ametur eius bonitas formaliter propter se, & in ratione finis. Patet conseq. nam in illis obiectis in hac suppositione consideratur tantùm explicitè, & directè bonitas naturalis, commodum naturæ, vel malitia, & incommodum, & molestia, quam inferunt, non verò honestas ulla. Prob. ant. prudentia moralis naturalis non dictat, ut versemur circa illa obiecta propter honestatem ullam intrinsecam, quam de se non habent, nec propter extrinsecam, saltem necessariò, sed ut amantes illam delectabilitatem, & commoditatem, & fugientes

malitiam, & incommoda servemus in eorum amore, vel odio debitam mensuram, & modum non excedendo, nec deficiendo, in hac autem mensura consistit honestas, & hæc potest concurrere, non ut finis, sed ut regula dirigens, & concomitans, nec est necesse, ut habeat rationem finis, & sic ludos, ambulationes, aliasve recreationes vocamus honestas, quatenus scilicet in earum usu servamus modum rationis rectæ, licèt illa directè, & in se appetamus; ergo objecta possunt honestè appeti, aut vitari secundum bonitatem, aut malitiam naturalem suam, licèt honestas non sit motivum formale, & ut finis talis amoris, vel odii.

Dices, illam ipsam mensuram, & regulam rationis habere rationem objecti formalis, ita ut cibus v. g. sit objectum comestionis honestæ, prout est moderatus juxta illam mensuram; ergo semper *honestas est* ratio motiva, & finis talium actuum, & semper volita, ut talis.

Contra. Finis ut finis est ratio motiva, & allectiva voluntatis ad amandum objectum; sed illa mensura præcisè, & per se non est ratio allectiva amandi cibum, aut ludum, sed delectabilitas, vel utilitas ut propria bonitas naturalis ejus cum ea tamen conditione, ut mensuretur ad regulam rationis; ergo *illa* moderatio non habet rationem finis, sed puræ conditionis, quę comitari debet tales actus, ne vitientur per excessum, vel defectum, aut ex alia mala aliqua circumstantia. Prob. ant. nam patet experientia ludentium, comedentium, &c. quòd non moventur ad ludendum, vel comedendum, nisi per delectationem, quam ex eis percipiunt, modò curent servare in illis debitam mediocritatem, sine qua illi actus possent vitiari per excessum, aut malam aliquam circumstantiam, & ideò parati sunt desistere, si advertant in eis esse aliquod vitium excessus, aut defectus, vel circumstantiæ malæ, & ea diligentia ad vitandos excessus, aut defectus sufficit ad honestandos tales actus.

Confir. Nam si aliqua bonitas non veniret ab objecto præcisè, & præter bonitatem finis, ut finis est, nunquam in actibus posset reperiri alia bonitas, quàm finis; sed conseq. est falsum; ergo & ant. patet maj.

nam actus eleemosynæ ex motivo pœnitentiæ, vel justitiæ non haberet ullam bonitatem objectivam misericordiæ, aut liberalitatis, sed tantùm justitiæ, aut pœnitentiæ, quæ esset bonitas formalis ex fine. Ita esset de eo, qui castitatem coleret, ut placeret Deo, non haberet meritum castitatis, sed solius charitatis, quia charitas esset unicus finis ejus.

Item ille actus (imò nec actus martyrii) ex illo fine non esset melior, quàm actus honestæ recreationis ex eodem motivo, quæ falsissima sunt, ut magis patebit infrà, & patuit, ubi de electione mediorum.

Dixi autem, quòd nòn semper requiritur, ut objectiva bonitas moralis, seu honestas respiciatur, & appetatur directè, & propter se, & ut finis; nam non solùm magis contingit, ut sic respiciatur, & intendatur, sed etiam id aliquando requiritur, ut in actibus circa objecta de se indifferentia, & quæ nullam ex se habent honestatem, vel inhonestatem; hæc enim non influent in actum bonitatem objectivam ab intrinseco, quam non habent, ergo requiritur, ut mutuent ab aliquo fine honestatem extrinsecam, à qua debet moveri agens, ut actus ejus sit moraliter bonus; debet ergo tunc illa honestas cognosci, & intendi ab agente ut finis.

Quando igitur objectum aliquod non habet ex se bonitatem moralem honestatis, ut sunt objecta indifferentia, quæ amari possunt ad vitæ sustentationem, vel ad libidinis incentivum, debet acquirere bonitatem ab extrinseco, nempè à fine operantis, à quo debet cognosci, & intendi, alioqui remaneret in sua indifferentia. Item quando aliquis actus est bonus ex objecto, ut jejunium, quod ex se habet bonitatem temperantiæ, si velis ei addere ulteriorem bonitatem ex aliquo fine extrinseco, v. g. castitatis, debes cognoscere, & velle istum finem, & jejunare, ut mortifices appetitum libidinis, & iste non tam est finis operis, quàm operantis, nisi enim hunc finem intendas expressè, & formaliter, non influet hanc bonitatem in actum jejunii, quia hæc non est illi intrinseca, saltem positivè; sed per accidens illi advenit ex beneplacito tuo: è contra est de bonitate temperātiæ, quæ cum sit annexa naturaliter ipsi objecto, seu jejunio, non requiritur, ut explicitè, & directè intenda-

tur propter se, sed sufficit, ut illud in se cognoscatur, & intendatur, licèt non propter se formaliter, sed in alium finem extrinsecum ordinetur.

Obiic. 1. contra 2. p. Arist. à nobis cit. vult, quòd, ut aliquis rectè agat, requiritur, ut agat sciens, & eligens propter ipsam, id est propter honestatem virtutis; ergo requiritur ut respiciat obiectum ut finem formaliter? Idem patet ex SS. Patribus. Docent enim, quòd *opus intentio facit*. Unde Aug. ait *Non valde attendas, quid homo faciat, sed quid cum facit aspiciat*; ergo tota bonitas actus venit à fine ut fine, ita ut debeat fieri ex motivo solius honestatis virtutis.

Resp. neg. conf. Nam ex eo textu Arist. nihil aliud colligitur, quàm quòd honestas debeat esse cognita, & volita liberè ab agente, nec illud, *propter*, aliud sonat. Loquimur enim de intentione, & bonitate eius, non de electione, quæ quidem debet esse propter finem. Actio virtutis debet esse perfectè voluntaria, non autem à casu, & ignoranter, sicut accidit in actibus artium. Denique sufficit, ut ea electio sit propter finem bonum negativè, quatenus nullum adsit motivum contrarium fini virtutis, nec ulla circumstantia mala; non autem requiritur, ut semper positivè referatur. In eodem sensu loquuntur Patres, cum docent, operis bonitatem ex intentione procedere; scilicet volunt, ut vel ex honesto fine fiat, si de se obiectum, quod intenditur, non sit bonum, aut saltem non fiat ex malo fine; & si aliunde respicit objectum de se bonum, nulla interveniat circumstantia mala.

Objicies 2. Si non deberet semper actus fieri explicitè, & formaliter propter bonitatem, ut finem, nulla esset differentia inter bonum, & malum ab agente intentum; sed hoc est absurdum; ergo debet semper intendi bonitas, ut finis, & propter se formaliter. Prob. maj. Requiritur, & sufficit ad actum malum, ut malitia objecti sit cognita, & volita aliquo modo; ergo nisi bonitas debeat intendi positivè, & formaliter propter se, idem erit de actu bono, & malo.

Resp. neg. seq. maj. & conf. prob. nam licèt quoad hoc convenirent aliquando actus malus, & bo-

nus, in aliis multis differunt. 1. actus ille de se bonus habet de se objectum bonum, malus verò malum; nam agitur de bonitate, & malitia objectiva. 2. ad bonitatem requirimus cognitionem, & volitionem, seu voluntarium positivum, directum, explicitum, & formale; ad malum autem sufficit negativum, implicitum, indirectum, & interpretativum, ut dicemus.

Inst. Bonitas est motivum, & allectivum volitionis in genere; ergo & in specie ergo honestas debet esse motivum volitionis honestæ, quæ sub illo genere continetur.

Resp. neg. conf. quia volitio in genere debet habere objectum aliquod allectivum, scilicet aliquam bonitatem, quæ alliciat, quæcumque illa sit; in specie autem honestatis non est necesse, ut ipsa directè moveat, modò adsit aliqua bonitas; sufficit, quòd cum bonitate, quæ allicit, conjungatur, ut in casibus nostris, in quibus adest attentio ad mensuram rationis, ne amor boni propositi excedat ejus limites, aut ab eis deficiat, & ne interveniat mala illa circumstantia.

Objic. 3. Omnis actus virtutis est ex prudentia, sed prudentia respicit honestum, ut honestum formaliter, & in ratione finis; ergo omnis actus bonus moraliter respicit bonum propter se, & ut finem.

Resp.neg. min.Nam sufficit prudentiæ, quòd respiciat bonum ex se honestum, sive ut finem, sive ut objectum, modò nulla interveniat mala circumstantia. Aliud est, si objectum sit indifferens; tunc enim non dabit honestatem actui, nisi eam sumat ab aliquo extrinseco, v. g. à fine honesto, & ut tali volito: unde objectum moraliter bonum de se, & moraliter reddit actum bonum, licèt ametur ex fine indifferenti, v. g. si studeas ob recreationem moderatam, aut si comedas ob delectationem cavens, ne sit immoderata.

Inst. In his movetur voluntas vel ab honestate lectionis, vel ab ejus jucunditate; si ab honestate, ergo ut fine, & propter se, si à jucunditate, ergo actus non est honestus, sed vel malus, vel ad summum indifferens; ergo ut actus sit honestus ex objecto debet ejus honestas amari propter se, & ut finis.

Resp. moveri à jucunditate conjuncta moderationi

juxta mensuram rationabilem, & neg. consſ. nam tunc jucunditas est verè motivum lectionis, illa verò moderatio est conditio, & aliquid concomitans.

Inst. 2. Si hoc sufficeret, nullus esset actus indifferens; sed hoc est contra nos; ergo non sufficit responsio. Prob. maj. semper illa moderatio debet comitari omnem actum non malum, qualis est indifferens; ergo si illa moderatio circa objecta indifferentia sufficit ad honestatem, nullus erit actus indifferens.

Resp. neg.maj. & dist. ant.prob. moderatio secundum dictamen rationis præcipientis, aut consulentis, aut permittentis, conc. ant. præcipientis, aut consulentis, neg. ant. & cons. nam actus etiam moderatus ad mensuram rationis purè permittentis erit indifferens; non vero si ratiò præcipiat, aut suadeat mensuram, ut patet ex dictis de actu indifferenti.

Objic. 4. Actus, quo amas abstinentiam propter eleemosynam, non generat habitum abstinentiæ, sed misericordiæ; ergo non habet honestatem objecti, sed solius finis; ergo ut objectum det bonitatem moralem actui debet intendi ut finis, & propter se. ant. patet: actus non generat nisi habitum inclinantem ad virtutem, cujus motivum formale respicit; prob. cons. quia habitus non inclinat nisi ad actus similes illis, à quibus generatur; sed generatur ab actibus misericordiæ; ergo non habet nisi bonitatem finis, non verò objecti, nisi in ratione finis.

Resp. neg. ant. & rationem ejus: nam ut actus ille procedit ab utroque, sc. ab objecto, & à fine, potest generare similes habitus, & per consequens habitum, qui inclinet ad abstinentiam, & alium inclinantem ad misericordiam, quia virtualiter continet utrumque, & æquivalet duobus: sic qui castè vivit, ut placeat Deo, per actus castitatis acquirit habitus charitatis, quæ est finis actuum, & ipsiusmet castitatis, quæ est objectum materiale eorum, quid in hoc difficultatis.

CONCLUSIO V.

AD actum moraliter malum non requiritur, ut malitia sit cognita, & volita positivè, & directe, sed sufficit aliqualis advertentia ad malitiam, & voluntas indirecta, & interpretativa. Est communior.

Prob. ex Scoto, & aliis, quia alioqui rarissimè peccaretur; nam licet possit fortè homo ex mera malitia velle peccatum, ut displiceat Deo, tamen ordinariè loquendo *nemo intendens ad malum operatur*, & malum per se, & in ratione mali non potest intendi; ergo non intenditur ordinariè, nisi indirectè. Qui fornicatur, non intendit directè malitiam, & deordinationem talis actus, sed voluptatem, & in eo peccat, quia videt in eo actu indecentiam, & non obstante illa indecentia gravi, vult tamen fornicari, quod est velle indirectè malitiam: similiter qui dubitat, an in vepreto lateat homo, vel fera, & non vult certificari, si explodat catapultam, & occidat hominem, non agit ex plena scientia, sed ex ignorantia crassa, & tamen peccat; ergo ad peccatum, seu ad actum malum non requiritur plena cognitio mali, nec voluntas directa, & positiva; sed sufficit aliqualis cognitio, & volitio indirecta, & interpretativa.

Ratio disparitatis inter actus bonos, & malos est quia *bonũ est ex integra causa, malum verò est ex quocunque defectu*. Sed hoc fusius, ubi de peccatis.

QUÆSTIO III.

De bonitate, & malitia ex circumstantiis.

QUia diximus, bonitatem formalem consistere in aggregatione, seu integritate omnium, quæ recta ratio dictat debere inesse actui, sequitur, quòd plura concurrunt ad illam, præcipuè *persona*, seu *efficiens*; *modus*, quo actio elicitur: *objectum* tam *motivum*, quod est finis intrinsecus, quam *terminativum*, quod est simpliciter objectum: *locus*, *tempus* in quo elicitur; *finis* extrinsecus, ad quem ordinatur ex interiore

tione libera agentis, & à *mediis*, quibus utitur agens ad efficiendum opus; & hinc *circumstantiarum* nomen acceperunt: quippe *circumstantia* dicitur quasi *circa substantiam*, aut *stantiam*, seu *existentiam* actus humani illum comitans. nam sicut albedo, nigredo, sapor, odor, & alia accidentia circumstant substantiæ physicæ, & sunt accidentia ejus, quæ possunt adesse, & abesse absque illius corruptione, sic circumstantiæ sunt accidentia actus humani, & possunt adesse, & abesse sine ejus mutatione essentiali, & hæ numerantur communiter septem principales, quæ hoc versu continentur. *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*.

1. *Quis* non denotat personam operantis, sed conditionem ejus, & qualitates, ut si sit Doctus, vel ignorans, superior, aut subditus, laicus, aut Ecclesiasticus, solutus, aut conjugatus, pauper, aut dives; nam hæ omnes, & similes circumstantiæ, & qualitates in personis multum juvant ad ponderandam bonitatem, aut malitiam actus; imò sæpè ad speciem, & juxta illas crescit, aut decrescit.

2. *Quid* non denotat objectum, circa quod actus versatur, sed quantitatem, & qualitatem rei: nam ab objecto venit bonitas, aut malitia substantialis, ut diximus, & ideo hæc circumstantia denotat accidentia objecti, aut connexa cum ipso actu, ut in furto circumstantia *quid* est quantitas rei ablatæ, ut si sit magna, aut parva; vel qualitas, ut si sit res sacra, aut profana.

3. *Ubi* notat locum, in quo actus committitur, ut si in publico, vel privato, in sacro, vel profano, &c. Hæ enim circumstantiæ aliquando augent, aut minuunt gravitatem peccati, aut meriti, aut mutant speciem, ut si furtum, vel homicidium fiat in loco sacro, dicitur sacrilegium.

4. *Quibus auxiliis* significat conditionem mediorum, aut instrumentorum, quibus actio patratur, ut si percusseris manu, pede, baculo ferro, aut si adhibueris artem dæmonis, &c.

5. *Cur* significat motivum operantis potius, quàm operis; istud enim se tenet ex parte objecti, & licèt ad quemcumque finem possit extendi, quia Scotus finem recenset inter circumstantias, tamen magis propriè sumi-

sumitur pro motivo extrinseco rei, seu pro fine operantis, ut si agas ex odio, vel amicitia, si des Eleemosynam pauperi fœminæ ex charitate, vel luxuria, ut inducas ad peccandum, vel ut subvenias miseriæ, istud motivum est intrinsecum, & ex objecto, alia duo sunt extrinseca; puto tamen omnia posse pertinere ad hanc circumstantiam, quia ex dictis ratio motivi, & finis separari potest ab objecto, ut tali.

6. *Quomodo* denotat modum, quod factum est opus, ut si liberè, vel coactè, tepidè, aut ferventer, promptè, aut lentè, &c.

7. *Quando* denotat tempus, ut si egeris, de die, aut nocte, in die festo, vel feriali, &c.

8. Addunt 8. aliqui, scilicet *quoties*, sed non benè quia non est verè circumstantia, sed repetitio, seu iteratio actus ejusdem.

Convenit igitur inter Philosophos, & Theologos, quòd *circumstantiæ*, ut tales, & nisi ingrediantur rationem objecti, non constituunt, nec integrant actum in sua essentia morali, sed circumstant, & afficiunt accidentaliter, & quidem non omnes simul semper concurrunt ad singulos actus; nam aliæ sunt pertinentes ad actum moralem, & vocantur propriè *circumstantiæ*, quia aliquo modo per se pertinent ad actum, velut accidentia ejus in genere moris, ad bonitatem scilicet, aut malitiam ejus accidentalem; aliæ sunt impertinentes, quæ scilicet nullo modo variant moralitatem actus, ut occidere hominem manè, aut serò, &c. & istæ non dicuntur propriè circumstantiæ, sed tantùm materialiter, & per accidens.

Adhuc notandum est, quòd *circumstantiæ* aliæ sunt *formales*, quæ se tenent ex parte actus, ut sunt intensio, & remissio actus, major, aut minor, libertas, facilitas, vel difficultas in agendo, duratio actus; aliæ *objectivæ*, quæ se tenent ex parte objecti, ut major, vel minor quantitas eleemosynæ, major, aut minor indigentia pauperis, locus, tempus, persona, &c. Certum est autem, quòd formales augent bonitatem, vel malitiam actus in eadem specie, & non diversificant illum, quia non afferunt illi diversum motivum virtutis, aut vitii, ut patet; amor Dei remissus est ejusdem speciei cum intensissimo; intensio enim,

& remissio non variant speciem, & tamen eò melior est, quò intensior.

Objectiva autem possunt variare speciem, si intendantur, quia addunt objecto nova motiva virtutis, v.g. circumstantia sacerdotii in paupere præbet diviti motivum religionis præter motivum principale misericordiæ: item augmentum bonitatis, aut malitiæ veniens ex circumstantiis formalibus dici potest *intensivum*, quia denotant majorem conatum agentis; ex objectivis autem erit *extensivum*, quia dicunt novam tendentiam actus, & extensionem ad plura, & ad plures virtutes.

Rursus ex Scoto[1] circumstantiæ *aggravantes* aliæ sunt *generales*, seu *transcendentales*, quæ in omni peccato reperiuntur, ut *inobedientia*, *ingratitudo*, *contemptus Dei*, &c. aliæ *speciales*, quæ non reperiuntur in omnibus, sed prohibentur præcepto speciali, & distincto à prohibitione objecti, cui per accidens conjunguntur, ut in exemplo furti in loco sacro. *Generales* autem non debent esse volitæ per se positivè, sufficit, quòd cognoscantur annexæ objecto, & actui; benè verò *speciales*, quia qui vult substantiam actus, vult omnia necessariò sequentia, & annexa, & proprietates inseparabiles, ut sunt illæ, non verò ea, quæ casualiter connectuntur, ut istæ.

CONCLUSIO.

Omnis actus humanus sumit aliquam bonitatem, vel malitiam à circumstantiis distinctam ab objectiva, & quidem vel intra eandem speciem virtutis, vel alterius. Est communis.

Prob. 1. ex Concil. Trid.[2] definiente, quòd circumstantiæ, quæ peccatorum speciem mutant, sunt aperiendæ in confessione, *quòd sine illis peccata ipsa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec judicibus innotescant... unde alienum est à ratione docere, circumstantias has ab hominibus otiosis excogitatas fuisse, aut unam tantum circumstantiam confitendam esse, nempe peccasse in fratrem*, & licèt Concilium loqua-

[1] 4.*d*.22.*q*.1.P.*n*.16.
[2] SS.14.*cap*.5.& *can*.7.

loquatur tantùm de iis, quæ mutant speciem, & pro necessitate explicandi eas in confessione, tamen satis apertè ex hoc colligitur, alias quoque augere malitiam in eadem specie.

Prob. 2. ex Scoto [1] sæpiùs citato, qui inter bonitates actus recenset eam, quam habet ex circumstantiis. *Secunda potest dici bonitas virtuosa, sive ex circumstantia; hæc 2. bonitas convenit volitioni hoc ipso, quod elicitur à voluntate cum omnibus circumstantiis dictatis à recta ratione debere sibi competere in eliciendo ipsam:* & clariùs dicit, [2] quòd *in eodem actu potest esse multiplex bonitas moralis; actus potest esse rectè circumstantionatus non solum multis circumstantiis particularibus, quæ non sunt multæ bonitates, sed integrant unam bonitatem; sed etiam potest idem actus esse circumstantionatus cõpletè omnibus circumstantiis pertinentibus ad unam virtutem, & etiam omnibus pertinentibus ad aliam virtutem,*&c.

Prob. 3. quoad 1. p. quia nullus est actus humanus, qui præter essentialem bonitatem, aut malitiam, quam habet ex objecto, non habeat etiam aliquam accidentalem ex adjunctis, quæ possunt adesse, aut abesse salva illa substantiali, seu objectiva, & evidens est, ratione circumstantiarum actionem reddi magis, aut minùs conformem, aut difformem, laudabilem, aut vituperabilem intra eandem speciem moris. Nemo sanæ mentis negabit, actum charitatis intensiorem præferri tepidiori; eleemosynam centum scutorum laudabiliorem cæteris paribus eleemosyna viginti scutorum; irreverentiam factam regi graviorem illa, quæ fit infimo magistratui; furtum in loco sacro gravius furto in profano.

Prob. 2. Quia in rebus naturalibus bonitas, vel malitia physica, & naturalis crescit, aut minuitur ex aliquot accidentibus; ergo id etiam contingere debet in moralibus; ideo Scotus exemplificat de sanitate, & pulchritudine, quæ ex diversis accidentibus suscipiunt magis, & minus, & perficiuntur, vel inficiuntur.

Prob. 2. p. quia certum est, quòd eleemosyna centum scutorum cæteris paribus est melior eleemosyna decem, & idem est de furto quoad malitiam:

ora-

[1] 2.*d*.7.*G*. [2] *Quodl*.*b*.18.*n*.8.

oratio unius horæ melior est, cæteris paribus, quàm unius quadrantis, & sic de actu odii, &c. Amor Dei intensus ut sex melior est amore remisso ut tria, & sic de odio quoad malitiam; ergo ex circumstantiis *quid*, & *quando*, & similibus crescit, vel decrescit bonitas, & malitia intra eandem speciem bonitatis. Duo primi actus pertinent ad eandem virtutem misericordiæ; duo secundi ad eandem charitatem.

Dixi autem, *cæteris paribus*, nam actus, qui videtur minoris bonitatis ex una circumstantia, crescere potest ex alia; sic in Euangelio oblatio pauperis mulierculæ prævaluit oblationi magnatum, qui talenta obtulerunt, scilicet ex conditione, facultatibus, fervore, & personis, &c.

Probatur 3. p. tum ex citato Concil. Trid. quod evidenter supponit, aliquot circumstantias mutare speciem peccatorum, & ideò aperiendas esse in confessione, tum ex Scoto dicente, [1] *Præceptum de integritate confessionis, & respondendi ad interrogata, nec solum peccata, sed circumstantias peccatorum notabiliter aggravantes includit dictum præceptum, juxta illud Augustini, priùs consideret qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseverantia, in varietate personæ, saltem illas dico aggravantes necessariò confitendas, quæ speciali prohibitione prohibentur, v. g. alienum accipere est illicitum, sed specialiter prohibetur accipi de loco sancto, & ideò speciale peccatum, scilicet sacrilegii, per hanc circumstantiam constituitur*: & pro aggravatione intra eandem speciem, addit, *Multæ autem sunt circumstantiæ, ex quibus peccatum aliquo modo est gravius, quia si minor tentatio, & hoc vel ex parte objecti, vel ex parte personæ peccantis, de quibus non est ita certum, quòd oporteat illas confiteri; tamen tutum, & valdè utile est hoc confiteri.* Et certum est, quòd qui non vult furari in loco sacro, vel rem sacram tum propter injustitiam furti, tum propter sanctitatem loci, & rei, facit actum justitiæ, & religionis; similiter peccatum cum muliere libera est simplex fornicatio, cum maritata verò est adulterium; ergo ex diversis circumstantiis potest idem actus habere diversas speciei bonitates, & malitias. Fateor autem dici posse, quòd quæ in his circumstantiis specialiter prohibentur.

[1] 4. d. 17. q. 1. N. n. 14.

bentur, circumstantiæ ipsæ ingrediuntur, & habent rationem objecti; sed hoc parum refert ad rem, nec lis esse posset nisi de nomine.

Objic. 1. contra 1. p. Nihil dare potest bonitatem actui, nisi sit volitum, ut patet ex præcedenti; ergo si circumstantiæ dent bonitatem, debent esse volitę; sed quidquid est volitum habet rationem objecti; ergo solum objectum dat bonitatem actui, non verò circumstantiæ, saltem ut ab objecto distinctæ.

Resp. dist. ant. & subsumptum, nisi sit volitum directè, & per se, & primariò, aut indirectè, & concomitanter, ac secundariò, conc. ant. & subsumptum, directè tantùm, & primariò per se, neg. ant. & subsumptum. Circumstantiæ, ut dent bonitatem, debent cognosci ut tales, & intendi; & de facto intenduntur, sed indirectè, & per accidens velut concomitanter; & eo sensu dici possunt objectum largè, & impropriè, & ideò dant quidem bonitatem, & malitiã actui, sed accessoriam, secundariam, & accidentalem.

Objicies 2. Si bonitas, & malitia actus interni crescerent ex circumstantiis, possent crescere in infinitum; sed conf. est absurdum; ergo & ant. Prob. maj. si velles dare pauperi eleemosynam infinitam, amare Deum infinitè, eleemosyna, quæ est objectum primæ volitionis, & amor, qui est objectum 2. unirentur circumstantiæ infinitatis; ergo qui vellet dare infinitos, infinitam bonitatem contraheret. Idem esset de illo, qui vellet amare remissè, & intensè; & quoad malitiam idem esset de illo, qui vellet furari infinitos nummos, & odire Deum infinitè; ergo si actus bonitas, & malitia crescunt ex circumstantiis, possent habere bonitatem, & malitiam infinitam.

Resp. 1. hoc argumentum non valere pro actu externo, quia non mensuratur ejus bonitas, & malitia circumstantionalis, nisi ex quantitate pecuniæ, quæ datur de facto, aut accipitur.

Resp. 2. neg. maj. tum quia bonitas, & malitia non crescunt ex circumstantia inefficaciter volita, qualis est eleemosyna quantitatis infinitæ, quæ cùm non sit possibilis, nec cognita nisi confusè, non potest intendi efficaciter, voluntas non potest velle efficaciter impossibile. Ad prob. dist. ant. uniretur infinitati per voli-

volitionem inefficacem, conc. ant. per efficacem, neg. ant. & conſ. ob eandem rationem. Uno verbo non ſufficit, quòd objectum ſit infinitæ bonitatis in ſe, ut actui det infinitam bonitatem; alioqui vel minimus amor Dei eſſet infinitus; ſed requiritur infinitas in modo tendendi, quæ non adeſſet in volente dare infinita ſcuta, licèt indè actus ſumat aliquod augmentum valoris, non tamen infinitum rigorosè.

Inſt. Hic actus, *volo dare infinitos nummos*, qualiſcunque ſit, ſuperat omnes volitiones in infinitum dandi omnem quantitatem finitam; ergo eſſet infinitę bonitatis.

Reſp. neg. ant. quia menſura bonitatis petitur in actibus internis ab intenſione, & extenſione efficaci, non verò ab inefficaci, qualis eſt iſta; quæ autem volitiones habent circumſtantiam quantitatis determinatæ, poſſunt eſſe efficaces, ſi ſint in poteſtate operantis.

Objicies contra 2. p. Si bonitas actus augeretur in eadem ſpecie ex circumſtantiis, id fieret vel intenſivè, vel extenſivè; ſed neutrum dici poteſt; ergo non debet admitti tale augmentum in eadem ſpecie. Prob. min. de augmento intenſivo: ſicut enim calor non intenditur à qualitatibus diverſis, ita nec bonitas objectiva charitatis poſt intendi ex circumſtantiis ſpectantibus ad juſtitiam, vel fortitudinem, quę habent bonitates ſpecie diverſas. Prob. de extenſivo: nam iſtud non poteſt eſſe ſine intenſivo; ergo ſi augmentum intenſivum non admittitur, ita nec extenſivum debet admitti.

Reſp. neg. min. & dico, augmentum eſſe extenſivum, ſcilicet quatenus actus idem reſpicit plura bona, aut mala; unde ſicut participat bonitatem objecti propter tendentiam in illud, ita, & bonitatem circumſtantiarum bonarum propter ſimilem tendentiam ad eas, & bonitatem earum. Ad prob. neg. ant. nam propria extenſio actus moralis attenditur ex majori, vel minori applicatione, & fervore voluntatis, & ſic ex majori extenſione phyſica actus, non autem ex majori intenſione, ex qua potiùs minueretur intenſio; undè actus circa melius, aut pejus objectum ſit quidem extenſivè, & terminativè melior, aut pejor, ſed non intenſior cæteris paribus.

Objic.

Objic.con.3.p.Nihil unum poteſt eſſe in duplici ſpecie; ſed ſi actus ſumeret bonitatem à circumſtantia diverſam à bonitate objecti, eſſet unus in duplici ſpecie; ergo actus non poteſt ſumere bonitatem à circumſtantiis diverſam ab objectiva. Prob.maj.nam Petrus non poteſt eſſe equus, & homo; eſſet enim chymæra.

Reſp. diſt. maj. in diverſis ſpeciebus ſubſtantialibus, conc.maj. in diverſis ſpeciebus accidētalibus, neg.maj. & conſ.prob. Nam Petrus in ſpecie ſubſtantiali eſt homo, & in accidentibus poteſt eſſe Theologus, Mathematicus, Juriſperitus, Sacerdos, &c. Sic eſt de actu, qui cum moralitate ſubſtantiali eſt in una ſpecie, v. g. charitatis, ſcilicet ab objecto, & fine intrinſeco poteſt eſſe accidentaliter, & acceſſoriè in ſpecie religionis, pœnitentiæ, temperantiæ, &c.

Inſt. Si hoc eſſet, deberet diſtingui bonitas ſubſtantialis, & primaria ab accidentali, & ſecundaria; ſed non poteſt ſic diſtingui; ergo nulla ſolutio. Prob. min. ſupponamus actum, quo volo dare eleemoſynam pauperi Sacerdoti, aut quo volo occidere Sacerdotem, quænam erit bonitas, & malitia in his actibus, an ab eleemoſyna bonitas miſericordiæ? an bonitas religionis à perſona Sacerdotis? ergo non poteſt diſtingui bonitas ſubſtantialis, & objectiva à circumſtantionali, & accidentali.

Reſp. neg. min. & ad prob. dico, malitiam ſubſtantialem peti ab homicidio, & bonitatem ab eleemoſyna. Ratio eſt, quia homicidium eſt primò, & per ſe intentum, ſacrilegii verò malitia eſt circumſtantionalis ex ſacerdotio, quod reperitur in homine. Ita eſt de eleemoſyna, & ſi detur caſus, in quo æquè primò, & directè utrumque intenderetur, utrumque integraret unum objectum totale. Et generaliter illa eſt prior, & ſubſtantialis, ſine qua non poſſet actus habere ullam; & illa eſt accidentalis, ſine qua poſſet haberi bonitas, aut malitia objectiva. Juxta hanc regulam vides, quòd malitia ſacrilegii non poſſet haberi ſine malitia homicidii, nec bonitas illa religionis ſine bonitate eleemoſynę, ſeu miſericordiæ; ergo iſta eſt objectiva, & ſubſtantialis, illa verò accidentalis, & circumſtantionalis. Quòd ſi bonitates plures eſſent inſeparabiles, tunc dici poſſent eſſentiales actui, & integrare unam totam bonitatem.

CONCLUSIO II.

UT actus habeat bonitatem à circumstantia, debet cognosci talis bonitas, & intendi ab agente, & quidem positivè; ad malitiam autem sufficit, quòd videatur connexa cum objecto, vel actu.

Prob. 1. ex Scoto [1] sæpe citato, & Arist. docentibus, actum moralem debere procedere à prudentia *sciente, eligente propter ipsum*, & quòd *necesse est ad actum amandi, amatum esse præcognitum*, & expresè id videtur docere de circumstantiis, quæ debent intendi secundum dictamen prudentiæ. *Potest idem actus esse circumstantionatus completè omnibus circumstantiis pertinentibus ad unam virtutem, & etiam omnibus pertinentibus ad aliam virtutem, & ita secundum dictamina diversa perfecta prudentiæ respectu multorum finium propriorum; consimiliter in eodem actu possunt concurrere multæ malitiæ, tot quidem, quot sunt dictamina de oppositis, quæ deberent inesse*. Vides semper requiri dictamina.

Prob. 2. ratione quoad 1. & 2. p. quia omnis moralitas actus sive directa, & primaria, sive indirecta, & secundaria debet esse voluntaria; sed non potest esse voluntaria, nisi sit cognita, & volita; ergo ut actus habeat bonitatem moralem ex circumstantiis, debet cognosci, & intendi. Min. patet ex dictis de voluntario. Maj. prob. etiam ex dictis de moralitate.

Confir. Qui accederet ad mulierem, quam putaret invincibiliter esse suam, non esset reus adulterii, saltem coram Deo: sic qui furaretur in loco, quem nesciret esse sacrum, non committeret sacrilegium formale, sed tantùm materiale: uno verbo, *nihil volitum, quin præcognitum*, & nihil imputatur ad præmium, & ad pœnam, ad virtutem, & vitium, nisi sit liberè volitum; ergo ut actus contrahat bonitatem ex circumstantiis æquè ac ex objecto, debet cognoscere illas. Certè qui sciret eleemosynam posse fieri ex gratitudine, ex religione, ex pœnitentiali satisfactione, &c. non propterea haberet meritum illarum virtutum, nisi hoc vellet.

Prob.

[1] *d. 10. R. n. 14.*

Prob. 3. p. de intentione positiva, ita ut non sufficiat virtualis, vel interpretativa, aut negativa: nam 1. textus allatus ex Philosopho exigit, ut qui rectè agit, id faciat *sciens, & eligens propter ipsam*, idest volens deliberatè honestatem, quam videt in rebus, vel actibus; ad hoc autem non sufficit intentio indirecta virtualis, nec interpretativa, ergo requiritur directa, & positiva. 2. quia ut circumstantia det bonitatem actui, debet aliquo modo amari; sed non amabitur ullo modo, nisi intendatur positivè; ergo &c. maj. patet ex dictis; prob. min. ideo malitia censetur intendi virtualiter, & indirectè, & sufficienter ad inficiendum actum, quando intenditur objectum, in quo agnoscitur malitia, quia hæc connectitur necessariò cum ipsa; sed bonitas circumstantionalis non sic connectitur cum objecto bono ex se; ergo nisi hoc intendatur positivè, & directè, non sufficit ad bonificandum actum. maj. negari non potest; prob. min. qui dat eleemosynam pauperi clerico cum sola voluntate sublevandi miseriam ejus, non verò intuitu qualitatis personæ, facit actum puræ misericordiæ, non autem religionis, & id potest accidere, quod maximè evenire posset in Calvinista, qui non amaret sacerdotium, hic licèt cognosceret pauperem esse sacerdotem, tamen non daret eleemosynam intuitu sacerdotii; ergo faceret actum misericordiæ, non autem religionis.

Prob. denique de malitia 1. quia plura exiguntur ad bonitatem, quam ad malitiam, *Malum est ex quocumque defectu, bonum verò ex integra causa*; ergo licet ad bonitatem in actu ex circumstantia bona requiratur intentio formalis, non sequitur, eam requiri ad malitiam. 2. quia non solet directè intendi malitia, *Nemo enim intendens ad malum operatur*, & debet vitari ab homine; ergo hoc ipso, quòd videt aliquam circumstantiam malam, & aliquod malum sequi ex suo actu, debet non solùm illud non velle, sed & studiosè vitare; ergo hoc ipso, quòd non vitat, licèt illud non amet positivè, & directè, peccat non vitando malum, quod cognoscit; unde qui furatur in loco sacro, licet non intendat profanare sanctitatem loci, imo ei displiceat locum esse sacrum, non tamen excusatur à sacrilegio, quia deberet vita-

vitare actum, ex quo sequitur profanatio, & vitaret eam, si displicentia sacrilegii esset efficax.

Confir. ex Scoto. [1] *Possibile est, recidivantem* (idem est de aliis) *peccare pluribus peccatis, si ex deliberatione agat contra legem communem, & contra legem gratitudinis, & contra legem promissi: sed communiter non sic peccatur, quia peccans non appetit communiter nisi delectationem, licèt inordinatè, & vellet illi delectationi non esse annexas tot prohibitiones, & isto modo omni peccato conjungitur inobedientia, & contemptus, & odium Dei, & cætera hujusmodi; non quod peccator habeat tunc actum elicitum pertinentem ad singula istorum, sed implicitè, in quantùm vult aliquid, ad quod quodammodo concomitantur hæc omnia.* Vides Scotum admittere malitiam ex circumstantiis non volitis positivè, & formaliter explicitè, sed implicitè ad gravitatem malitiæ intra eandem speciem; nam pro diversa specie in circumstantiis illis transcendentibus, seu generalibus non contrahitur, nisi sit positivè intenta, ut scilicet compleatur malitia formalis inobedientiæ ingratitudinis.

Dixi autem, *maximè ex circumstantiis objectivis non contrahit bonitatem, nisi sint positivè volitæ,* quia de *formalibus*, & illis, quæ sunt actui intrinsecæ, non est tanta ratio: nam v. gr. pro intensione actus sufficit, quòd agens velit agere ferventer, & toto conatu, ut sit intensus, & inde crescat meritum, licèt non cognoscat ipsam mensuram gradualem fervoris, aut libertatis, aut difficultatis, quæ sunt circumstantiæ formales, & sunt volitæ *ut quo*, non verò *ut quod*. Aliud est de objectivis, quia non sic connectuntur actui, nisi sint cognitæ, & volitæ *ut quod*, seu directè, & per modum objecti accessorii.

Objic. 1. contra 1. p. Si bonitas ex circumstantiis deberet intendi, non esset actui accidentalis, sed essentialis; ergo non esset circumstantionalis. Prob. ant. bonitas accidentalis, & circumstantionalis potest abesse ab actu salva ejus substantia; sed si bonitas circumstantiæ deberet intendi positivè, & *ut quod*, non posset abesse, & adesse salva substantia actus; ergo non esset accidentalis. Prob. min. tendentia formalis, & directa specificat actum quoad moralitatem

æquè

æquè ac quoad entitatem physicam; sed quod specificat actum, non est illi accidentale, sed substantiale; ergo &c. Certè eadem entitas realis, quæ physicè respiceret pauperem, respiceret sacerdotem in casibus allatis.

Resp. neg. ant. primi arg. & dist. min. 2. potest adesse, vel abesse substantia salva morali, aut metaphysica actus, conc. maj. & neg. min. salva substantia physica, neg. maj. & cons. & idem dico ad maj. 3. verum est, actum eleemosynæ circa pauperem Presbyterum non posse physicè dividi, sed moraliter, & metaphysicè divideretur, & maneret eadem substantia actus misericordiæ, nisi agens agnosceret sacerdotium, & intenderet erogare homini sacerdoti esset que actus misericordiæ, sed non religionis.

Objic. 2. Qui dat operam venationi; ex qua prævidet sequuturam omissionem sacri, licèt non intendat omissionem illam, peccat tamen, si sequatur; ergo similiter qui prævidet conversionem peccatorum sequuturam ex sua prædicatione, licèt non intendat positivè bonum illud animarum, & Ecclesiæ, nihilominùs prædicatio ejus inde fiet bona; ergo non est necesse, ut agens intendat positivè, & formaliter bonitatem circumstantiarum, ut inde crescat bonitas actus.

Resp. neg. cons. utramque, & ratio disparitatis inter malitiam, & bonitatem patet ex dictis: *nam bonum ex integra causa*, ideò plura requiruntur ad actum bonum; quàm ad malum, quod venit *ex quolibet defectu*; fructus ex concione est contingens, & potest non sequi, & ideò nisi intendatur, non bonificabit actum, non enim erit voluntarius; malum verò hoc ipso, quòd non cavetur, censetur volitum, & sufficit, quod videatur sequi posse, ut imputetur.

Inst. 1. Si Rex humilietur lavandis pedibus pauperum crescit meritum humilitatis ex dignitate, & ad hoc sufficit, quòd id cognoscat, licèt non intendat positivè humiliare majestatem regiam; ergo tam bonitas circumstantionalis contrahitur sine volitione positiva, quàm malitia.

Resp. 1. neg. cons. Nam humiliatio majestatis est necessariò connexa cum actione regis, & ideò habet potiùs rationem objecti, quàm circumstantiæ acci-

denta-

dentalis; non ita est de aliis, ut in exemplo allato de concionatore.

Resp. 2. neg. ant. nam si Rex cognoscens suam dignitatem ullo modo intendat eam humiliare, nihil inde merebitur ampliùs coram Deo, esto coram hominibus, & exteriùs magis niteat ille actus: nam *Dominus intuetur cor, homo autem videt ea, quæ patent*.

Inst. 2. Licèt Rex non dicat, *volo humiliare majestatem meam*, plus tamen meretur per actum illum, quàm homo vilis; sicut ut nubat fœminæ non est necesse, ut dicat, *tibi trado majestatem meam in maritum*; ergo nulla solutio.

Resp. juxta 1. respons. neg. cons. quia in utroque casu antecedenti dignitas personæ est inseparabilis ab actu. Et juxta 2. resp. neg. ant. nam, quidquid sit de conjugio, certum est, quòd voluntarietas, & intentio boni est necessaria ad meritum. Certum est etiam, quòd si Rex nollet, aut posset nolle dignitatem regiam communicare uxori, quam duceret, non daret bonitatem illam actui suo, nec inde cresceret meritum amoris, saltem internè. Dico, *aut posset nolle*, quia fortè repugnat naturæ conjungii, ut Rex dando se uxori non faciat eam Reginam, bonitas verò moralis humiliationis ex circumstantia personæ agentis non ita est inseparabilis à bonitate objectiva.

Inst. 3. Si dares eleemosynam debitam ex voto sine intentione explicita satisfaciendi voto, sed ex sola intentione charitatis, satisfaceres tamen, & illa haberet meritum ex circumstantia voti. Ita etiam si prævideres ex illa eleemosyna sequuturum aliud bonum, v. gr. salutem pauperis, inde cresceret meritum, licèt non velles illud bonum positivè; ergo non requiritur volitio explicita bonitatis circumstantionalis ad illam contrahendam.

Resp. neg. ant. absolutè quoad 1. casum, & etiam quoad 2. si bonum illud esset purè casuale ex circumstantia, si verò esset inseparabile ab actu, indueret rationem objecti.

Objic. 3. Sunt aliquæ circumstantiæ, quæ non possunt directè intendi, & tamen dant bonitatem actui; ergo bonitas circumstantionalis non debet directè inten-

intendi, sed sufficit intentio indirecta. Probat. ant. nam circumstantiæ *quomodo*, & *quando* non possunt directè intendi; ergo, &c. Prob. ant. intensio, & duratio pertinent ad *quomodo*, & *quando*; sed illæ non possunt directè intendi; ergo, &c. Prob. min. ut intendantur, debent expresse præcognosci per cognitionem reflexam; sed non possunt sic cognosci, saltem valdè difficile est, ut quis cognoscat mensuram, & durationem sui actus, ergo, &c.

Resp. neg. ant. 1. & 2. arg. & min. 3. & 4. nam possunt, & debent cognosci saltem confusè; intensio sentitur ab agente ex majori, vel minori conatu circa difficultates vincendas; duratio, seu continuatio tam facile percipitur, quàm inchoatio, & cessatio, quæ sine dubio agnoscuntur.

Nota autem, ex Poncio, triplicem intensionem in actu morali posse considerari. 1. petitur ex majori, vel minori conatu voluntatis ad eliciendum actum, & ad vincendas difficultates ejus; & hanc facilè experimur in agendo. 2. quæ & à perfectiori habitu, & hæc præcisè, & immediate non facit actum meliorem; hic enim procedit ab habitu naturaliter, non verò liberè, nisi quatenus homo vellet agere secundum omnes vires; & tunc ista intensio esset libera, & volita immediatè. 3. petitur ex merito, & entitate operis, prout est magis, aut minùs gratum Deo, & hæc non facit ad propositum, nec debet cognosci ab agente, & sequitur ex præcedentibus.

Quæres, *an aliquando ex circumstantia possit venire in actum bonitas, vel malitia essentialis.*

Resp. affirmativè, & tunc non dicitur amplius circumstantia, sed induit rationem objecti; ut si quis det eleemosynam ex motivo vanitatis, tunc circumstantia finis extrinseci reddit eleemosynam essentialiter malam, & ideò non est amplius circumstantia, sed habet rationem objecti motivi. Idem est, si actum de se indifferentem facias ex bono, vel malo fine; ut si studeas ob vanam gloriam, vel gloriam Dei nam tunc vana gloria reddit studium essentialiter malum, & habet rationem objecti, & gloria Dei reddit illud honestum bonitate religionis.

Quæres 2. *unde cognoscatur, quando circumstantia augeat bonitatem, vel malitiam intra eandem*

speciem, aut diversam.

Resp. breviter, faciliorem notam esse, quando illa, quam sumit à circumstantia, pertinet ad virtutem diversæ speciei ab ea, quam habet ab objecto, v. g. furtum ex objecto est peccatum habens malitiam injustitiæ; si autem fiat in loco sacro, acquirit inde aliam malitiam diversæ speciei, scilicet sacrilegii, quæ est malitia irreligionis: idem est de eleemosyna facta pauperi indifferenter; ibi est bonitas objectiva misericordiæ; sed facta sacerdoti accrescit bonitas nova, scilicet religionis.

QUÆSTIO IV.

De bonitate, & malitia ex fine, & mediis, seu de malitia intentionis, & electionis.

Jam sæpe diximus, finem in moralibus alium esse *intrinsecum* & *proximum*, qui dicitur, *operis* & hic non differt ab objecto; sic subventio pauperis est finis intrinsecus eleemosynæ, & *finis operis*, & *proximus*; quia immediatè, & per se respicitur ab opere illo; alium *extrinsecum*, & *remotum*, qui dicitur *operantis*; quia non respicitur directè, & per se ab opere, sed pendet ex arbitrio operantis, ut si des eleemosynam ob vanam gloriam, vel ob satisfactionem, vana gloria, & satisfactio sunt fines *extrinseci*, & *remoti*, & *operantis*, & iste finis habet rationem circumstantiæ, non autem *intrinsecus*.

Dicitur *remotus*, quia opus non respicit illum ex se; respicit enim primò, & per se objectum suum, scilicet solatium pauperis; dicitur *operantis*, & *extrinsecus*, quia ipse operans illum adjungit fini intrinseco, & naturali ipsius operis; primus habet maximè locum in amore, seu intentione finis, 2. in electione mediorum; nam amor, & intentio respiciunt propriè finem, velut proprium objectum; electio verò respicit media in ordine ad finem. Loquimur igitur de illo, nam de primo, seu de objecto satis diximus suprà.

Intentio, ut diximus alibi, est actus, quo voluntas fertur in finem, & determinatur ad volenda media propter consecutionem finis; electio verò est actus,

ctus, quo eadem voluntas vult, & ordinat media ad finem consequendum, & voluntas aliquando uno, eodemque actu fertur in utraque, scilicet in finem, & media, quandoque duplici actu, ut diximus ibidem, nec placet id repetere.

Quærimus ergo hic 1. an actus sumat bonitatem aliquam à fine extrinseco distinctam ab objecto. 2. an à multiplici fine posset accipere plures bonitates. 3. an intentio finis sumat bonitatem, aut malitiam ab electione boni, aut mali medii, & è contra an electio medii sumat bonitatem, aut malitiam à fine bono, aut malo, & an illa bonitas sit specialis, & distincta à bonitate intentionis, seu finis; quæ omnia breviter expediemus, quantum poterit, quia jam plura tetigimus in physicis, ubi de causa finali.

CONCLUSIO I.

Actus sumit bonitatem, aut malitiam à fine extrinseco distinctæ speciei ab objectiva, si finis ille sit diversæ rationis, ac bonitatis moralis; & eodem modo, quo potest voluntas eodem actu tendere in plures fines, potest participare plures specie diversas bonitates.

Prob. 1. ex Scoto [1] sæpius citato: nam post bonitatem moralem ex objecto ponit immediate illam, quæ est ex fine, eamque vocat *primam circumstantionalem in ista bonitate specifica, quæ dicitur bonitas ex circumstantia, talis est processus: Prima bonitas videtur esse circumstantia finis*, &c. Et in hoc conveniunt omnes Philosophi, & Theologi.

Prob 2. quoad 1. p. ex dictis quæst. præcedenti: nam constat, quod actus sumit bonitatem, aut malitiam modò intra, modò extra eandem speciem cum objectiva; sed finis est prima, & præcipua circumstantia; ergo ex fine actus sumit bonitatem moralem, prout pertinet ad eandem, vel diversam virtutem cum objecto, verbi gratia si studes, ut discas amare Deum, studium, quod habet indifferentiam ex objecto, sumit bonitatem charitatis ex fine, si studes ob vanam gloriam, studium contrahit ab illo fine malitiam superbiæ, si facis eleemosynam ex motivo satisfactionis, aut pœnitentiæ, benitati obje-

[1] *Quodlib.* 18. *H. n.* 9.

ctivæ actus accrescit bonitas finis, quæ est justitia, & pœnitentia; nec ullus id negare potest. Similiter si furaris, ut forniceris, eris fur, & fornicator; sed magis istud; nam *Qui furatur propter adulterium, magis est adulter*, inquit Phil. [1] ergo actus sumit bonitatem, aut malitiam ex fine extrinseco modo intra, modo extra eandem speciem.

Prob. 2. p. ex eodem fundamento; quia si ex fine simpliciter crescit bonitas, & malitia actuum; ergo si possint simul intendi plures fines, etiam poterunt accrescere actui plures bonitates, aut malitiæ.

An autem, & quomodo possint eodem actu attingi plures fines, suppono id colligi ex dictis, ubi de causa finali in Physicis, & de intellectu, & voluntate in tract. de anima; in Physica diximus, eundem actum non posse habere plures fines totales, & adæquatos, bene verò plures partiales inadæquatos, & subordinatos. Ita dicendum de bonitate, aut malitia intentionis voluntariæ circa illos. Medicus potest invisere ægrotum ex amicitia, & simul ex spe lucri: sic potest dari eleemosyna ex gratitudine, & charitate; sic potes jejunare ex obedientia, ex charitate, & pœnitentia, & castitate, &c. Plura enim motiva jejunii nobis proponit Ecclesia, quæ simul possunt intendi; *Vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur, & præmia*, &c. Sic furari potes ex fine gulæ, & luxuriæ.

Objic. Si actus sumeret bonitatem à fine, actus malus ex objecto fieret bonus ex bono fine, v. g. furtum esset bonum ex motivo eleemosynæ; sed falsum conf. ergo &c. Prob. maj. nam finis ille esset bonus, & honestus; ergo, &c.

Resp. neg. seq. & dist. ant. prob. esset bonus materialiter, conc. ant. formaliter, neg. ant. eleemosyna esset in eo casu bona materialiter, & in actu signato; quia de se est materia virtutis misericordiæ; sed in actu exercito, & formaliter in ratione finis esset mala; quia in ratione finis inclinaret ad malum, scilicet ad furtum; finis enim formaliter ut finalizans movet ad media eligenda propter ipsum, & ideò si media sint mala, illa electio, & finalizatio mala est formaliter, licèt in materia virtutis.

Inst.

[1] 4. *Ethic. c. 2.*

Inst. Intentio non sumit bonitatem à medio, nec ab electione; ergo nec malitiam; sed in casu posito intentio est bona; ergo non fieret mala ex electione furti velut medii. Prob. ant. nam eleemosyna ob vanam gloriam non facit, ut ista sit bona.

Resp. neg. ant. de quo mox dicemus. 2. falsa est etiam conseq. & disparitas est, quia *non licet facere mala, ut eveniant bona*, ut fert axioma commune moralium omnium; *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu*.

Objic. 2. Si actus sumeret bonitatem à fine diversam ab objectiva, aut à pluribus finibus, idem actus esset simul in diversis speciebus, & generaret simul diversos specie habitus, vel unicum ad illas pertinentē; sed conseq. est falsum; ergo falsum est, eundem actum esse simul bonum, aut malum ab objecto, & fine, vel à pluribus finibus diversis. Maj. patet: jejunii actus ob illa motiva pertineret 1. ad abstinentiam ex objecto, 2. ad pœnitentiam, 3. ad charitatem ex fine; quia deberet generare vel habitus singularum illarum virtutum, & distinctos, vel unicum habitum mixtum ex illis omnibus. Prob. min. tum quia nullum talem actum vel habitum norunt Philosophi: tum quia nulla est necessitas illum asserendi; quandoquidem posset id fieri per distinctos actus, quibus intenderentur singulæ bonitates, & sic vitaretur hæc difficultas; quia si intellectus uno actu non attingit plura objecta disparata, ita nec voluntas.

Resp. 1. Conclusionem procedere de tendentia possibili unius actus ad plura objecta, vel fines; nam si repugnet, intellectum attendere simul in plura objecta disparata, & sic de voluntate, id non faciet contra conclusionem, & quid sit de hoc sentiendum diximus in tract. de anima.

Resp. 2. quòd si ad contrahendam bonitatem ex fine, & circumstantiis sufficit intentio virtualis, & interpretativa, & indirecta, hìc etiam non valebit instantia; quia actus non habebit explicitè, & formaliter, & directè nisi unam specie bonitatem moralem; & sic per se non generabit nisi unum habitum, illius scilicet virtutis, cujus honestatem respiciet directè; sed quia putamus necessarium esse, ut intendatur directè bonitas circumstantialis, ideò

Resp. 3. neg. min. & prob. ejus; cùm enim moralitas sit accidens in actibus, quid repugnat, eandem entitatem subjacere diversis specie accidentibus? Lac subjacet albedini, & dulcedini; sic actus idem subjaceret moralitatibus diversarum virtutum, quarum una esset prior aliis, & velut earum basis, & unaquæque causabit habitum similem sibi. In exemplo allato abstinentia, quæ est moralitas objectiva, pertinebit ad genus abstinentiæ, & alia ad pœnitentiam, & per eumdem actum virtualiter multiplicem generabuntur habitus talium virtutum.

Certum est igitur, quòd si actus sit bonus ex objecto, sit melior, si addatur bonitas finis intra, vel extra illam speciem; si verò sit ex objecto indifferens, ut amor studii, fiet bonus ex bono fine, ut si studeas propter gloriam Dei; si verò objectum sit aut indifferens, aut etiam bonum, actus fiet malus ex malo fine; ut si des eleemosynam, aut studeas ob vanam gloriam. Si denique objectum sit malum, actus erit malus etiam ex fine bono; ut furtum ex fine dandi eleemosynam, ut dictum est.

CONCLUSIO II.

B*Onitas electionis pendet quidem principaliter à bonitate intentionis, sed non totaliter, pendet enim etiam, & augetur à bonitate medii, ita ut illa sit melior, quæ est de meliori medio;* seu *media ad finem gaudent propria bonitate, quam communicant actui electivo, bona autem intentio minuit quidem malitiam malæ electionis, sed non tollit;* seu *bona intentio non rectificat malam electionem*. Est communis quoad 1. p. & quoad 2. & 3. est communior.

Prob. 1. ex Scoto [1] docente, quòd media ad finem præter bonitatem ad finem, habent etiam aliam absolutam, secundum quam possunt amari sine ordine ad finem. *Unde appetitus deliberativus non est talis, quasi omne quod vult, velit propter beatitudinem; potest enim non velle negativè, quod est ad beatitudinem .... potest etiam velle illud non in ordine ad beatitudinem*, &c. & alibi docet ex Philos. [2] quod *finis est melior eo, quod est ad ipsum*, scilicet ut finis præfertur me-

[1] 4. d. 49. q. 10. N. n. 13. [2] *De 1. princip. c. 2. n. 11.*

medio, quod assumitur ad ipsum consequendum, licèt istud etiam in se possit esse bonum; imò & absolutè melius eo, ad quod à voluntate assumitur.

Prob. 2. quoad 1. p. ex Scriptura, *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit, si verò nequam, totum corpus tenebrosum erit*; quod communiter intelligitur de intentione, qua respicimus finem in actibus nostris, & ex qua plurimum, & principaliter pendet bonitas electionis mediorum, quibus ad finem properamus: & hoc patet ex præcedenti, & patebit adhuc ex 2. p. Nam si laboramus ad probandum, aliquam bonitatem honestatis refundi in opera nostra ex bonitate speciali mediorum, satis colligitur, principaliter electionis bonitatem venire ex fine, imo plures Doctores putant, electionem mali medii (& à fortiori electionem medii indifferentis) bonificari à bonitate intentionis.

Prob. 2. p. quia certum est, quòd ex duobus mediis utilibus ad eundem finem, unum est melius altero, & per conf. electio melioris est melior; sed illa melioritas non venit à solo fine, qui est idem pro utraque electione; ergo est ab objecto electionis, quod est medium electum, Prob. maj. quia si velis salvare ægrotum ex charitate, & in eum finem ex pluribus medicis eligas peritiorem, & ut studiosiùs incumbat operi, velis illi dare ampliorem mercedem, illa electio est sine dubio melior ea, qua eligeres imperitiorem medicum, & cum minori mercede; ergo una electio, cæteris paribus, potest esse aliis melior ex meliori medio.

Confir. Nam possum eligere opera, & actus charitatis ad eundem finem æquè ac opera justitiæ, aut gratitudinis, aut liberalitatis; sed tunc actus ex medio charitatis induet bonitatem charitatis; ergo medium habet propriam bonitatem absolutam, & honestam; min. patet, quia actus ille charitatis non amittet propriam bonitatem absolutam, & honestam per talem usum ad talem finem; nec videtur id dici posse. Prob. maj. tùm quia id videmus quotidiana experientia; quotidie enim utimur actibus charitatis, & amoris Dei ad finem pœnitentiæ, & remissionis peccatorum; tùm quia in hoc nulla est repugnantia.

Dices, electionem melioris medii esse meliorem,

non propter bonitatem abſolutam medii in ſe, ſed propter majorem utilitatem in ordine ad finem conſequendum, & ſic ratio noſtra nihil probat.

Contra. Vel major hæc utilitas eſt intrinſeca medio, vel extrinſeca, & ex fine: ſed non extrinſeca, nam finis eſt idem reſpectu omnium mediorum, v. g. charitas eſt eadem virtus, & ejuſdem honeſtatis reſpectu jejunii, martyrii, & honeſtæ recreationis: ergo non poteſt dare ullam utilitatem majorem uni, quàm aliis: ſi eſt intrinſeca ipſi medio: ergo ipſa non ſunt in ſe; & inter ſe æqualia; ergo inæqualitas electionis venit à bonitate medii. Et revera quis diceret, quòd martyrium non ſit melius medium ad exercendam charitatem erga Deum, quippe eſt actus eximiæ virtutis, nempe fortitudinis, quàm jejunium, & levis eleemoſyna, aut honeſta recreatio?

Dices 2. quòd tunc martyrium, & ſimilia opera virtutum aſſumuntur non ſolùm propter utilitatem, quam habent ad finem, ſed etiam propter propriam, & ſpecialem honeſtatem; & ſic habent duplicem bonitatem, unam utilitatis, qua terminant electionem, & ſecundum quam habent rationem medii, & alteram honeſtatis, quæ terminat amorem, & intentionem, & ſecundum quam habent rationem objecti, & finis proximi, ac immediati: charitas verò eſt finis mediatus, & remotus.

Contra. Nam licèt opera illa, ſeu media poſſint ita amari per diverſos actus, non ſequitur, quin ipſamet honeſtas, v. g. martyrii poſſit eligi, & de facto eligitur, quia eſt aptior, & utilior ad finem charitatis, & inde talis electio eſt melior, & habet propriam honeſtatem; ergo electio ut talis habet ab objecto ſuo, ſcilicet à medio, propriam honeſtatem, præter bonitatem finis.

Prob. 3. Nam in Deo ſunt virtutes juſtitiæ, miſericordiæ, fidelitatis, gratitudinis, &c. ſed Deus non amat harum virtutum objecta propter ipſa, ſed propter ſe ipſum; ergo in amore medii propter finem eſt bonitas propria, & diſtincta ab amore finis. Cur non erit idem in nobis?

Prob. 3. p. 1. ex Scoto, [1] qui hoc videtur docere expreſsè hac ratione; *Bonitas actus moralis eſt ex aggre-*

[1] 2. *d*. 40. *B*. *n* 3.

gregatione omnium convenientium actui, secundum rectam rationem, quæ dictat determinatum objectum, modum, & alias circumstantias convenire illi: *& quòd non est completa bonitas ex solo fine, patet, quòd sola bonitas finis, etiam cùm intenditur secundum rectam rationem, non sufficit ad bonitatem actus, sed requiruntur aliæ circumstantiæ*: sed modus, & electio, & usus mediorum sunt circumstantiæ notabiles actuum humanorum; pertinent enim ad *quomodo*, & *quibus auxiliis*; ergo si electio sit mala ex malitia medii (v. g. si eligatur furtum ad eleemosynam) actio erit mala, neque rectificabitur ex quantacumque bonitate finis.

Confir. ex communi axiomate, quod traditur ex D. Dionysio, *Bonum est una tota causa, malum autem ex defectibus particularibus; tota autem causa integratur ex omnibus circumstantiis*: unde si deest una circumstantia requisita ad completam bonitatem, imperfecta erit bonitas, sed si adsit aliqua positivè mala, ut in casu conclusionis, & in exemplis allatis, actus non solum non erit bonus, sed positivè malus.

Prob. 2. ex Scriptura, & Patribus: nam ex D. Paulo, *Non sunt facienda mala, ut eveniat bona*: & D. Aug. docet, quòd *mentiri semper est malum etiam si fiat ob finem bonum*; ergo electio mali medii non rectificatur ex quantacumque bona intentione, & bono fine.

Quòd autem bonitas intentionis minuat malitiam electionis, patet ex ipso lumine naturalis rationis; quia, ut dicebamus, [1] *Qui furatur propter adulterium, magis est adulter*; & sic prob. Tunc actus est minùs malus, cùm malitia est minùs voluntaria: sed electio medii mali ex fine bono est minus voluntaria quoad malitiam, quia non tam intendit illam, quàm bonitatem finis: ergo malitia intentionis minuitur ex bono fine.

Objic. 1. contra 2. & 3. p. ex Script. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit*; id est si intentio fuerit recta, & bona, totum opus erit bonum: ergo tota bonitas actus pendet ex solo fine, non autem à medio, imò & rectificat electionem mali medii.

[1] 5. Ethic. c. 2.

Resp. neg. conf. ob rationem allatam; quia scilicet *bonum ex integra causa*; & Scriptura, & Patres supponunt nullam circumstantiam malam irrepere debere, alioqui inficiet actum; loquuntur de totali intentione, quæ etiam involvit electionem, & sæpe eodem actu respiciuntur finis, & media, ut diximus in Physicis.

Objic. 2. Ut medium bonificet electionem, debet amari propter suam bonitatem ut honestam, & utilem: sed nisi habeat utramque à fine, non amatur ut medium, nec ille amor habet rationem electionis; ergo media ut media nullam habent in se, vel à se bonitatem, sed totam à fine, & intentione; ideò utilitas ad finem indifferentem non erit bona utilitas. Prob. min. si enim habeat de se bonitatem, propter quam ametur, amatur propter se, non propter finem, saltem formaliter: & ille amor non erit electio, sed intentio, ut patet: nam bonitas medii, ut medium est, non est nisi bonitas utilitatis; ergo si medi bonitas tota non sit à fine, non amatur ut medium, nec ille amor est electio.

Resp. neg. min. & ant. prob. ac rationem ejus: nam ideo in casibus prædictis eligitur medium honestè bonum, quia utilius est ratione talis honostatis, & illa major utilitas fundatur in tali honestate, v.g. honestas, & bonitas intrinseca, & objectiva charitatis est ratio, propter quam eligitur ut medium aptius ad expiandum peccatum per pœnitentiam, & ad finem illius virtutis: & idem est de electione justæ mercaturæ ad finem lucri: & licèt electio boni honesti non esset bona ob finem indifferentem, ut est lucrum, adhuc prius exemplum, & ratio valerent.

Inst. Electio martyrii propter Deum summè dilectum haberet bonitates duarum virtutum, scilicet fortitudinis, quæ est in martyrio, & charitatis divinæ, quæ est finis: sed hoc non est possibile: esset enim ens chimæricum, ut hircocervus; ergo impossibile est, electionem aliunde bonam esse, quàm ab intentione, & quòd media habeant propriam bonitatem.

Resp. conc. maj. & neg. min & rationem ejus, vel sic dist. maj. duas bonitates, quasi partiales, & aliquo modo inter se ordinatas, conc. maj. & neg. min. totales,

les, & penitus disparatas, neg. maj. & conf. bonitas finis, & intentionis est semper primaria, & principalis, & velut substantialis, electionis verò est accidentaria; & certè quis negaret, electionem martyrii propter Deum esse meliorem electione unius quadrantis erogati in pauperem?

Objic. contra 3. Intentio bona bonificat electionem medii indifferentis; ergo & mali. Prob. conf. nam actus ex objecto indifferens non magis est bonus, nec minùs distat ab honestate virtutis, quàm malus ex objecto; ergo si bona intentio illum bonificat, ita & istum.

Resp. neg. conf. & ant. prob. nam indifferens non habet contrarietatem ad bonitatem, sicut malus; malitia verò positivè obstat bonitati.

Inst. Mala intentio reddit malam electionem boni medii, ut patet de dante eleemosynam ex intentione vanæ gloriæ, aut fornicationis; ergo intentio bona rectificat electionem malam; & hoc confirm. ex loco allegato Euangelii de oculo simplici.

Resp. neg. conf. ob rationem sæpius datam, quòd *bonum ex integra causa, malum verò ex quolibet defectu: nec sunt facienda mala, ut eveniant bona*. Ad Script. verò responsum est, quòd in intentione comprehenditur etiam electio; & sic opus ab illa bonum est, aut malum.

Objic. 2. Bonitas intentionis minuit malitiam electionis per nos; ergo quò melior est intentio, eo minus mala est electio; ergo per intentionem perfectè bonam tollitur tota malitia electionis mali medii.

Resp. neg. conf. 1. quia malitia illa non minuitur positivè per gradus bonitatis contrarios, sed negativè, impediendo tantum voluntarietatem ex parte agentis.

Quæres, an bonitas, & malitia desumpta ex fine sit essentialis, & specificet actum electionis; an verò ea, quæ desumitur à medio, v. g. in electione martyrii propter Deum amandum, an talis electio essentialiter sit in specie fortitudinis, an in specie charitatis, & similiter in eo, qui eligit furari, ùt fornicetur, an malitia talis electionis sit in specie furti, an verò fornicationis.

Resp. 1. Quòd in secundo casu malitia essentialis

contrahitur ab objecto proximo, quod est medium malum, v. g. furtum, & sic de similibus.

Ratio est 1. quia, ut diximus, ad contrahendam malitiam sufficit quicumque defectus in actu, & quod ille defectus sit quomodocumque volitus, etiam implicite, virtualiter, & indirectè, licèt furtum ordinetur ad ulteriorem actum malum, scilicet ad fornicationem, ut ad finem, nihilominùs proximè, & immediatè contrahit malitiam furti, super quam immediate transit. 2. quia malitia furti est inseparabilis ab illo actu, & à volitione ejus, non autem malitia fornicationis; ergo ista est ei potiùs accidentalis, quàm substantialis, quandoquidem potest actui adesse, & abesse sine ejus mutatione essentiali. Denique objectum, ut tale, tribuit actui primam malitiam, aut bonitatem, & inter objecta primum tribuit illud, quod primò, & immediatiùs terminat intellectionem, & volitionem; sed media priùs, & immediatiùs terminant intellectionem, ac volitionem in electione, sicut & finis priùs terminat eas in ratione objecti: ergo prima malitia venit à medio in ratione objecti.

Resp. 2. de bonitate, quòd quando electio terminatur ad objectum per se bonum, & proximè amatur ut tale, cum relatione tamen ad ulteriorem finem distinctæ bonitatis, tunc primaria, & essentialis bonitas illius actus venit à medio: accidentalis verò est à fine illo extrinseco; quia bonitas illa medii, seu objecti sufficiens est ad dandã talem bonitatem, & primò terminat actum, & in eo casu illa bonitas est inseparabilis ab actu, ver. g. eleemosyna data propter honestatem suam propriam, licèt relatam ad pœnitentiam, velut ad finem, retinet semper bonitatem misericordiæ, & potest amittere bonitatem pœnitentię, cessante scilicet illa relatione; ergo ista bonitas pœnitentiæ, quæ est finis, est tantùm secundaria, & accidentalis. Exemplum aliud habes ex D. Thoma de illo, qui fortiter pugnat ob liberationem patriæ; bonitas specifica talis pugnæ non venit 1. ex liberatione patriæ, sed ex bono fortitudinis, quæ exercetur in pugna, licèt illa honestas, & fortitudo ordinetur ad liberationem patriæ.

Resp. 3. Quòd si per electionem non ametur positivè hone-

honestas propria medii, sed purè spectetur utilitas ejus ad finem, licèt verè in se sit honestum, tunc tota bonitas electionis est à fine, quia sola bonitas finis amatur positivè; nam, ut diximus, ut circumstantia det bonitatem suam actui humano, debet esse positivè cognita, & volita; non ita est de malitia.

QUÆSTIO V.

An actus externus augeat bonitatem, vel malitiam actus interni, & quomodo eas moralitates participet.

QUæ diximus hucusque pertinent propriè ad actus *internos* voluntatis, in qua, & qua est moralitas. Per actus autem *externos* intelligimus omnes illos, qui non eliciuntur ab ipsa voluntate, sed tantùm ab ipsa imperantur, ut actus intellectus, & sensuum tam externorum, quàm internorum, & appetitus, & membrorum corporis, quatenus subsunt voluntatis arbitrio. Et certè de illis nullus dubitat, quin primariam, & principalem bonitatem, aut malitiam sumant à voluntate, quia non sunt moraliter boni, aut mali, nisi in quantum liberi, & voluntarii; & hoc illi non habent ex se, sed à sola voluntate. Unde Scotus mox citandus dicit ex S. August. *Causa prima peccandi est voluntas; nihil est enim peccatum, nisi quod est in potestate facientis, & nihil est in potestate facientis, nisi quod est in potestate voluntatis ejus; quia nihil præter hoc est imputabile; ergo in solo velle est peccatum primò, & in aliis non nisi mediante velle*. Sed quæritur, an in illis sit aliqua malitia formalis, saltem secundaria: v. g. an largitio effectiva, & externa eleemosynæ addat aliquid bonitatis volitioni sinceræ, ac efficaci faciendi eleemosynam? Et ita est de homicidii opere, an addat malitiam volitioni ejus efficaci, & cæteris omnibus paribus? Et quidem loquimur præcipuè de malitia extensiva; accidit enim ordinariè, ut dum exequimur volita, intendatur ipsa volitio, & complacentia in objectis volitis; sic qui vult fornicari, fornicando ardentiùs sibi complacet in actu; sic qui vult pati martyrium, patiendo plus accen-

accenditur in amorem Dei, &c. Loquimur ergo de bonitate, & malitia distincta ab interiori, ita ut præcisè, & ratione operis externi homo mereatur novam aliquam gratiam, vel demereatur novam pœnam præter meritum, vel demeritum actus interni: & de hoc acris est controversia inter Morales tam Philosophos, quàm Theologos.

Dico autem, *cæteris paribus*, nam si quis intensissimè optaret dare eleemosynam unius aurei, quam non posset dare, & idem alter vellet, sed remissè, & tamen daret, certum est, quòd intensio, & ardor charitatis in primo posset æquare meritum secundi, etiam casu quo crescat ex opere ipso. Quæstio ergo est de duobus æquè intensè volentibus, & æquè potentibus dare, an scilicet qui de facto dat plùs mereatur, quàm qui habet tantùm voluntatem. Idem est de homicidio quoad malitiam, tùm videbimus quomodo, & quo ordine tales moralitates participentur: supponitur etiam quòd actus externus habeat in se bonitatem, aut malitiam: nam si de se esset indifferens, certum est, quod tota bonitas, vel malitia esset in volitione interiori, quæ rem alioqui de se indifferentem vellet in ordine ad finem bonum, aut malum. Item agimus de actu interno efficaci de se: nam certum est, quòd cùm per actum externum internus sit de inefficaci efficax, tunc acquirit novam bonitatem, aut malitiam per illum.

CONCLUSIO.

Actus exterior addit bonitatem, & malitiam distinctam actui interiori. Ita Scotistæ, & alii contra Thomistas, & alios.

Prob. 1. ex Scoto, (1) dicente quòd *malitia, vel peccatum est formaliter in voluntate, & materialiter in sermone*, seu actu externo loquendi; & ex professo atque in terminis docet, quòd *actus exterior, scilicet imperatus, habet bonitatem moralem propriam aliquam aliam, quàm actus interior elicitus*: quod probat ex S. August. quia *mala voluntate vel sola quilibet miser efficitur, sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur, profectò quàvis & sic male volendo miser esset, minùs tamen esset, si nihil eorum, quæ perperam*

[1] 2.*d*.42.*q*.4.*N*. 16.& *quodl*. 18.*Q*. *n*. 12.

peram voluisset, habere potuisset: quod intelligitur de miseria culpæ, quæ præfuit in actu interiori malo.

Prob. 2. ex eodem supposita definitione ab eo data de bonitate morali, quam dicit consistere *in integritate eorum, quæ secundum rectam rationem operantis debent convenire actui*: quo posito sic argumentatur: Ubi est formaliter alia, & alia integritas eorum, quæ secundum rectam rationem agentis debent convenire actui, ibi est alia, & alia moralitas, seu bonitas, aut malitia, si adsit alia, & alia imperfectio, seu si absit alia, & alia integritas; sed in actu exteriori imperato est alia integritas requisita secundum rectam rationem, quàm in actu elicito, seu interno imperante; ergo & alia bonitas. Maj. patet ex definitione recepta bonitatis: prob. min. actibus diversæ rationis conveniunt diversæ integritates secundum rectam rationem: uterque enim dicitur bonus, aut malus intrinsecè, & formaliter; sed actus interior elicitus, & actus exterior imperatus sunt diversæ rationis; ergo debent inesse illis diversæ integritates secundum rectam rationem. Maj. patet, quia unicuique speciei actuum conveniunt diversæ proprietates. Prob. min. nam multa debent convenire actui interno voluntatis, quæ non possunt convenire externo, dato etiam, quòd utrique convenire possit eadem specie integritas, & moralitas, tamen distinguentur saltem numericè, quod sufficit ad intentum conclusionis.

Prob. 3. omissis aliis multis probationibus, quas adducit, & non approbat Poncius: quia nisi actus externus augeret, & quidem notabiliter malitiam interni, non deberet exprimi in confessione Sacramentali; sufficeret dicere: *volui occidere hominem, fornicari, furari*; non verò *occidi, fornicatus sum, furatus sum*: sed conseq. est falsum, & contra receptissimam Ecclesiæ praxim; ergo in actu exteriori est nova malitia. Idem est de bonitate. Prob. maj. quia non debent necessariò dici in confessione, nisi circumstantiæ, quæ habent, vel augent malitiam, & quidem notabiliter; ergo illa obligatio confitendi opus externum arguit particularem malitiam ejus.

Dices; ideò debere explicari opus externum, quia istud magis explicat efficaciam internæ voluntatis, aut gravitatem, vel intentionem ejus.

Con-

Contra. Ergo sufficeret dicere, *volui efficacissimè, & intensissimè homicidium*: sed hoc non sufficeret ad bonam confessionem juxta praxim Ecclesiæ; ergo, &c. 2. non omnis gravitas est aperienda; sed tantùm, quæ notabiliter auget malitiam; ergo actus externus addit notabilem gravitatem interno, vel non erit explicandus.

Dices 2. Opus externum esse dicendum propter damnum, quod ex illo infertur, aut scandalum, aut censuram, quæ incurritur, non verò propter novam malitiam.

Contra 1. Si hæc obligatio esset tantùm propter damnum, aut scandalum, ille, qui sponte, & ante confessionem vellet damnum, aut scandalum reparare, non ampliùs deberet confiteri, nisi volitionem internam; 2. quoad censuras, imò & quoad damna, & scandala non semper connectuntur cum omnibus operibus externis malis, quæ tamen sunt semper aperienda, ut impuritates solitariæ, & secretæ. Dum quis blasphemat in solitudine non scandalizat, nec damnificat; ergo aliunde venit illa obligatio, scilicet à propria malitia.

Dices 3. ideò confitendum opus externum, quia verè malum est, licèt eadem malitia, quæ est in actu interiori, & à qua illud denominatur extrinsecè malum, quia tenemur omnia peccata dicere.

Contra. Si opus externum non est aliud peccatum ab interno, nec aliam ullam habet malitiam, dicerem omnia peccata, si dicerem solas volitiones: nam si volitio efficax homicidii, & opus homicidii sunt unum, idemque peccatum, omnia dixi peccata, si volitionem accusavi.

Dices 4. non esse dicendum opus externum propter distinctam malitiam, sed propter præceptum Ecclesiæ sic jubentis ex institutione Christi accepta per traditionem.

Contra: quia id gratis planè dicitur; si enim occidens, aut furans non esset ullo modo pejor, quàm qui internè tantùm vult occidere, aut furari, non videretur ratio ulla, cur Ecclesia, vel Christus præcepisset eam circumstantiam operis externi confiteri, sicut nec multas alias, quæ occurrunt.

Dices 5. quòd actus malus internus conjunctus cum exter-

externo demeretur novam pœnam accidentalem, præter substantialem; sicut actus bonus conjunctus externo meretur aliquod præmium accidentale; & ideò externus malus debet aperiri, ut imponatur nova pœna accidentalis.

Contra; ergo actus externus malus addit malitiam aliquam novam, & distinctam ab interna, cui debet correspondere illa nova pœna accidentalis, quod sufficit nobis: nam quòd malitia operis externi dicatur accidentalis, aut alio nomine notetur, parum refert, modò sit distincta, & ob illam additionem, seu novam malitiam actus externus sit dicendus in confessione. Addo, quòd si malitia illa nova esset adeo accidentalis, & levis, non tam necessariò esset confitenda, quia Ecclesia non jubet circumstantias leviter aggravantes confitendas esse. Denique ipsa obligatio confitendi tale augmentum non videtur levis pœna, nec arguit levem malitiam.

Dices denique, præcipi talem confessionem, ut salubriora pœnitens accipiat consilia, & increpationes, & ut fortius retrahatur à peccato per obligationem aperiendi talem circumstantiam.

Contra 1. nam plurimi confitentur, qui non egent consiliis, nec increpationibus, imò aliqui tanto cum dolore accedunt, ut prudens confessarius debeat consolari eos. 2. Cur egeret gravioribus consiliis, & increpationibus? Aut illis gravius esset aperire circumstantiam actus exterioris, si nullam novam malitiam contineret? Certè eadem exigeret consilia; easdem mereretur increpationes; eodem premeretur pudore confitendo volitionem efficacem committendi turpia: non majus esset malum ea commisisse, quàm voluisse committere. Vides ex tot replicis, & ex earum levitate, quantùm adversarii hoc argumento urgeantur.

Prob. 4. Actui bono externo correspondet speciale præmium, & actui malo specialis pœna, saltem accidentalis; ergo in illo est specialis bonitas, aut malitia saltem accidentalis. Patet conseq. nam nisi specialis aliqua bonitas, aut malitia inesset, præmium, aut pœna non esset justa; illud non esset verè præmium, sed gratia; nec ista verè esset pœna, sed rigor ultra debitum. Prob. ant. nam actus externi virginum, &

martyrum decorantur palmis, & actus doctorum aureolis, ut notat S. Bern. [1] *Et si meritum fidei tantum valeat ad justificationem sine martyrio, ac cum eo, non tamen tantùm valet ad cumulum meriti;* scilicet illi ipsi Sancti, qui ardenti martyrii desiderio, inde quidem laudantur ad meriti substantiam, sed aureolis non decorantur, nec ut veri martyres ab Ecclesia coluntur, ut patet de S. Martino Episcopo, de quo canit, quòd *etsi animam illi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit*: hæc, inquam, canit, & inde illum laudat, sed inter martyres non reponit. Idem est de malitia actuum externorum, quam Ecclesia censuris variis punit, & quas non infligit ob actus purè internos; ergo in externis agnoscit quandam specialem malitiam. Prob. cons. non alligaret actibus externis præmia, vel pœnas illas, nisi essent voluntarii, & liberi (quales non sunt in dormientibus, & amentibus, & pueris) ergo quando sunt voluntarii, & liberi, habent aliquod verùm meritum, aut demeritum.

Confirm. Quia opus bonum externum immediatè, & per seipsum auget Dei gloriam, sicut malum opus illam minuit; ergo illud habet speciale meritum præmii, & istud demeritum pœnæ. Unde operi externo sacramentorum Deus alligavit gratias, quas consequimur ex opere operato; & Ecclesia indulgentias, ad quas non sufficerent actus interni, ut dicebamus de actibus malis externis, sine quibus non incurruntur censuræ. Certè si Adam sola voluntate peccasset, non autem facto, non amisisset gratiam originalem.

Objic. 1. ex Script. [2] *Si voluntas prompta est secundum id, quod habet, accepta est, non secundum id, quod non habet,* scilicet qui parum dat, cùm plus non habeat, tantum præmii meretur apud Deum, quantum ditior, qui multum dat; ergo ex sola voluntate dantis mensuratur meritum, non ex ipso opere externo. Quod clarè docet August. [3] *In bona voluntate metitur bonus bona facta, &c. in voluntate mala metitur malus mala facta, & in ea metietur ei miseria.* Et alibi docet, [4] quòd *voluntatis concubandi cum* uxore

[1] *ep. 77. de martyr.* [2] *2. Cor. 8. 12.*
[3] *ep. ad Deo grat.* [4] *de lib. arbit. c. 3.*

uxore aliena, quod facturus erat, si potuisset, non minus reus est, quam si in facto deprehenderetur; ergo tota bonitas, & malitia est in actibus internis voluntatis, nulla verò in externis.

Resp.neg.conf. Nec enim id sequitur ex his,& similibus textibus. Apostolus ibi hortatur Corinthios ad ejusmodi dumtaxat beneficientiam, *quæ facultatibus par sit*, inquit Chrysost. [1] imò eos ante laudat non solùm ex voluntate largiendi, sed etiam ex ipso opere: *Velle cepistis ab anno priore, nunc verò perficite, ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit & perficiendi ex eo, quod habetis, hoc est, ut præclara hæc virtus non intra animi promptitudinem consistat, sed eam etiam mercedem, quam opera afferunt, consequatur*,&c. Vides externa opera suam consequi mercedem; ergo & suam habent bonitatem. Augustinus autem principalem quidem malitiam in voluntate ponit, sub omni culpa non excusat opus externum; & loquitur de malitia quantùm ad pœnam æternam, & privationem gratiæ: hæc enim pœna incurritur ex malitia voluntatis primariò. Hæc explicatio fundatur in glossa decreti: [2] *Revera magis reus est, si opus adhibeatur*:sed hoc dictum August. quoad *sufficientiam æterni interitus accipe*:vel dic, *quod non minus est reus*, idest, *nihilominus reus est, quamvis ad factum non perveniat, non quin plus peccet, si opus sequatur*; *quod patet ex eo, quia prohibitum est malam voluntatem in opus producere: sic ergo contra prohibitionem illam faciens plus peccat; ergo qui opus adjicit voluntati iniquitatem adjicit iniquitati*.

Inst. Apud Deum voluntas efficax habetur pro facto, & mercedem operis externi consequitur,ut patet de Abraham, *Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi*, &c. in quæ verba Chrysost. ait: *Non eventum considera dilecte, sed voluntatem, & mentem disce, qua faciebat mandata circa ratiocinationem curiosam: quantum enim ad voluntatem attinet, cruentaverat dexteram Patriarcha,& per cervicem pueri immiserat gladium, perfectumque obtulerat sacrificium*. Item ex D. Bern. cum legimus, *omnis, qui odit fratrem suum, homicida est*: Item: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam*

[1] *ibid.hom.*17. [2] *c. si cui, d.*1. *de pœnit.*

eam, jam mœchatus est in corde suo: quid planius, quod voluntas pro facto reputatur, ubi factum excludit necessitas; ergo tota bonitas, vel malitia est in actibus internis, & in sola voluntate, non verò in externis.

Resp. ex Scoto, [1] id verum esse ex objecto, & circumstantia finis, *quæ non est ipsius actus ut in esse reali positi, sed est ipsius actus voliti, & per actum voluntatis ad talem finem relati*. Et si bene illi textus intelligantur, probant tantùm, quòd voluntas pro facto reputatur quoad culpam, & privationem gratiæ, & reatum pœnæ æternæ, & absolutè in actibus malis, in bonis verò quoad substantiam laudis, ac mercedis, non verò quoad quantitatem: nam pro voluntate adulterandi damnatur homo, & privatur gratia divina, & pro voluntate martyrii meretur gratiam, & gloriam, *si effectum impediat necessitas*. Et SS. Patres loquuntur sic de voluntate, ne peccata interiora voluntatis videantur parvi momenti, ut multi putant; sed numquam somniarunt, quòd actus interior sit æquè bonus, aut malus se solo, qualis est cum exteriori quoad quantitatem bonitatis, ac malitiæ. Unde S. Hieron. explicat prædicta verba D. Pauli, [2] *quod voluntariè incepistis implete: omnis enim boni operis finis est expetendus; quia sicut factum inviti acceptum non est, ita voluntas infructuosa est habentibus eam sine facto.*

Objic. 2. Si bonitas actus interioris cresceret ab exteriori, quò iste esset perfectior, tantò magis cresceret meritum operantis; sed cons. est falsum; ergo, &c. Prob. min. nam Christus docet, quòd vidua, quæ obtulit tantùm duo minuta in gazophylacium, *plus omnibus misit;* id est plus meruit. Unde S. Leo: [3] *æquatur merito, qui distat impendio, quia potest par animus, ubi dispar est census:* & Glossa in illud, [4] *ecce nos reliquimus omnia*, dicit, quòd *ille reliquit omnia, qui reliquit affectum;* ergo ex Script. & Patribus meritum non crescit ex perfectione operis externi.

Respond. dist. maj. cæteris paribus, conc. maj. & neg. min. cæteris disparibus, neg. maj. & cons. unde si magnates, qui miserunt copiam auri, & argenti, affectum habuissent in Deum æquè intensum, & cum tanta pro-

[1] *Quodlib.* 18. *H.* [2] 2. *Cor.* 8.
[3] *ser.* 40. *in jejun.* [4] *Matth.* 19.

proportione facultatum suarum id fecissent, plus sine dubio meruissent. Patres etiam loquuntur de merito quoad substantiam præmii, aut pœnæ, ut diximus, non quoad quantitatem, & accessorium, seu accidentalia.

Objic.3. Actus externus nõ habet distinctam libertatem ab interno; ergo nec bonitatem, aut malitiam, Prob.conf. nam bonitas, & malitia fundantur in libertate actus, & ubi est una libertas, ibi est una imputabilitas, & moralitas, & unicum dictamen, & unica relatio conformitatis, vel difformitatis: hoc est præcipuum fundamentum adversariorum.

Resp. 1. Retorqueri posse argumentum in Thomistas. Actus imperatus, & imperans non habent diversam libertatem, licèt uterque sit internus, & elicitus à voluntate; ut cùm imperat sibi actum charitatis ad finem pœnitentiæ; ergo neque distinctas bonitates, & malitias:sed conf.est contra Thomistas, qui putant in actibus elicitis, & imperatis internis voluntatis posse esse malitias, & bonitates distinctas, cum imperat sibi actum unius virtutis ex motivo, & ad finem alterius, ut in casu allato; ergo vel unitas libertatis non impedit bonitatem in electione distinctam, vel idem est de imperante, & imperato.

Resp.neg.conf.& rationem ejus, quia cùm libertas sit tantùm conditio requisita ad moralitatem, eadem sufficere potest ad distinctam bonitatem, & malitiam: eadem enim libertate quis potest dare denarium, vel duplionem, imo & amare, vel odisse: idem est de imputabilitate, quæ licèt fundetur in eadem libertate, potest tamen terminari ad terminos distinctos, quod sufficit ad distinctas relationes, quales sunt imputabilitates. Deinde malitia non oritur præcisè ex libertate, sed ex conformitate, vel difformitate cum recta ratione.

Resp. 3. neg. ant. nam sicut voluntas habet distinctum dominium in actus elicitos, & imperatos tam externos, quam internos, ita distincta libertate proprios actus elicit, & alios imperat; & ideo actus in esse reali, & extra voluntatem positus potest habere propriam bonitatem, aut malitiam distinctam ab ea, quam habet in esse intentionali, & intra voluntatem; *sicut in esse suo reali habet propriam convenientiam de-*

bi-

bitam, vel disconvenientiam ad rectam rationem, aut legem, inquit Doctor, [1] & id probat, quia bonitas, seu convenientia actus exterioris causatur ab interiori; ergo ab ea distinguitur, sicut effectus à causa: idem enim non est causa, nec medium sui ipsius, sicut conclusio, quæ habet veritatem à suis præmissis, habet etiam veritatem distinctam, & sibi propriam; non enim conclusio est vera formaliter veritate principii.

Inst. Actus imperatus sive exterior, sive interior non potest non esse, supposito imperante; ergo nullam habet in se libertatem, sed tota est ab imperante. Prob. ant. cùm voluntas sibi imperat amorem, v. g. supposito imperio illo, voluntas non est ampliùs indifferens ad amorem; ergo amor non potest non esse; ergo non est in se liber, sed in solo imperio.

Resp. dist.ant. non potest non esse ex determinatione, seu necessitate concomitante inter actum imperantem, & imperatum,conc.ant.ex determinatione,& necessitate antecedente, quæ intercedat inter imperatum, & imperantem, neg. ant. nam licèt actus imperans sit prior ordine, quàm imperatus,& posito illo sequatur iste necessariò, tamen illa necessitas non est antecedens, sed concomitans respectu voluntatis imperantis, & exequentis, quia eodem instanti temporis, quo vult efficaciter actum imperii, vult etiam actum imperatum, & sic uterque actus liberè procedit à voluntate, quasi duplici libertate, sicut uterque fuit illi repræsentatus ab intellectu, & sicut sunt duo effectus subordinati, & ab eadem causa positi.

Objic.4. Supposito imperio efficaci voluntatis, potentiæ exteriores obediunt tam necessariò,imo & perfectiùs, quàm bruta, vel alia entia, quæ moventur, v. g. cœlum respectu intelligentiæ motricis, aut baculus respectu manus: sed in motibus brutorum, aut cœlorum, aut baculi nulla est libertas, nec bonitas, vel malitia propria; ergo neque in actibus externis nostris erit bonitas propria distincta à bonitate interna.

Resp. 1. retorquendo argumentum. In motibus equi, vel cœli, aut baculi non est ulla bonitas, nequidem participata; ergo neque in actibus externis nostris: ant negari non potest, quia illi motus non sunt humani, neque capaces moralitatis: conseq. verò

[1] *ibid. n.* 14.

verò non admittent adversarii: fatentur enim actus nostros externos denominari morales, & participare moralitatem ab internis.

Resp. igitur 2. dist. maj. potentiæ exteriores tam necessariò obediunt ex libertate participata, quam non participant bruta, nec cœli, nec alia instrumenta, conc. maj. absque libertate omnimoda tàm intrinseca, quàm participata, neg. maj. & conseq. latum enim est discrimen inter motus brutorum, quos in illis causamus liberè, & motus facultatum hominis; nam motibus humanis potest competere libertas, & moralitas, saltem participata, quia illæ facultates subsunt immediato, & directo voluntatis imperio; sunt cum ipsa radicata in eadem natura; & non ita est de aliis causis naturalibus, quas movemus.

Objic.5. Qui vellet furari, & non furatur, quia non potest, eandem pœnam meretur coram Deo, ac si furaretur; & qui ardenter cupit martyrium, idem præmium ab eodem meretur; ergo tota bonitas, & malitia est in actu interno.

Resp. dist.ant. eandem pœnam, & idem præmium substantiale, conc. accidentale, neg. antec. & cons. id fateri coguntur adversarii de martyrio, cujus aureola non datur ob solum desiderium, & nisi accedat passio, & actus externus, quod fatentur plures adversarii.

Inst. ergo posset quis privari merito, & præmio illo per solam malitiam tyranni, qui vel violans virginem privaret eam aureola virginitatis, vel volens sævire in sanctos privaret eos aureola martyrii; sed conseq. videtur absurdum, & contra sensum Ecclesiæ, quæ approbat illud de Sancta Lucia, *Si jusseris invitam violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam;* scilicet unam habebit pro castitate servata, & alteram pro injuria.

Resp. similiter dist. maj. privaretur merito, & præmio accidentali, conc. maj. & neg. min. substantiali, neg. maj. & cons. nec id est absurdum; sicut nec volens sumere sacramentum, quod illi injustè negatur, percipit gratiam accidentalem, quam ex actuali opere operato consequeretur. De Beata Lucia dici potest, eam consequi coronam essentialem virginitatis,

& aliam æquivalentem pro injuria, non autem aureolam.

Objic. 6. Qui vult efficaciter dare eleemosynam, & ob id sincerè mittit manum in crumenam, in quo non invenit pecuniam, non minus laudabilis est, & meretur; & qui emittit sagittam animo feriendi hominem, non minùs culpabilis est, & puniendus; ergo actus exterior eleemosynæ, vel occisionis non auget bonitatem, nec malitiam. Prob. ant. nihil est objectum laudis, vel vituperii, nisi quatenus homo se determinat ad illud: sed actus imperatus tam interior; quàm exterior non determinat, sed invenit determinatum hominem ad eleemosynam, & occisionem; ergo ille actus imperatus non auget laudabilitatem, vel vituperabilitatem, nec præmiabilitatem, vel punibilitatem. Hoc argumentum magni facit Arriaga.

Resp. ut supra, dist. ant. & maj. prob. non minùs est culpabilis, aut laudabilis quoad substantiam præmii, vel pœnæ, meriti, vel culpæ, conc. ant. & maj. quoad præmium, vel pœnam accidentalem, neg. ant. & maj. & ratio patet ex dictis: nam actus elicitus, & imperans est immediatè liber, imperatus verò mediatè; & sic posset voluntas ponere primum sine alio, & posito primo cessare à secundo. In ejaculatione sagittæ totus actus exterior, qui pendet ab homine reperitur perfectus, licèt effectu careat, & ideo casus ille non est ad rem.

Inst. Sanitas in urina non addit quidquam sanitati animalis; ergo nec bonitas in actu exteriori addit quidquam bonitati, vel malitiæ actus interni. Prob. cons. nam sicut urina non dicitur sana, nisi ab extrinseco, & à sanitate, quæ est in animali, ita nec actus imperatus externus dicitur bonus, nisi à bonitate, quæ est in actu imperante; ergo, &c.

Resp. neg. cons. & ant. prob. nam actus imperatus, etiam externus, accipit quidem substantialem, & primariam bonitatem, aut malitiam à voluntate, & actu imperante, sed secundariam, & accidentalem habet à se, quatenus habet à se convenientiam, aut disconvenientiam propriam ad regulas moris, inquit Doctor. [1] Nam *multæ conclusiones sequentes ordinatæ*.

[1] *ibid. T. n.* 15.

nata ex eodem principio habent veritates proprias distinctas, & forte prior est verior, & magis necessaria, quia in necessitate sua non dependet à posteriori, sed è converso. Consimiliter conclusiones falsæ repugnantes eidem vero habent falsitates proprias; quia proprias disconvenientias ejus, quod enuntiatur ad illud, quod est in re: consimiliter de actibus voluntatis, non solus actus volendi natus est habere convenientiam, vel disconvenientiam propriam ad dictamen rectum; sed actus imperatus natus est mediante illo habere convenientiam, & conformitatem, & licèt idem sit, cui debet conformari actus iste, & ille, tamen ea, quæ conformantur, sunt diversa, & ideo habent ex parte sui diversas conformitates, sive convenientias, licèt ad idem.

Objic. denique ex D. Anselmo, *Si Deus diceret manui, tu occidisti, & pedi ad malum locum ivisti, possent manus, pedes, & alia membra respondere Deo, quòd domina voluntas hæc jussit, & Deus indidit illis ordinem hunc, quòd obediant voluntati*; ergo si esset aliud peccatum in actibus membrorum, quàm in voluntate, esset imputandum Deo; sed conf. est impium; ergo &c.

Resp. neg. 1. conf. Nam peccatum est quidem in actibus imperatis, & hi actus sunt in potentiis adhæsivè, sed sunt primariò in voluntate, & causaliter à voluntate, & ideò hæc sola dicitur peccare propriè, & ita est de merito: bonitas, & malitia sunt quidem non solùm denominativè, sed etiam formaliter aliquo modo moralitate participata, ut loquitur Scotus, in actibus imperatis, quia in istis est difformitas, vel conformitas propria ad regulas moris; sed illa difformitas est non solùm in actu imperante voluntatis formaliter, sed etiam causaliter, quia sola voluntas debet impedire difformitatem, & ponere rectitudinem, & ideo malitia peccati, aut bonitas propriè illi imputatur.

Inst. ex Scotò. [1] Malitia, & bonitas est tantùm materialiter in actibus aliarum potentiarum; ergo non habent propriam bonitatem, vel malitiam formalem.

Resp. dist. ant. materialiter, id est secundariò, & dependenter à voluntate, quatenus ejus libertati sub-

[1] 2.d.42.B.n.3. 16.

subsunt, conc. ant. id est per denominationem purè extrinsecam, neg. ant. & conseq. nec enim id somniavit Scotus, dicit [1] quidem ex omnium sensu, *quòd malitia primò, & formaliter non est nisi in aliquo actu voluntatis, & quòd in solo velle est peccatum primò, & in aliis, non nisi mediante velle*: & per malitiam materialem intelligit *participatam, loquendo de actibus potentiarum inferiorum*; Ecce quid per illud *materialiter* intelligit, scilicet mediante voluntatis imperio difformitas, vel conformitas reperitur in actibus imperatis aliarum potentiarum.

QUÆSTIO VI.

An bonitas, aut malitia sit prius in actu interno, quàm externo, & an sint duo, vel unum peccatum.

VIdimus bonitatem, & malitiam inesse tam actibus externis, & imperatis, quàm internis, & elicitis; restat videre, quo ordine moralitates illæ inter illos actus communicentur; an sint primò in actibus internis, à quibus derivantur in externos, an è contra; 2. An verò independenter, & æquè primò, & per se sint in utrisque; 3. An actus internus, & externus sint duo peccata, sicut habent singuli suam malitiam, & ita dicendum erit de bonitate.

CONCLUSIO I.

B*Onitas, & malitia formalis sunt formaliter in utroque actu, cum aliquo tamen ordine: objectiva vero aliquo modo prius est in actu externo; finalis est per se primò in interno, sicut & bonitas, & malitia imputabilis.*

Bonitas *formalis* est ea, quæ reperitur in ipso actu, prout est conformis rectæ rationi, & idem est de malitia *formali*; *objectiva* autem, seu *materialis* est ea, quæ venit præcisè à convenientia, vel disconvenientia objecti, quatenus de se natum est terminare actum creaturæ rationalis, ut rationalis est. Distinguimus etiam bonitatem illam *formalem*, & *objectivam* ab *impu-*

[1] 1.*d*.42.*B*.*n*.3.16.

imputabilitate; quia bonitas, aut malitia præcisè attenditur penes conformitatem illam, aut difformitatem, & per comparationem actus ad regulam rectæ rationis, *imputabilitas* verò attenditur penes libertatem actus, quatenus subest pleno dominio voluntatis; quia homicidium v. gr. est actus de se difformis rectæ rationi, & ideò formaliter malus, sed si non sit liber, ut in dormiente, vel furioso, non est imputabilis ad vituperium, nec pœnam. Bonitas, & malitia præcisè oritur ex relatione actus ad rationem, imputabilitas verò ex libera potestate agentis, actus enim bonus, aut malus non imputatur ad laudem, vel vituperium, nec ad præmium, vel pœnam, nisi sit liber agenti, ac in ejus potestate; unde actus imputabilis dicit duo; scilicet conformitatem, vel difformitatem, & libertatem; sed actus bonus præcisè non importat nisi conformitatem, & malus difformitatem; si verò sit immediatè in potestate voluntatis, ut sunt omnes actus eliciti à voluntate, dicitur propriè imputabilis; non verò si tantùm mediatè, ut sunt omnes actus imperati aliarum potentiarum, qui in se non sunt liberi, sed in voluntate imperante, & mediante actu elicito. His suppositis.

Probatur 1. concl. ex Scoto cit. [1] nam actus tam exterior, quàm interior habet suam conformitatem, vel difformitatem ad rationem; ergo & suam bonitatem, & malitiam formalem; *Recta ratio dictat omnes actus humanos debere esse rectè circumstantionatos rectitudine sibi debita, scilicet participata, loquendo de actibus potentiarum inferiorum*, &c. *Et est alia integritas eorum, quæ secundum dictamen rationis debent convenire actui interiori, & eorum, quæ actui exteriori*; ergo & alia bonitas moralis, & alia malitia moralis.

Probatur ergo ratione quoad 1. p. ex dictis in præcedenti; quia uterque actus natus est elici conformiter rectæ rationi; ergo tam actus exterior, si versatur circa debitam materiam cum debitis circumstantiis, quàm interior habebit propriam bonitatem, & è contra si versetur circa objectum indebitum, vel sine debitis circumstantiis habebit ipse malitiam.

[1] 2.d.42.q.4.N.n.16.

Prob. 2. p. Quia malitia objectiva est prior circumstantionali; sed actus exterior, & imperatus habet propriam rationem objecti respectu interioris, & imperantis, & ipse est, qui præcipuè præcipitur, aut prohibetur; nam directè prohibetur homicidium, furtum, mendacium, quia ex se hæc dedecent naturam rationalem, & similiter eleemosyna, justitia, temperantia præcipiuntur, quia ex se bonæ sunt objectivè, & decent naturam rationalem, & inde malum est velle occidere, furari, mentiri; & bonum est velle eleemosynam, justitiam, temperantiam, &c. ergo bonitas, & malitia objectiva priùs conveniunt actibus externis, seu imperatis, quàm internis.

Prob. 3. de malitia ex fine; quia actus exterior de se bonus, vel indifferens potest fieri malus ex prava intentione voluntatis, v. g. actus eleemosynæ fiet malus, si imperetur ex motivo vanæ gloriæ, aut luxuriæ, & ita de similibus; ergo bonitas, & malitia ex fine primariò est in actu interiori, & secundariò, ac per accidens in exteriori, & imperato.

Prob. 4. p. de imputabilitate, quia, inquit Scotus, [1] *si strictè accipiendo solum illud dicatur imputabile, quod est immediatè in potestate voluntatis, patet, quòd solum velle, & nolle est imputabile; si autem imputabile generaliter dicatur illud, quod est simpliciter in potestate voluntatis sive mediatè, sive immediatè, sic actus imperatus propriè est imputabilis; quia & si non sit immediatè in potestate voluntatis, est tamen mediante actu volendi*, &c. ergo bonitas, & malitia formalis quoad imputabilitatem venit primariò ab actu elicito interno, seu imperante, & est secundariò tantum in imperato, seu externo.

Sic facilè conciliantur opiniones, quæ videntur diversæ quantùm ad bonitatem, & malitiam formalem, qui enim volunt, eam esse primò in actibus internis, id docent, quia non distinguunt bonitatem, & malitiam formalem præcisam ab imputabilitate, qui verò è contra volunt absolutè illam esse primò in actibus imperatis, non distinguunt easdem, & præcipuè bonitatem, & malitiam ex fine.

Objic. 1. contra 1. 2. & 4. ex Scoto. [2] *Peccatum non est nisi formaliter in voluntate, sed materialiter potest*

[1] *Quod.* 18. *DD. n.* 20. [2] 2. *d.* 42. *q.* 4. *M. n.* 15.

potest esse in aliis actibus; ergo ex Scoto tota moralitas est primariò in actibus internis, & secundariò tantùm, & *participativè* in externis, seu imperatis.

Respondeo dist. conf. Tota moralitas formalis ex fine, & quoad imputabilitatem, conc. conf. moralitas objectiva, aut etiam tota formalis præcisè, prout importat relationem convenientiæ, vel disconvenientiæ ad rationem, neg. conf. Nam Scotus de istis non loquitur, ut patet ex textibus allatis, & ratione. Fateor, quòd bonitas ista formalis licèt sit in utroque actu, tamen ibi est cum aliquo ordine: est enim in externo dependenter ab interno; nam sine libertate, & imperio voluntatis ut non esset exterior, sic nec esset malus, nec bonus, nec imputabilis ad laudem, aut vituperium, & hoc sensu Scotus docet, bonitatem esse in actu externo, v. g. in sermone materialiter, formaliter verò in voluntate.

Objicies 2. Actus humanus eatenus est bonus, aut malus moraliter, quatenus est voluntarius, & liber; sed tota voluntarietas, & libertas est in sua voluntate; ergo & tota bonitas, & malitia; ergo hæc non est in actibus imperatis, nisi secundariò.

Resp. dist. maj. Quoad imputabilitatem, conc. maj. & min. quoad conformitatem, aut difformitatem ad rationem præcisè, neg. maj. nam patet, quòd furtum, mendacium, & similia sunt per se primò disconvenientia rectæ rationi, & eleemosyna est per se primò conveniens; ergo & bona, & ideò ista præcipitur, & illa prohibentur; sed si fierent sine libertate, non imputarentur neque ad prȩmium, neque ad pȩnam.

Inst. Si actus exterior ex se haberet formaliter bonitatem, aut malitiam, posset dici bonus, aut malus secluso actu voluntatis; sed conf. est falsum; ergo & ant. prob. min. nam homicidium casuale non est peccatum; ergo actus externus non est malus secluso actu voluntatis.

Resp. dist. maj. Quoad malitiam, & bonitatem in rigore, & prȩcisè, conc. maj. & neg. min. quoad malitiam, & bonitatem imputabilem, neg. maj. & conf. certum est, quòd furtum v. g. ex se disconvenit rationi, & eleemosyna ei convenit ex se, & antecedenter ad omnem actum voluntatis; sed nec furtum, nec eleemosyna imputabuntur, nisi liberè fiant.

Hinc adverte, quòd in rigore scholastico actum esse malum, & esse peccatum differunt, licèt ordinariè confundantur; nam esse malum præcisè est esse disconveniens rectæ rationi, esse autem peccatum est esse disconveniens, & imputabile; unde actus purè exterior furti est quidem malus, seclusa libertate, sed non est peccatum formaliter, & propriè in hoc sensu.

CONCLUSIO II.

Aliquo sensu actus malus interior, & exterior possunt dici duo peccata, & alio sensu unum; uno verbo, dici potest, quòd sunt duo partialia.

Prob. 1. ex Scoto: [1] nam postquam dixit, quòd *si strictè accipiendo, solum illud dicatur imputabile, quod est immediatè in potestate voluntatis, patet, quòd solum velle, & nolle est imputabile*; ergo in hoc sensu est unum peccatum, quia peccatum totum est formaliter in voluntate; si imputabile largiùs sumatur pro eo, quod est mediatè, aut immediatè in potestate voluntatis, *sic actus imperatus est imputabilis*: & cum sibi objicit, quòd imperatus non est imputabilis, sicut nec liber, nisi mediante interno, respondet, *ex hoc sequitur, quòd illius, & istius est alia imputabilitas: id enim non est medium, nec ratio mediandi respectu sui ipsius*; ergo in hoc alio sensu actus internus, & externus sunt duo peccata, saltem partialia.

Confir. ex alio textu, ubi dicit, [2] quòd *malitia, vel peccatum est in sermone materialiter, & formaliter in voluntate: nam recta ratio judicat, omnes actus humanos debere esse rectè circumstantionatos rectitudine sibi debita, scilicet participata, loquendo de actibus potentiarum inferiorum; sed actus exterior potentiæ motivæ subest voluntati; ergo debet esse rectè circumstantionatus, & rectus rectitudine sibi debita, ut quòd transeat super materiam debitam, ut ordinetur ad debitum finem, ut scilicet ædificet proximum, & quòd notificet* (scilicet sermo) *illud, quod est in conceptu mentis; aliter enim esset mendacium; ergo ex defectu alicujus circumstantiæ, quam debet imperare vo-*

[1] *Quodlib. c. 2.* [2] *2. d. 42. q. 2. A. & M. n. 2. & 16.*

voluntas, *est peccatum*, *& malitia formaliter in voluntate*, *& materialiter in sermone*. Vides ex Scoto, quòd uterque actus habet suam malitiam distinctam, sed tamen cum aliqua dependentia, & connexione unius ad alterum, ex qua fit, ut integrent unam totalem moralitatem, & unum totale peccatum.

Prob. autem quoad 1. p. Nam sunt duo actus realiter distincti, & separabiles, & singuli habent suam malitiam; ergo quoad hoc sunt duo peccata. Ant. patet; nam unus subjectatur in voluntate, scilicet interior, & ab ea sola elicitur; alter est in alia potentia, & maxime in appetitu sensitivo, vel sensibus corporeis, & uterque habet suam difformitatem cum recta ratione. Prob. conf. nam quæ sunt in diversis subjectis realiter, & numericè distinguuntur.

Prob. 2. Quia eadem forma in duobus subjectis faceret duo concreta, v. gr. eadem albedo in duobus parietibus faceret duo alba; ergo à fortiori duæ malitiæ in duobus actibus faciunt duo peccata, quia faciunt duo concreta.

Prob. 3. Quia actus interior, & exterior prohibentur aliquando diversis præceptis; nam interior in fornicatione, & adulterio prohibetur præcepto; *non concupisces*, & exterior, *non mœchaberis*; ergo sunt diversa peccata.

Prob. denique, quia interior potest esse, & puniri sine exteriori, saltem coram Deo, ut concupiscentia, juxta illud, *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam jam mœchatus est*; & actus exterior sine interiori punitur apud homines; ergo &c.

Prob. 2. p. Quia si actus illi considerentur, quatenus inter se connexi, & subordinati sunt, non habent nisi unam integraliter libertatem, integrant idem opus; ergo & eandem habent moralitatem, & unum peccatum sunt.

Confir. Quia nullus hucusque negavit, quin dicens, *ego occidi hominem*, vel *furatus sum centum scuta*, sufficienter se accuset, quamvis non enuntiet duos actus, & duo peccata distinctè, scilicet interiorem, & exteriorem, seu volitionem internam, & executionem externam; ergo non sunt duo peccata in hoc sensu, sed unicum totale ex duobus.

Confir. 2. Quia, ut diximus, externus sine inter-

ro non haberet ullam imputabilitatem, nec meritum, nec demeritum; ergo non sunt duo totalia peccata: unde eodem præcepto prohibetur utrumque, dicitur enim *non occides*, *non mæchaberis*, *non furtum facies*; *honora patrem tuum*; nec actus illi prohibentur, aut præcipiuntur seorsim: denique unum est propter aliud, externus non est imputabilis nisi propter internum; ergo non sunt nisi unum peccatum totale, & integrum, nec puto de hoc disconveniri posse, nisi excitando quæstionem de nomine.

Objectiones facilè solves, si eas, quæ facere videntur contra 1. p. solvas per 2. & vicissim; nam quæ pugnant contra duplicitatem peccati intelliguntur de unitate integritatis, & totalitatis, non verò de unitate indivisibilitatis, & simplicitatis, qualem nos asserimus.

Objic. prǽterea. Qui fornicatur in Ecclesia, facit duo peccata, scilicet fornicationis, & sacrilegii; sed eadem est ratio de furto externo, & interno; est enim utrobique duplex malitia per nos; ergo & duplex peccatum.

Resp. neg. min. Nam malitia sacrilegii ratione loci sacri est separabilis à malitia fornicationis; illæ non sunt per se subordinatæ, & connexæ, benè verò malitia volitionis fornicandi, & fornicationis externæ; nec enim hæc quoad imputabilitatem, & libertatem potest esse sine illa.

DISPUTATIO III.

De causa materiali morum, seu de passionibus.



Causa materialis morum alia est *subjectiva*, seu *in qua*, ut sunt actus humani, & quoad moralitatem, seu bonitatem, & malitiam, de quibus jam disputavimus; alia est *circa quam* operatur, ut circa eam exerceat suas regulas ad bonitatem inducendam, & malitiam vitandam, aut removendam, & tales sunt *passiones*, quæ cùm nobis sint cum brutis communes, maximo sunt studio dirigendæ, ne in iis homo brutescat. Quod ut facilius præstet hæc disciplina, priùs earum natura

est agnoscenda: quippe, ut monet Lactantius, [1] *omnis propè virtutum usus, atque adeo omnis ferè moralis disciplinæ utilitas in hac parte posita est, nam ferè omnia, quæ fiunt injustè, atque improbè, ab his oriuntur affectibus. Si enim commotionis hujus, quæ ira dicitur, impetus retundatur, omnes hominum contentiones malæ sopientur; nemo insidiabitur, nemo prosiliet ad nocendum. Item si cupiditas temperetur, nemo terra, marique grassabitur, nemo exercitum ducet, ut rapiat, & vastet aliena. Item si ardor libidinum comprimatur, omnis ætas, & sexus continebit suam sanctitatem; nemo quidquam pudendum aut faciet, aut patietur; ergo universa scelera, & flagitia his commotionibus virtute sedatis, ex hominum vita, moribusque tollentur, quæ sedatio commotionum, & affectuum hanc habet rationem, ut omnia rectè faciamus*. Sic S. August. virtutes omnes ad affectum amoris, in quo passiones aliæ radicantur, rectè compositum, ritèque subactum revocari docet, *Non faciunt* (inquit) *bonos, vel malos mores, nisi boni, vel mali amores*. De his jam pauca diximus in Physicis, prout sunt affectiones appetitus sensitivi; hic verò pleniùs examinamus earum naturam, ut faciliùs remedia contra earum perturbationes, & excessus paremus ex præceptis hujus scientiæ.

QUÆSTIO I.

An, & quid sit passio humana, & quotuplex.

PAssionis vox à verbo *patior* derivatur, & significat aliquando apud Philosophos quamlibet rerum proprietatem; sic risibilitas dicitur hominis *passio*: aliquando specialem qualitatis speciem, estque ejusdem naturæ cum *patibili qualitate*, sed ab ea differt, quia parum durat, 3. pro receptione alicujus formæ in subjecto, aut prout opponitur actioni, & cum ea constituit unum ex septem Prædicamentis. 4. pro corruptione, & læsione, sic receptio caloris in ligno dicitur *passio*. 5. magis propriè, & ad propositum pro motione quadam appetitus sensitivi, quâ bonum imaginatione apprehensum tamquam congruum expetitur, & malum eadem

[1] *6. Inst. c. 5.*

imaginatione æstimatum repudiatur; ideoque describitur ex D. Damasceno [1] *motus virtutis appetitivæ sensibilis ob imaginationem boni, & mali*.

Aliis nominibus appellantur Animi motus, inquit August. [2] apud Græcos πάθη nostri autem quidam, sicut Cicero, *perturbationes*, quidam *affectiones*, vel *affectus*; quidam verò de græco expressiùs *passiones* vocant: Zeno *animæ volatus* vocabat ob eorum impetum, & celeritatem; Jamblicus è contra post Platonem vocat *clavos, quibus anima corporis patibulo affigitur*. Communi etiam vocabulo dicuntur *motus animi*, quia per illas affectiones anima progreditur, aut regreditur, aut elevatur, aut deprimitur; *Affectiones nostræ motus animorum sunt*, inquit August. *lætitia animi diffusio est; tristitia animi retractio: cupiditas animi progressio: timor animi fuga est*. Nos *passionum* vocem retinebimus, quia usitatior.

Passionum existentiam suppono ex dictis aliàs, & ex communi omnium tam Theologorum, ac Patrum, quàm Philosophorum sensu, & ipsa experientia; nam in omnibus experimur *amorem* boni, *odium*, & *fugam* mali, *tristitiam* de præsenti malo, & *gaudium* de præsenti bono, &c.

Passio describi solet, *motus potentiæ appetitivæ natus ex apprehensione boni, aut mali cum aliqua non naturali cordis mutatione*: dicitur 1. *motus*, quod ponitur loco generis; nam per hoc *passiones* conveniunt cum aliis omnibus actibus, aut mutationibus. 2. *potentiæ appetitivæ*; & per id jam incipit hic motus distingui à motibus aliarum potentiarum, & maximè intellectivæ, aut imaginativæ. Abstinui à vocibus *sensitivæ*, aut *rationalis*, aut *animi*, quibus plurimi utuntur, donec decisum fuerit, an dentur passiones in voluntate, an verò tantùm in parte sensitiva. 3. *ex apprehensione boni, aut mali*; quia objecta non causant illas commotiones in appetitu sensitivo, aut rationali, nisi mediante aliqua cognitione. 4. *cum aliqua cordis mutatione*, quia per tales motiones solent agitari spiritus vitales circa cor, in quo varios motus excitant, ut videbimus, & id maximè verum est

[1] 2. *de fide c.* 22.
[2] 9. *de civit. c.* 4.

est de *passionibus* in parte sensitiva; 5. *non natura i s* quia motus naturales cordis sunt tantùm duo, scilicet *dilatationis*, & *compressionis*; hi verò sunt longè plures, & diversi; v.g. per *gaudium* vehementiùs dilatatur, & per *tristitiam* magis arctatur, &c.

Quantùm ad divisiones, variæ sunt 1. in *laudabiles*, quæ intra rationis limites continentur, & *culpabiles*, quæ limites illos vel excedunt, vel non attingunt, 2. in *conversivas*, seu *prosecutivas*, quibus prosequimur bonum; & *aversivas*, quibus malum fugimus: 3. In *naturales*, quibus appetuntur bona consentanea, aut fugiuntur mala verè dissentanea, ut cùm appetis cibos ordinarios, & fugis nocivos; & *innaturales*, quibus appetuntur dissentanea, aut fugiuntur consentanea; ut si appetas comedere carbones, aut fastidias panem. 4. Ratione *subjecti*, vel *originis*, vel *ob ecti* dividuntur in *concupiscibiles*, quia resident in appetitu, qui dicitur concupiscitivus, & versatur circa bonum appetibile, ut *amor*, *gaudium*, *spes*, &c. & *irascitivas*, quæ sunt in appetitu irascibili, & respiciunt malum, ut *odium*, *fuga*, *timor*, &c. alii aliter dividunt, & numerant passiones.

CONCLUSIO I.

Passiones commodè, & sufficienter numerantur undecim, quarum sex tribuuntur appetitui concupiscibili, & quinque irascibili. Ita communiter.

Probatur 1. ex Scoto [1] sic definiente ex D. Damasceno: *Passio*, inquit, *est motus appetitivæ virtutis sensibilis in imaginatione boni, & mali: concupiscibile respicit illud, quod ex se natum est esse conveniens, vel disconveniens, ita quod nullo alio actu posito, nisi sola apprehensione facta, natus est sequi actus vel tristandi, vel delectandi, sive prosequendi, aut fugiendi, quantùm est ex parte ejus.*

Probatur 2. ratione. Nam cùm objectum simpliciter placet dicitur *Amor*; si sit præsens, & possessum, facit *gaudium*; si absens, excitat *desiderium*; si verò sit disconveniens, movet *odium*; si præsens, *tristitiam*, seu *mœrorem*; si absens præcisè, *fugam*, seu *abominationem*. Ecce motus, seu passiones concupiscibilis,

[1] 3. d. 15. D. n. 10.

nam talia non respicit *irascibilis*. Actus enim *irascibilis* est *irasci*, quod secundum Philosophum est *appetere vindictam propter apparentem parvipensionem*. Igitur objectum *irascibilis* est *vindicare*, seu *vindicabile*, seu *punibile*, seu *irascitivum*, seu *offendens*; quia impedit illud, quod est primò conveniens appetitui, qui ideo non solùm intendit amovere impedimenta, sed etiam punire.

Quando igitur bonum concupitum est arduum, & obtentu difficile, appetitus quasi irascendo vult vincere, & removere impedimentum, & si apparet possibilitas vincendi impedimentum, & consequendi bonum, exurgit *spes*; si impossibilitas, venit *desperatio*; si agens se determinat aggredi opus, surgit *audacia*; si regrediatur ab opere; seu ab aggressione cadit, *timor*; si velit punire impedientem per aliud malum, accenditur *ira*; ergo hæ passiones undecim comprehendunt quidquid contingere potest appetitui circa bonum, aut malum, quod illi repræsentatur, & tot motus, quot in eorum prosecutione, vel fuga potest pati; ergo tot sunt passiones, & non plures; ergo sufficiens est ea divisio.

Objic. 1. Ignorantia, morbus, febris, fames, sitis, superbia, indignatio, zelus, & similia sunt veræ passiones; sed non continentur in membris illis undecim; ergo illa divisio non est sufficiens.

Resp. 1. neg. maj. nec enim sunt veræ passiones in sensu, de quo hìc loquimur; nec enim sunt motus, quibus appetitus feratur in bonum, aut avertatur à malo, quod maximè patet de ignorantia, febri, & aliis. 2. facilè possunt ad alias referri, nam *fames*, & *sitis* pertinent ad *concupiscitivas*: *fames* quippe est *desiderium calidi, & sicci*; *sitis frigidi, & humidi*; *superbia*, & *zelus* ad *irascitivas*; illa ad *audaciam*, iste *ad iram*. 3. quando dicimus hanc divisionem esse sufficientem, non negamus aliter fieri posse, scilicet in plura, vel pauciora membra secundum diversos sensus. Unde aliqui decem numerant, alii 13. alii 20. Plato innumeras, & innominatas.

Objic. 2. *spes*, *desperatio*, & *audacia* potiùs pertinent ad appetitum concupiscibilem, quàm ad irascibilem; ergo malè sic dividimus. Prob. antec.

Scotus

Scotus[1] enim dicit, quòd *actus adæquatus irascibilis est irasci*; ergo *sperare*, & *desperare*, *audere*, vel *timere* non spectant ad illum; imo *spem* ponit in *desiderio*, quia respicit bonum absens obtentu possibile; sicut *desperatio* bonum obtentu impossibile; *spes* est *desiderium* efficax; *desperatio* est inefficax, & *timor* respicit malum imminens; sed omnia hæc spectant ad concupiscibilem, ergo &c. Prob. min. ad eundem appetitum pertinent motus, qui respiciunt bonum, & malum, & media ad illud obtinendum, & istud vitandum; ergo quæ respiciunt bonum absens, aut malum imminens spectant ad appetitum concupiscibilem, quandoquidem respicit bonum habendum, & malum vitandum.

Resp. neg. ant. 1. arg. & conf. 2. & min. 3. & dist. ant. 4. ad eundem apppetitum pertinent motus circa bonum, & malum, si respiciantur sub eadem formalitate. conc. ant. si sub diversis, neg. ant. Nam licèt *spes*, & *desperatio*, & *audacia*, & *timor* supponant amorem, & desiderium boni, & odium, àc fugam mali; tamen appetitus concupiscibilis, & motus ad eum spectantes considerant bonum; & malum purè ut præsens, vel absens præcisè à mediis, ac facilitate, vel difficultate; irascibilis verò considerat bonum ut consequendum, & malum ut fugiendum per media, quæ ut sunt difficilia, excitant motus vehementiores ad superanda obstacula, & vindicandos offendentes, ut patet ex Scoti [2] textibus allatis in probatione conclusionis. Vide quæ diximus Tract. de anima, ubi probabiliter diximus, hæc pertinere ad concupiscibilem, & seclusa Scoti auctoritate hos appetitus non distingui realiter.

CONCLUSIO II.

P*Assiones formaliter non sunt propriè actus appetitus, aut voluntatis, sed perpessiones ad eos sequentes*. Est Scotistarum contra Thomistas, & alios.

Prob. 1. ex Scoto. [3] *Delectatio*, inquit, *non est de essentia beatitudinis, quia est passio. Beatitudo autem consi-*

[1] 13.*De scientia.* [2] 3.*d.*26.*c.n.*4.
[3]4.*d.*49.*q.*7.*A.n.*3.

consistit in operatione, quod sic probat: *Voluntas potest dupliciter considerari.* 1. *ut operativa.* 2. *ut receptiva.* 1. *modo perficitur simpliciter operatione conjungente simpliciter, & ultimatè optimo simpliciter, & in hoc consistit essentialiter beatitudo.* 2. *ut receptiva, & sic est perfectibilis non operatione, sed passionibus supernaturalibus, quia talium est ultimatè receptiva, & sic perficitur delectatione, & gaudio.* Vides, quòd non solum *delectatio*, & *gaudium*, ex Scoto, est passio voluntatis, non prout est activa, sed prout est receptiva, sed etiam aliæ omnes passiones, (quia eadem ratio valet pro omnibus) est enim perfectibilis non operatione, sed passione.

Confir. ex Gersone, [1] qui sic passionem definit: *Est inclinatio quædam, vel coaptatio, seu similitudo, & convenientia derelicta ab agente in passum, per quam trahitur quodammodo ipsum passum ad agens, aut eidem coaptatur, & assimilatur, & refugit contrarium: Certè sicut ignis generans ignem ex aere relinquit in igne genito caliditatem, & levitatem, quæ levitas suo pondere, vel tractu movet sursum ad similem ignem, & dum illic est, quiescit, odit verò totum deorsum tanquam sibi non convenientem, & refugit ipsum, neque quietem habet in illo; sic homo proportionabiliter affectus per amorem ad aliquid inclinatur ad illud, & si non habet desiderat, seu concupiscit illud, & si adipiscitur quiescit, & delectatur in illo; odit verò contrarium*, &c. Vides, passionem esse quid derelictum in appetitu ab agente, & esse puram perpessionem.

Prob. de *amore*, & *odio*. Quia sicut intellectus non fit intelligens præcisè, & formaliter, prout est productivus, sed prout est in se receptivus verbi mentis, (*intelligere est quoddam pati*, ut diximus in tract. de anima) ita nec voluntas dicitur formaliter amans, vel odiens, quatenus elicit actum amoris, vel odii, sed quatenus illos actus in se recipit, & patitur.

Prob. de *tristitia*, & *lætitia*, scilicet quòd *tristitia propriè dicta sit passio voluntatis, & non aliqua operatio*, inquit Doctor; [2] nam si esset actus, esset velle, aut nolle; sed neutrum dici potest; ergo non est actus voluntatis: Prob. min. 1. de *velle* id patet per

[1] *tr. de passio. consider.* 1. [2] 3. *d.* 15. *D. n.* 12.

per se, & omnes fatentur; nemo enim tristatur de eo, quod vult positivè, & efficaciter. Prob. de *nolle*, quia Deus, & beati habent summum nolle de peccato, & tamen non tristantur, nec possunt tristari; ergo tristitia non est actus nolitionis, sed id, quod patimur ex nolitione; ideo describitur ab Augustino, *dissensio animi ab his, quæ nobis nolentibus accidunt.*

Dices, aliud esse de Deo, & beatis, quibus repugnat tristari propter beatitudinem, & contra eorum voluntatem nihil accidit; non ita est de nobis.

Contra 1. Deus, & beati efficacissimè nolunt peccatum, & volunt observantiam præceptorum, & tamen contrarium accidit singulis momentis. 2. quia si nolim efficacissimè te fieri regem, non tristabor, quandiu non fies, sed si post annum fias rex, incipiam tristari; ergo idem nolle potest esse sine tristitia, & cum tristitia; ergo tristitia etiam in nobis est quid distinctum à *nolle*.

Dices 2. Tristamur de malis nostris, aut amicorum; Deus verò, nec sancti non possunt subjacere malo ulli, nec ideo tristari.

Contra 1. Quia neque nos tristamur propriè nisi de malis oppositis bono, quod amamus; ergo eadem est ratio quoad hoc de nobis, & de Deo. 2. quia Judæi non erant amici Christi, cùm prævidens eorum desolationem, & videns civitatem desolandam flevit super illam.

Prob. de dolore, & voluptate 1. secundum August. *Dolor carnis est tantummodo offensio animæ ex carne, & quædam ab ejus passione dissensio, sicut animæ dolor, qui nuncupatur tristitia, est ab his rebus, quæ nobis nolentibus accidunt.* Ex hoc patet, quòd dolor est passio consequens apprehensionem sensitivam in appetitu sensitivo; *tristitia* autem est propriè in appetitu sensitivo, aut in voluntate, & consequens apprehensionem eventus alicujus objecti noliti; ubi vides, id esse in appetitu sensitivo, & in sensu externo dolorem, quod est tristitia in voluntate, seu appetitu intellectivo. 2. quia sæpe sentimus dolores absque perceptione, aut volitione ullius objecti, ut in artitride, & similibus malis internis. 3. quia eadem est ratio de istis, ac de tristitia, & lætitia. 4. quia si dolor esset formaliter actus perceptionis ali-

alicujus objecti, quò vehementior esset (idem est de voluptate) eò perfectiùs cognosceremus objectum illud; sed conſ. est contra experientiam; imo tunc minùs cognoscimus; ergo dolor, & voluptas sunt puræ passiones, non verò actus appetitus.

Object. solutæ sunt tract. de anima: interim fateor, quòd sæpe dolor potest esse in ipsa sensatione, quando scilicet objectum est per se disconveniens, ita ut perceptio ejus in sensu esse non possit sine molestia, vel voluptate, ut quando gustatur dulce, vel amarum. Conclusio autem procedit absolutè, & in casibus, in quibus sensatio possit esse sine dolore, & in sensu, & in appetitu interno contingere potest faciliùs, quàm in externis. Philosophus [1] dicit, *quod operatio, & delectatio non possunt separari : unde videntur eadem*, inquit Scotus, [2] *unde tales prædicationes sunt causales?* tamen etiam in his contingere potest; nam ex nimia calefactione relinquitur passio doloris, licèt non sit amplius perceptio ignis; idem est de dolore ex contusione, aut vulnere. Plura de quidditate, & existentia passionum diximus tract. cit. & præcipuè de illarum identitate, & distinctione, v. g. quòd spes essentialiter non differat à desiderio, nec illas videri spectare ad irascibilem, sed ad concupiscibilem, solamque iram videri spectare ad irascibilem, quod maximè verum est in sententia non distinguente realiter illos appetitus. In nostra verò, quæ stat pro illa distinctione, probabilius est distingui; quia spectant ad diversas specie potentias: quapropter dixi etiam ibi, probabiliter illos motus pertinere ad concupiscibilem, ad irascibilem verò pertinere solam iram, quod videtur conforme textui allato ex Scoto dicente, quòd *irasci est actus adæquatus appetitus irascibilis*, quod bene advertendum est, ne videar hic, & ibi incidisse in contradictiones, cùm enim dico sex primas passiones pertinere ad cócupiscibilem, & quinque ad irascibilem, loquor in sensu communiori, non in omni rigore, in quo possent esse difficultates Scholasticæ plures sed ab earum examine abstinemus;

[1] 10. *Ethic. c.* 5.
[2] 3. *d.* 15. *q.* 1. *D. n.* 11.

nus, quia plus afferunt laboris, quàm utilitatis, & tandem reducuntur ad lites de voce.

QUÆSTIO II.

De subjecto passionum.

PAssiones aliæ sunt *materiales*, seu *animales*, quæ nobis sunt communes cum brutis, & resident in sensibus, & appetitu sensitivo: aliæ *spirituales*, quæ nobis sunt propriæ, quatenus præditi sumus vita rationali, & anima incorruptibili; & istæ sunt nobis aliquo modo communes cum Angelis, imò & cum Deo, quatenus aliquæ ex illis tribuuntur eis, sublatis tamen imperfectionibus, cum quibus sunt in nobis in statu viæ. Igitur in nobis sunt duplices illæ affectiones, scilicet, *animales*, & *spirituales*, quia utraque constamus natura; solet autem quæri, an passiones pertineant ad potentias cognoscitivas, quales sunt sensus externi, & interni in animali, & intellectus in rationali, an verò in appetitivis, quales sunt appetitus sensitivi, & voluntas. An in solo appetitu sensitivo, ut volunt aliqui. An verò etiam in rationali, ut docent plurimi. An in sapientibus, quod negant Stoici. An etiam in brutis, quod putant nonnulli. An in plantis, ut quidam dicunt.

Porrò certum est, totum animal, seu totum hominem esse subjectum denominationis passionum, nam dicere animam irasci, simile est ac si dicas eam texere, vel ædificare. Hæc dicuntur de suppositis, juxta illud, *Actiones sunt suppositorum*, scilicet denominativè, quamvis sint ab aliqua potentia particulari elicitivè.

CONCLUSIO I.

P*Assiones subjectantur immediatè, non in facultate cognoscitiva, sed in appetitu sensitivo, vel in voluntate; & reperiuntur in brutis, non autem in plantis*; Est communis quoad 1. p. contra aliquos quoad 2. qui putant passiones propriè esse motus animalis, ut animal est, & non hominis, ut rationalis est, & contra Senecam quoad 3. & Herasmum quoad 4.

Prob.

Prob. 1. ex Scoto: [1] nam in omnibus textibus citatis docet, vel supponit passiones non solùm in appetitu, sed etiam in voluntate, ut legenti patet, & maximè id probat ex definitione passionis à D. Damasceno allata, *Animalium passionum terminus, id est definitio, est iste. Passio est motus appetitivæ virtutis sensibilis in imaginatione boni, & mali.. imaginatio, id est sensatio in communi, est quasi approximatio agentis ad passum.....Præterea virtutes morales ponuntur in appetitu, & non in parte cognoscitiva, ut distinguitur contra appetitum, & ponuntur potissimè propter delectationes, & tristitias vitandas; ergo hujusmodi passiones sunt in eadem parte, & non in cognoscitiva*; ergo ex Scoto, [2] & ratione patet, quòd passiones subjectantur immediatè in appetitu, non in parte cognoscitiva tum sensitiva, tum intellectiva. Item loquens de tristitia dicit, eam esse *in appetitivo, intellectivo, & voluntate*; ergo passiones materiales sunt in appetitu sensitivo, & spirituales in voluntate.

Prob. 2. per partes, & 1. quod non resideant in facultate cognoscitiva jam probatum est in tract. de anima. [3]

Prob. 2. p. de appetitu sensitivo, tum ex Script. nam D. Paulus [4] conqueritur de passione carnea, & materiali, non in anima, sed in membris. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Et, [5] *Datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ*, &c. 2. quia ex definitione communiter recepta fit mentio de appetitu sensitivo potiùs, quàm de rationali; unde plures eas negant in voluntate, & sic in solo appetitu sensitivo eas collocant, quod voluit Arist. [6] *Videntur perturbationes omnes esse cum corpore, ira, mansuetudo, timor, misericordia, confidentia, insuper gaudium, amare, odisse, simul enim cum his patitur aliquid corpus.*

Prob. 3. p. de voluntate 1. ex SS. Patribus: nam auctor libri [7] *de operibus Christi Cardinalibus apud S. Cyprianum* non tam sensibus, quàm ipsi animæ passiones tribuit dicens, *Hoc ipsum quod dico, carnis affectus impropriè dico, quia hæc vitia propriè animæ sunt, quæ*

[1] 3. *d.* 15. *D. n.* 11. [2] 4. *d.* 42. *q.* 2.
[3] *D. sp.* 10. *q.* 3. [4] *Rom.* 7. & 2. [5] *Cor.* 12.
[6] *Proc. de Ar.* [7] *in prol. fin.*

quæ sentit, & movet, & vivit, corpore utitur, sicut faber malleo, vel incude, in qua format omnium turpitudinum idola, &c. Et S. August. [1] *Interest autem qualis sit voluntas hominis, quia si perversa fuerit, perversos habebit eos motus, si autem recta est, non solum inculpabiles, sed etiam laudabiles erunt*, &c.

Prob. 2. ratione. Voluntas est capax amoris, odii, delectationis, & tristitiæ, ut patet experientia ordinaria; imò & in anima separata reperiuntur tales motus; nam beati amant, & gaudent, damnati tristantur, & dolent; ergo passiones etiam sunt in voluntate.

Prob. 3. pars de brutis experientia, qua videmus similes motus in brutis, quos experimus in homine, scilicet *amoris, odii, timoris, iræ*, &c. non quidem prout rationi subsunt, vel adversantur, formaliter, sed secundum entitatem physicam; imò in illis aliqui ex his motibus ferociores sunt, quàm in homine, quia nullo rationis fræno coercentur, & sic toto impetu feruntur in objectum propositum, licèt per accidens aliquando in homine magis ferveant: nam, ut notat Gregorius Nyssenus, [1] *nonnunquam ipsa ratio sic brutescit, ut ab affectione erga brutam partem victa, quod est in homine præstantissimum, vi deterioris obruat: nam si quis eò mentis facultatem pertrahit, ut rationem servire morbis animi cogat, tum universa natura in aliam quasi figuram redacta eximiæ formæ in imaginem brutam fit commutatio, ratione morbos illos ipsos excolente, ac brevi de paucis magnam eorum copiam efficiente: omnem enim operam suam eis locans facit, ut ampla quædam rerum absurdarum, ac densa materies exoriatur*, &c.

Prob. 4. p. de plantis: nam, ut patet ex definitione passionis, est *motus nascens ex apprehensione boni, & mali cum aliqua cordis mutatione*; sed hæc non conveniunt plantis, quippe non sunt cognoscitivæ, id solis animalibus sensitivis, & intellectivis convenit; ergo & passiones; nec ulla ratio, vel experientia docet eas esse in plantis.

Objic. 1. contra 1. Phantasia, quæ est potentia cogno-

[1] *De hom. opific. c.* 18.

cognoscitiva, immutatur in organo suo; ergo passiones sunt in potentia cognoscitiva. Prob. ant. nam ex vehementi applicatione dolet caput ex alteratione spirituum.

Resp. neg. conf. Non enim loquimur de quibuslibet passionibus, sed de affectibus, quibus animal fertur in bonum apprehensum; ideò alterationes organi phantasiæ præcisè ut cognoscitiva est, non sunt passiones in hoc sensu.

Objic. contra 2. Multæ sunt passiones, quarum objecta percipi non possunt nisi ab intellectu; ergo illæ non possunt subjectari in appetitu sensitivo. Prob. ant. nam turpitudo peccati, quæ facit verecundiam, & pœna illi imminens, quæ timorem incutit, non percipiuntur, nisi ab intellectu.

Respondeo neg. conf. Nam licèt ea intellectu primò, & directè concipiantur; non minùs tamen commovent appetitum sensibilem, qui eadem anima informatur, imò plures agnoscunt aliqualem verecundiam naturalem in ipsis brutis, quæ intellectu carent; dico, *aliqualem*, quia cùm propria verecundia sit timor infamiæ, vel ignominiæ in detrimentum famæ, hanc non agnoscunt bruta, sicut nec propriam verecundiam: tamen *aliqualem* agnovit Aristoteles in Ansere, qui sub aquis se occultat, ut coeat; idem dicunt de Elephante; alii in pavone, qui in cauda superbiens se ostentat expansis plumis, sed amissa cauda quasi ex pudore delitescit sub arborum foliis, donec redierit pristinus decor.

Objicies 2. contra 3. citatum locum ex Gregorio Nysseno, in quo videtur amovere passiones ab homine, nisi brutescat; ergo passiones sunt motus purè animales, nec homini conveniunt, nisi secundum animalitatem, non autem secundum appetitum rationalem.

Respondeo neg. ant. Nam S. Gregor. loquitur solùm de homine penitus depravato, *qui vim omnem animæ impendit, ut expleat libidinosos affectus; indeque fit, ut voluptatis studium crescat, ut in animalibus ratione carentibus tot voluptatum formæ nullo modo deprehendantur, quot voluptuariorum hominum scelesta libido excogitavit* (verba sunt ejusdem Patris) *& animi ad iram commotio, habet illa quidem*

quidem non nihil affine cupiditati brutorum, verum maximè à rationis ope augetur.

Inst. De ratione passionis est, ut sit cum notabili commotione spirituum, ac perturbatione; sed in appetitu rationali, seu in anima illi affectus non sunt cum illa commotione, ac perturbatione; ergo in voluntate non sunt veræ passiones. Maj. patet ex ipsa definitione passionis, & ideo vocatur à Philosopho, & communiter ab omnibus *perturbationes*. Prob. min. nam licèt in voluntate sint quidam actus, seu affectus *amoris*, *odii*, *spei*, &c. similes illis, quos patitur appetitus, tamen ibi sunt pacatiores, & sine vehementi commotione.

Resp. dist. maj. De ratione passionis materialis, ut sit cum agitatione spirituum materialium, ut dicitur de *ira*, quòd sit *accensio sanguinis circa cor*, & sic de ratione passionis spiritualis, ut sit cum aliqua agitatione spirituum immaterialium, conc. maj. de ratione omnis passionis est, ut sit commotio illa spirituum materialium, neg. maj. & cons. concessa minori in hoc sensu. Igitur de ratione passionis ut sic est, ut sit cum aliqua commotione spirituum, sed in passionibus materialibus commotio fit in parte sensitiva, & in spiritualibus fit commotio in superiori parte animæ; unde in Scriptura ipsa passiones spiritualiores, & supernaturales significantur cum talibus accidentibus: ut cùm dicitur, [1] *Accendetur velut ignis zelus tuus*, & de Deo dicitur, quod [2] *tactus dolore cordis intrinsecus*, licèt Deus sit incapax omnis alterationis; non ita est de creaturis.

CONCLUSIO II.

P*Assiones reperiuntur etiam in homine sapiente, & justo*. Ita Catholici omnes contra Stoicos, & Hereticos aliquot, inter quos censetur Pelagius.

Prob. 1. ex Scrip. [3] quæ passiones tribuit sanctissimis viris, etiam Christo Domino, qui *vere languores nostros tulit, & dolores nostros ipse portavit*; easque suadet, & laudat sæpe ut dona Dei: ut cum dicebat, [4] *Gaudium meum impletum est*, & *gaudeo propter vos*. Et

[1] *Ps. 7. 5.* [2] *Gen. 6. 6.*
[3] *Isa. 3.* [4] *Jo. 3. 29. & 11.*

Et, *Turbavit seipsum*. Et, *Tristis est anima mea usque ad mortem*, ut notat August. [1] *quando turbatur, qui non turbaretur nisi volens, cum consolatur, qui turbatur & nolens*. *Percant argumenta philosophorum, qui negant in sapientem cadere perturbationes*; idem constat de charitate, quæ est *amor*, & quæ omnia *sperat*; item de *timore*, qui dicitur [2] toties *initium sapientiæ*: & certè cùm passiones in bonum vertuntur, suadentur; cùm verò in malum trahunt, dissuadentur, ut cùm dicitur, *cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas*, & è contra David [3] postulat; *auditui meo dabis gaudium, & lætitiam*. *Et, confige timore tuo carnes meas*. Item, [4] *tristitiam ne dederis animæ tuæ*: Et, *tristitiam repelle à te*. Et è contra, *cor sapientis ubi tristitia*, &c.

Confir. ex Patribus: nam August. [5] cit. & alibi docet, iustos habere has passiones; *cupiunt vitam æternam, dolent in re, gaudent in spe, metuunt peccare, cupiunt perseverare, dolent de peccatis, gaudent in operibus bonis*, &c. eas habent omnes etiam justi ex humanæ conditionis infirmitate.

Prob. 2. ex Scoto, [6] qui sic de passionibus doloris, & tristitiæ in Christo loquitur, ut eas agnoscat non solùm in sensibus, sed etiam in voluntate, *Cum in Christo ratio permansit in usu suo, & voluntas non absorta à dolore appetitus sensitivi, & intellectus per consequens intuitivè dolorem illum apprehendit, & voluntati ostendit, illa voluntas condoluit, sive quia naturaliter inclinabatur ad oppositum* (doloris, quod est gaudium) *quia inclinatio sufficit ad tristitiam de opposito* &c. item quia *voluntas necessario colligatur appetitui sensitivo, & illa colligatio fuit perfectissima in Christo*; *ergo sequitur, quod passio tristitiæ, sive doloris fuit in voluntate*, &c. ergo ex Scoto passiones non dedecent quemcumque sapientem, & justum.

Prob. 3. Nam in sapientibus non minùs reperiuntur principia, & causæ passionum; ergo nec minùs reperiuntur passiones. Prob. ant. principia actioni intrin-

[1] *Trac. 60. in Joan.*
[2] *Prov 24.* [3] *Eccl. 30.*
[4] *Eccle. 7.* [5] *14. de civit. c. 9.*
[6] *3. d. 15. q. 1. n. 10.*

intrinseca sunt cognitiones boni, & mali præsentis, vel absentis; appetitus sensitivus, & voluntas, quibus inclinantur ad bonum conveniens, & avertuntur a malo, & illis objiciuntur, & accidunt in hac vita modò mala, modò bona; ergo hominem imbutum esse necesse est gaudio, & dolore, & reliquis omnibus affectibus.

Prob. 4. Quia nisi passiones caderent in sapientes, inutiles in ejs essent virtutes morales; sed consequens est falsum, & absurdum; ergo &c. prob. maj. quia officium, & munus virtutum illarum est moderatio passionum, ut probat Scotus [1] cum Theologis communiter. *In voluntate sunt passiones secundum August. ergo si propter moderationem passionum ponenda sit virtus in supremo illius potentiæ in qua est passio, sequitur, quòd cùm in suprema parte animæ, scilicet voluntate, sint aliquæ passiones, quòd ibi ponentur virtutes*, &c.

Confir. Nam hi ipsi motus inserviunt sapientibus ab bonum, & ad fines virtutum, ac sapientiæ, & sanctitatis: quapropter *interest qualis sit voluntas hominis* (inquit S. August. [2]) *quia si perversa est, perversos habebit motus, si autem recta est, non solùm inculpabiles, sed etiam laudabiles erunt*. Et certè quid honestius, & sapiente viro dignius, quàm gaudere de bono virtutis, tristari de malis vitiorum, sperare in Deum, irasci in peccatores, misereri pauperum? 2. unde gloriatur David, quòd *zelus domus Dei comedit eum*. *Deus ingenera vit homini has commotiones, ut posset capere virtutem* (ait Damascenus) [3] *sicut terra culturam, posuitque materiam vitiorum in affectibus virtutum*; ideò dicebat Hieronymus, quòd *homo imperturbabilis aut saxum, aut Deus est*; & de Stoicis dicebat August. [4] quod & *si tantò immaniore, quantò rariore vanitate hoc in se ipsis animadverterint ut nullo prorsus erigantur, & excitentur, nullo flectantur, atque inclinentur affectu, humanitatē totam potiùs amittūt, quam veram assequantur tranquillitatem*.

Prob. 5. ex ipsis Philosophis [5] Ethnicis; nam ex Arist. virtus occupatur in moderandis passionibus reducendo eas ad medium, ne excedant, aut deficiant.

[1] 3. *d.* 33. *n.* 1. [2] 34. *de civit. c.* 6. [3] *Orat. de dua. Chr. volun.* [4] *Ep. ad Chiaziph.* [5] 2. *Ethic.*

ciant. Affectus autem vocat *cupiditatem*, *iram*, *metum*, *audaciam*, *lætitiam*, *amorem*, *odium*, *desiderium*, *æmulationem*, *misericordiam*, & universaliter illa, quæ voluptas, aut molestia sequitur, & alius dicebat, [1] *virtutem*, *esse necessariam virtuti*; *oportet virtutem*, *quæ est habitus decori*, *&* *mediocritas affectuum*, *nec sine motibus*, *nec nimis affectibus obnoxiam esse*: *nascitur enim ex affectibus virtus*, *&* *eadem rursus cum ipsis coagmentatur*, &c. Denique nulla est passio, quæ in bonum virtutis non possit inflecti.

Objic. 1. Scripturæ loca quædam, in quibus improbantur, aut prohibentur passiones; ut cùm dicitur, [2] *tristitiam ne dederis animæ tuæ*, Et, *Tristitiam repelle à te*. Et, *Tristitia sæculi mortem operatur*. Et, *Qui gaudet iniquitate non devorabitur*. Et, *Spes hypocritæ peribit*. Et, *Desine ab ira*, *&* *derelinque furorem*; ergo passiones in sapiente non sunt.

Resp. neg. conf. Nam cùm passiones de se sint indifferentes, possunt in malum converti, & servire vitiis, & ut tales prohibentur, & damnantur; sicut cùm serviunt virtuti, laudantur, & suadentur.

Objic. 2. Passiones sunt perturbationes animæ, & dicuntur morbi, & ægritudines; sed in sapiente nihil est perturbatum, nec inordinatum; ergo non subjacet passionibus.

Resp. dist. maj. Dicuntur perturbationes, & morbi animæ, quando non sunt moderatæ, conc. maj. quando sunt moderatæ, neg. maj. & conf. nam in sapiente sunt moderatæ ad lances, & regulas virtutis; & ideò virtuosæ, ac laudabiles sunt.

Inst. Passiones inducunt ad peccatum, & sunt peccata concupiscentiæ; juxta illud, *Omne*, *quod in mundo est*, *aut concupiscentia carnis est*, *aut concupiscentia oculorum*, &c. ergo passiones indignæ sunt sapiente.

Resp. eodem modo, id verum esse de immoderatis cupiditatibus, non verò de moderatis.

Objic. 3. Quod non est in potestate nostra, non est laudabile, nec dignum sapiente; sed passiones non sunt in potestate nostra; ergo non sunt laudabiles, nec sapiente dignæ.

Resp.

[1] *Theo. gol. l. virtu.* [2] *Eccle.* 30.

Resp. dist. min. passiones non sunt in potestate nostra immediatè, & directè, conc. min. mediatè, & indirectè, neg. min. nam, ut notat Doctor cit. passiones considerari possunt ut existentes, aut ut futuræ; existentes moderari possunt, vel minuendo, ne in excessum abeant, aut referendo in finem virtutis, ad quem non referuntur ex ratione absoluta objecti; futuræ autem vel fugiendo objectum, quod natum est delectare potentiam immoderatè, vel assumendo sola objecta, quæ nata sunt moderatè delectare.

Quæri posset de præcipua sede talium passionum, & præcipuè materialium; sed cùm istæ resideant in appetitu sensitivo, eandem sedem habent, & ideò patet ex dictis in tract. de anima.

QUÆSTIO III.

De causis passionum.

JAm vidimus de causa subjectiva, & materiali, diximusque illas reperiri nō in intellectu, nec in potentia cognoscitiva, sed in appetitu sensitivo tam humano, quam animali, & in voluntate, & in hominibus sapientibus, & justis. Vidimus etiam de causa formali, cum diximus, eas consistere formaliter non in operatione aliqua sensuum, vel appetitus, aut voluntatis, sed in perpessione, seu qualitate recepta in illis subjectis.

Causa finalis non est quærenda extra mentem divinam, & providentiam ejus; de qua re Lactantius sic scribit. *Deus cum primum hominem fingeret, mirabili providentia ingeneravit ei priùs istas animi commotiones, ut posset capere virtutem, sicut terra culturam; posuitque materiam vitiorum in affectibus, virtutis in vitiis, quæ profectò aut nulla erit, aut in usu esse non poterit, si desint ea, per quæ vis ejus aut appareat, aut consistat.* Vides finem passionum esse ut inserviant virtutibus, sintque illis velut semina, seu materia. Adde conservationem animalis; nam per passiones movetur ad prosecutionem boni convenientis, & fugam mali disconvenientis. Restat agendum de causa efficiente.

Certum est quidem, quod cùm passiones sint for-

mæ quædam vitales, quæ saltem comitantur inseparabiliter operationes sensuum, & animæ, illasque aut præcedunt, aut comitantur, aut sequuntur, iidem sensus, & appetitus tum sensitivi, tum rationalis aliqualem habent circa passiones efficientiam; sed cùm tanta sit in similis speciei viventibus earum diversitas, oportet quærere causam illam, & certum est eam non esse unam, eandemque in omnibus; v. g. certum est non esse animam nec sensitivam, nec rationalem; quia cùm ista sit ejusdem prorsus rationis in omnibus hominibus, illa verò in omnibus singularum specierum animalibus, v. g. equina in omnibus equis, bovina in omnibus bobus, leonina in omnibus leonibus, &c. causaret easdem omninò passiones in omnibus hominibus tam senibus, quàm pueris, & viris, easdem in omnibus equis, easdem in omnibus bobus, &c. quod est contra omnem experientiam. Siquidem certum est 2. quòd idem homo in diversis ætatibus ad diversas inclinatur passiones, sic & diversi homines ejusdem ætatis, unus ad iram promptissimus, & ad minimam occasionem effervescit, alter ad iram tardus, ac prope rigens, sed aliunde timidissimus, & omni arboris folio versabilior; omnia illi suspecta, nihil securum, semper anceps, & dubius hæret; alius gaudii, ac lætitiæ avidissimus, eamque passionem facillimè, & undique captat: alius perpetuo mœrore languet, &c. Hæc, inquam, diversitas ab anima peti non potest, cum in diversis hominibus non sit diversa, sed purè distinctá individualiter, imo est eadem numero in puero, juvene, viro, & sene.

CONCLUSIO I.

Passiones causantur in appetitu ab objecto prout cognito secundùm convenientiam, aut disconvenientiam, aut circumstantias facilitatis, aut difficultatis. Sequitur ex dictis supra de illarum quidditate, quòd scilicet non consistant in operatione, sed in perpassione; nam inde sequitur, eas non effici ab appetitu, in quo sunt.

Prob. 1. ex Scoto [1] jam adducto, qui delectationem

[1] 3. *d.* 15. *B. n.* 9.

nem dicit causari per qualitatem absolutam objecti, secundum quam fundat relationem convenientiæ ad appetitum, & quæ illi applicatur per cognitionem, velut per approximationem, *Hoc absolutum* (ut visus) *inclinatur ad aliquid, ut ad extrinsecum perfectivum* (v. g. ad album, seu pulchrum) *ut visibile; & tunc relatio terminantis relationem inclinati ad inclinans dicitur convenientia* (idem est de disconvenientia respectu aversionis ad causandam tristitiam) *hunc autem respectum fundatum in absolutis*, (in objecto, & in appetitu) *sequitur, quod illud, quod inclinatur* (appetitus) *recipiat à perfectivo illo, ad quod inclinatur* (ab objecto) *aliquam perfectionem, quæ perfectio dicitur delectatio; quæ quia non est in potestate passivi in præsentia agentis dicitur esse passio, licèt sit vere qualitas, & non de genere passionis ut est prædicamentum*, &c. ergo passio præcipuè causatur efficienter ab objecto in appetitu sensitivo, vel rationali mediante cognitione, quæ se habet velut approximatio.

Confir. per definitionem passionum ex Damasceno; Passio est *motus virtutis appetitivæ sensibilis in imaginatione boni, & mali; in imaginatione boni, & mali ponitur ut causa, quia illud absolutum, quod est bonum, vel malum, quod dicitur conveniens, vel disconveniens est causa hujus passionis; imaginatio verò, id est sensatio in communi est quasi approximatio agentis ad passum*, &c.

Confir. 2. [1] *Dilectio est in voluntate, & à voluntate, delectatio autem est in voluntate, sed non à voluntate, sed potius ab objecto*. Prob. quia odium, & tristitia non sunt ambo à voluntate; ergo nec dilectio, & delectatio sunt à voluntate. Prob. ant. si tristitia esset à voluntate, sicut odium, voluntas sibi complaceret in illa, sicut in isto: *voluntas enim sibi complacet in actu proprio ab ipsa libere causato tanquam convenienti, non autem sibi complacet in tristitia, imo est voluntati contraria; quilibet invitè tristatur, complacet autem sibi in odio*; ergo tristitia tantùm causatur ab objecto, non à voluntate, &c. eadem est ratio de aliis.

Prob. 2. quia, ex Philosopho; delectatio sequitur in

[1] *q. 11. de An. n. 7.*

in appetitu ad operationem intellectus, aut sensus perceptivi, & contemplatio causat delectationem, eaque operatio est jucundissima, & perfectissima ex parte objecti, ad quod potentia cognitiva magis inclinatur tanquam perfectius sub suo objecto contentum; ergo ex Phil. delectatio provenit ab objecto intelligibili, aut sensibili, pro ut est sub intellectu, vel sensu.

Prob. 3. quia si passio aliam haberet causam efficientem, maximè actum voluntatis; sed hanc non habet; ergo est à solo objecto ut cognito. Prob. min. delectatio potest esse in voluntate antecedenter ad omnem actum elicitum ejus, saltem circa tale objectum; ergo actus elicitus voluntatis non est causa efficiens delectationis; ergo nec aliarum passionum; est enim eadem ratio aliarum. Prob. ant. 1. ex August. qui ponit gratiam vocationis, & prævenientem in quadam delectatione victrice, qua opus legis redditur jucundius, quàm ea omnia, quæ concupiscentia suggerit, ut retrahat ab illis, & per gratiam fit dulce, quod antea erat amarum; sed hæc gratia prævenit omnem operationem intellectus; nam fit in nobis sine nobis; ergo delectatio quandoque prævenit omnem actum voluntatis. 2. prob. idem ant. quia timor, qui est passio, & species tristitiæ quandoque antecedit omnem nolitionem elicitam objecti; ergo tunc timor ille non procedit ab actu voluntatis elicito. Prob. ant. ex Concil. Tridentino [1] docente, quod homines *se intelligentes peccatores a timore justitiæ divinæ concutiuntur, in spem eriguntur, & Deum incipiunt diligere*, &c. & quòd [2] *timor gehennæ inducit ad pœnitentiam, quæ dicitur attritio*; ergo potiùs timor est tunc causa actuum voluntatis, scilicet spei, amoris, & pœnitentiæ, quàm è contra. 3. si actus voluntatis elicitus causaret passionem, v. g. delectationem, id faceret per modum objecti, & sic habetur intentum; vel per modum actus, quod gratis diceretur, & sine ulla necessitate.

Denique patet ex Doctoribus communiter, & experientia quotidiana causari ex objectis passiones subreptitias non solùm antecedenter ad consensum voluntatis, sed etiam contra ejus voluntatem, scilicet ex

[1] *Sess.6.cap.6.* [2] *Sess.cap.14.*

ex fomite concupiscentiæ, quæ ex peccato est, & ad peccatum inclinat; & hoc modo voluntas quamvis reluctans patitur delectationem; ut patet in fœmina violenter corrupta, patet etiam in doloribus, & voluptatibus vehementissimis, quæ impediunt usum rationis. *Delectatio sensibilis furatur intellectum etiam sapientissimis sæpissimè.* inquit Phil. [1]

Objic. 1. Non potest objectum causare passionem, nisi ut volitum, vel nolitum; ergo volitio, vel nolitio est causa efficiens passionum. Prob. ant. 1. ex Scoto. [2] *Tristitia in voluntate causari non potest naturaliter, nisi à duabus causis concurrentibus, scilicet ex actuali nolitione alicujus existentiæ, & actuali apprehensione illius existentiæ, & istæ duæ causæ quandocumque concurrunt, quantum est ex se, causant tristitiam sicut effectum naturaliter consequentem, & ex quo tristitia sequitur ut effectus naturalis actualem nolitionem alicujus, & considerationem actualem ipsius noliti*, &c. & 2. quia sine aliqua operatione voluntatis circa objectum non erit illi conveniens, aut disconveniens; ergo non delectabit, nec tristabit eam.

Resp. neg. ant. nam sufficit; quòd objectum proponatur voluntati, vel sensui ut conveniens, ut illud causet passionem concupiscitivam, vel disconveniens, ut causet passionem aversativam, &c. unde si objectum sit per se conveniens, vel disconveniens independenter ab omni actu elicito appetitionis, vel aversionis, sufficienter causabit passionem; si verò de se sit indifferens, vel non adeo per se malum, aut bonum, tunc debebit præcedere aliquis actus appetitionis, vel aversionis, aut saltem comitari passionem, sed semper ille actus appetitus se tenebit ex parte objecti, reddens illud tristabile, vel delectabile; & sic patet ad prob. ex Scoto, & ex ratione, fatemur enim, tristitiam verbi gratia consequi apprehensionem eventus alicujus objecti noliti, sed illa nolitio non debet semper esse actualis; sufficit habitualis; sufficit, quòd appetitus, aut voluntas naturaliter, vel habitualiter inclinetur, aut aversetur illud objectum.

Confir. hoc ex textu allegato, ubi relationes convenientiæ, vel disconvenientiæ fundantur in inclina-

[1] 7. Ethic. 9. [2] 4. d. 14. q. 1. P.

tione, vel aversione ad formam, ad quam appetitus est in potentia passiva, ut exemplificat de visu, & colore, seu pulchro: inclinatio naturalis visus ad pulchrum, & proportio pulchri ad visum fundant relationem mutuam inclinantis ad inclinatum, quæ dicitur convenientia: & hæc relatio non est causa, sed conditio *sine qua non* passionis, quæ dicitur delectatio: nec alia est ratio, quare visus inclinatur sic ad album, nisi quia talis visus est talis naturæ, & album, talis, &c. vides ibi nullum intervenire actum elicitum appetitus; quo appetat visionem albi, sed puram inclinationem habitualem, seu naturalem. Non ita est de tristitia, & dolore, quem ignis causat in damnatis; quia enim ignis non est ita de se disconveniens objectivè, non causaret illis tristitiam, nisi haberent intensissimam nolitionem ejus; sed illa nolitio perficit rationem objecti talis tristitiæ, & doloris, adeo ut ignis ut nolitus se habeat ut causa efficiens talis passionis.

Dixi, *ab objecto ut cognito*; quia objectum non causat passiones nisi ut cognitum, & cognitio est conditio *sine qua non*, est applicatio causæ, seu agentis ad passum; & sicut debet apprehendi objectum secundum convenientiam, ut ametur, & secundum disconvenientiam, ut odiatur, ita debet cognosci secundum possibilitatem, aut facilitatem, aut difficultatem, vel impossibilitatem, ut speretur, vel desperetur, vel timeatur ejus acquisitio, &c.

CONCLUSIO II.

PRæter eam causam extrinsecam efficientem passionum, dantur aliæ intrinsecæ; videlicet diversa temperamenta, per quæ fit, ut passiones faciliùs, aut difficiliùs excitentur, ad quod etiam conferunt astra, & habitus. Est communis.

Prob. 1. ex dictis, quia experientia docet quosdam homines esse ad aliquas passiones pronos, alios ad alias; unde legimus, quòd sicut non sunt similes facies faciebus, ita neque corda hominum; sed hoc non potest venire aliunde, quàm ex diversis temperamentis, vel influentiis cœlestibus, vel habitibus; ergo ita est. Prob. min. non enim 1. ex objectis; quia experimur

rimur eam diversitatem circa eadem objecta; quæ plus, aut minùs movent homines; imò & diversos motus in eis excitant, v. g. aliis iram, aliis indignationem, aliis risum, aliis invidiam, aliis commiserationem faciunt. 2. non ab anima, quæ est ejusdem prorsus speciei in singulis; & licèt admitteretur aliqua in animabus inæqualitas, hæc non causaret diversitatem specificam motuum, sed tantùm majorem, aut minorem perfectionem in exercitio actuum; ergo nulla alia causa commodius assignari potest hujus variæ proclivitatis, quàm temperamentum, saltem quoad maximam partem.

Igitur quia homo hanc, vel illam corporis temperiem contrahit sive ex parentibus, sive ex nativitate, & matris utero, ex lacte, alimentis, aut victus ratione, ex aere, astrorum influxu, aliisque causis extrinsecis, ideò variam pronitatem ad hos, vel illos affectus nanciscitur. Qui sunt temperamenti *biliosi*, ignei, & calidioris, & siccioris, facilius irascuntur; *sanguinei* proniores sunt ad lætitiam, & benignitatem: *flegmatici*, & humidiores, sunt timidiores, & pusillanimiores; *melancholici* inclinant ad tristitiam; & hæ quidem sunt causæ internæ physicæ. Vide Galenum in opusculo, *quod animi mores corporis temperamentum sequantur*. Et Plato dixit, quòd *animæ sequuntur corpora, non quidem si ad spiritum liberum fiat aspectus, sed quadam inclinatione, prout corpus ipsum subministrat animæ tanquam instrumentum*; inquit Gerson: *constat enim, quod ad instrumentorum varietatem consurgit in operationibus major facilitas, & difficultas; sic erit suo modo de varia complexione membrorum, & de his, quæ membris ipsis subserviunt, ut sunt corporei spiritus tam radicales, quàm fluentes, & sanguis, qui est communis materia tam membrorum, quàm spirituum.*

Hinc est, quod, juxta medicorum traditionem, sanguis subtilis, & clarus in substantia, & temperatus in qualitatibus disponit ad gaudium, & conjunctos gaudio affectus, scilicet amorem, & alios; ideò sanguinei inclinatione sunt læti, amantes, pii, benigni, liberales, faciles ad risum, proni ad venerem magis, aut minùs secundum quantitatem talis sanguinis, qui generat spiritus splendidos, & tempera-

 tos;

ros; sanguis, inquam, clarus, & subtilis dominante calore, cujus signum est rubeus color in cute; sed rubor fuscus, qualis est vini generosi, disponit ad velocissimam iram, cùm sit facilis inflammatu, sed est parum durabilis, quia subtilia, & tenuia facile dissolvuntur. Inclinat etiam ad audaciam, honorum appetentiam, arrogantiam, temeritatem, garrulitatem, vigilantiam, & impetum in rebus agendis; si verò sanguis sit subtilis, & clarus, sed frigidus propter dominium flegmatis aquei, inclinat ad timiditatem, seu pusillanimitatem: quia spiritus à tali sanguine generati sunt modici, graves, & parum inflammabiles propter frigiditatem, & humiditatem; ideò tales parum sunt læti, iracundi, & minùs audaces; tales etiam sunt somnolenti, torpentes, honoris contemptores, &c. Sanguis crassior, & calidus, si ad nigredinem vergat, sitque subobscurus, seu turbidus, qualem significat calor adustus, inclinat ad tristitiam, seu melancholiam propter obscuritatem spirituum, & ad iram propter calorem, & adustionem; & talis ira pertinax, & fixa est propter crassitiem, in qua tardiùs delentur impressiones, & difficiliùs dissolvuntur illi spiritus atri: sunt etiam obstinati, & pertinaces in proposito propter spissitudinem immixtam cholerae.

Sanguis crassus, & calidus (si non sit turbidus, quia cor est temperatum, & hepar calidum, & siccum, sed prædominatur siccitas, ut accidit iis, quorum sanguis præ violentia exercitii calefit, & incrassatur citra adustionem, & nigredinem) facit audaces, seu fortes, & animosos, & proniores ad lætitiam, quàm ad tristitiam, nisi vehementius excitetur ira; tunc enim tenaciùs hæret propter crassitiem spirituũ.

Sanguis crassus, & frigidus, modò non sit turbidus, qualis est in habentibus cor temperatum, & hepar frigidum, & siccum, ut in senibus, reddit hominem tardum ad omnes motus, est tamen constans in proposito, & tenax propter crassitiem, & siccitatem spirituum; quòd si talis sanguis fuerit turbidus, qualis est cùm hepar est æqualiter siccum, & frigidum, aut frigidius, inclinat ad celerem, tenacemque tristitiam, & ad lentam iram, nisi excitetur vehementi aliqua causa; quia tunc pertinacior est,

&

& transit in odium, & rancorem.

Adde eas nobiliter intendi, aut minui per virtutem imaginativam, quæ habet vim regendi, & immutandi corpora: unde species, & repræsentatio ignis causat calorem in sanguine, & spiritibus; imaginatio aquæ, aut nivis frigiditatem; imaginatio rei turpis ad turpia movet, ut patet in dormientibus, qui exercent opera vigilantium, & in maniacis, seu melancholicis, qui putant se videre exteriùs, quæ non nisi in imaginatione interna fingunt, & ideò semper tristes, & cogitabundi incedunt, eòque aliquando perveniunt, ut seipsos credant esse, quod somniant; ille se putat regem, ille canem, ille lupum, ille corvum, & quidem sic Nabuchodonosorem divinitùs se bovem putasse, & ut talem in campos abiisse inter feras dicunt nonnulli. Porrò per spiritus splendidos intelligit puritatem sanguinis, & spirituum ex eo genitorum, semota omni fœculentia, & terrestreitate sanguinem inficiente.

Harum autem complexionum, & per consequens inclinationum signa plurima indicant physionomistæ, & maximè colligunt ex coloribus post Arist. ex quo hæc colligit Fontanus. [1] Nam *viridi quidem caliditatem, sanguinisque exuberantiam, qui verò simul ex albo, & rubro conflantur, si modo corpori levi insint, indolem bonam significant, quemadmodum nigri sunt timidi, quod tribuitur Ægyptiis potissimum, qui incolunt Æthyopiam, albi verò, plusquam rationi conveniat, etiam timidi, quod ad mulieres refertur, qui ad fortitudinem ducit, color inter hos medius sit oportet. Qui flavo sunt colore, magnanimi, ut leones, qui verò fulvo, plusquam rationi conveniat, execrandi, atque exitiosi, quod vertitur vulpibus. Qui pallidi, ac perturbati ipso colore videntur timidi referuntur ad ipsam perturbationem, quæ nascitur ex timore, qui subvirides ipso colore sunt, iidem sunt præfrigerati, refrigerata autem omnia ineptissima sunt ad motum; quo fit, ut subvirides, sive refrigerati corporis actionibus sint admodum pigri; quibus color rubeus est, celeres sunt ad actiones, quandoquidem omnes corporis partes ob vehementem motum erubescunt, quibus color inflammatus, & igneus est, insani, omnes siquidem* par-

[1] *l. de physio. Arist. c.* 10.

partes corporis si impendio calidiores reddantur, flammeum calorem acquirunt, qui verò ad extremum calefactionis perveniunt, merito furiosi dicuntur. Alia propensionum signa ex variarum corporis partium coloribus apud eundem Arist. habes.

Objic. Temperamenti corporei qualitates sunt materiales, & passiones voluntatis sunt spirituales, ergo passiones voluntatis non possunt causari à temperamento. Prob. cons. nam corporale non agit in spiritum.

Resp. neg. cons. & dist. prob. non agit directè, conc. indirectè, neg. quia enim anima nostra licèt spiritualis informat corpus, & virtualiter est sensitiva, nec agit in corpore, nisi dependenter à sensibus, ideò ejus operationes, & inclinationes sequuntur appetitum sensitivum. Id probat D. Paulus dicens, *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*. Ideò notat Scotus, (1) appetitum sensitivum causare in voluntate naturaliter aliquos motus, & delectationes subreptitias, quæ in ea præcedunt omnem actum liberum ejus. *Illud dixerim divinum esse vinculum, quod colligat ea, quæ plurimum inter sed distant, & communionem, ac societatem quandam esse animæ incorporeæ cum corporea, & indicibilem esse consensionem, atque affectionem mutuam inter immortalem substantiam, & mortale instrumentum*, ait Isidorus Pelusiota. (2)

Ad temperamentorum verò differentias, & aliquo modo ad diversas eas propensiones non parum conferunt, primò sanguis parentum in generatione acceptus; ideò sæpè iisdem affectibus imbuuntur pueri, quibus indulserunt parentes; & sicut ex hominibus homo, ita ex bestiis nascitur bestia; sic ex bonis parentibus bona proles; *Non ex squilla nascitur rosa, aut hyacinthus, sed neque ex ancilla filius ingenuus*; &, ut poeta [3] canit, *Fortes creantur fortibus, & bonis: est in juvencis, est in equis patrum virtus; nec imbellem feroces progenerat aquilæ columbam*. Hinc proverbium, *Mali corvi malum ovum*; & ordinariè qualis ager, talia semina, & quales flores, tales & tincturæ, &c. Et licèt utriusque parentis passiones, & mo-

[1] 3. *d.* 15. *F. n.* 15. [2] *l.* 4. *Ep.* 125.
[3] *Theognis.*

mores vigeant in prole, sicut ambo ad ejus temperiem concurrunt, & conferunt de suo, tamen paternam activitatem multò efficaciorem, ut liberi correspondeant patri, docet Chrysostomus. (1)

2. Facit membrorum configuratio secundum quantitatem, & qualitatem, & maximè cordis. *Discrimina cordis, quæ amplitudine, exiguitate, duritie, mollitie existunt, ad mores pertinent aliquatenus*, ait Aristoteles, [2] *quæ enim sensu hebeti sunt, cor habent durum, & spissum; quæ autem sensu valent, mollius, pavida autem sunt, quibus cor grandius: audentiora, fidentioraque, quibus minus, aut mediocre, quoniam calorem proportione cordis non habent, sed parum caloris in magno conceptabulo exolescit, & ita sanguis frigidior fit, cor magnum proportione lepori, cervo, muri, hyenæ, asino, panteræ, mustelæ*, &c. Inde colligitur, non omninò vanam esse physionomiæ peritiam; nam corpus esse quandam animæ imaginem dicebat Sextus[3] Philosophus, & Arist. in libro suo de physionomia latè prosequitur indicia morum ex colore, vel conformatione partium corporis. *Non frustra doctissimi viri dicunt, naturam ipsam magnis mentibus domicilia corporum digna metari, & ex vultu hominis, ac decore membrorum colligi posse quantum ille spiritus cœlestis intrarit habitator. Ideò mos Pythagores erat per signa in corpore constituta venientes judicare, utrum ad meliorem vitam apti forent, ne cne, natura enim ipsa, quæ animis confingit corpora, instrumenta eis corpora subministrat, imaginesque animarum in corporibus indicat, per quas & animarum ingenia in hac arte periti deprehendere possint.* Hæc autem indicia reducuntur ad temperiem, quia singulis temperamentis talis conformatio partium congruit.

3. Facit etiam assuefactio, quæ non mediocriter inclinat ad passiones per habitum facilitativum, quo promptior redditur potentia ad actus similes. Unde Pelagius scribebat, *Consuetudo est, quæ aut virtutes, aut vitia alit, quæque in his plurimum valet, cum quibus ab ineunte ætate simul creverit, consuetudo fit altera natura. Nam quod partum fuerit diuturna ex-*

[1] *Hom. 45. in Matth.* [2] *3. de par. animal. c. 4.*
[3] *Prolus. in Alcib. Plat.*

exercitatione videtur internum, atque innatum. *Praeterea ex frequentatione unius actus mutatur judicium de alterius bonitate, aut malitia,* & *ut non intelligamus mala nostra usus facit malorum*, ajebat S. Euch. [1] *habet hoc infelix consuetudo peccandi, ut quantò amplius quisque deliquerit, tantò minùs ipsa delicta cognoscat.* Denique quia passiones excitant in nobis sibi conveniens temperamentum. Nam, qui saepe irascuntur, evadunt iracundi, ita ut ignescentibus per iram humoribus, difficiliùs iram coerceant, sintque ad eam proniores, quàm essent ante laxatas primùm irae habenas.

4. Inter externa, & remota passionum irritamenta recenseri possunt cibi, & potus, pharmaca, quorum non exigua vis est tùm ad temperamenti, tùm ad passionum varietatem. Alimenta enim, & potus transeunt in alitorum naturam; quod, ut docet Aristot. (2) maxime accidit ex lacte, quod sugunt ex uberibus pueri: ideò notat Cardanus [3] felem canis lacte nutritum minùs agrestem, & infidum evasisse; ideò solent pueris eligi nutrices optimae, quantùm fieri potest. *Non frustra creditum est, sicut valet ad fingendas corporis, & animi similitudines vis, & natura seminis, non secus ad eandem rem lactis quoque ingenia, & proprietates valere, neque in hominibus id solum, sed in pecudibus quoque animadversum: nam si ovium lacte hoedi, aut caprarum agni alantur, constat fermè in his lanam duriorem, in illis capillum gigni tenuiorem* (quod notabamus de fele, & cane) & id probat de arboribus, & plantis, quae qualitates soli induunt. De vino scribit Arist. [4] quod *immodicum tales maximè homines reddere videtur, quales melancholicos esse affirmamus; moresque varios id condit, cum bibitur; & iracundos, humanos, misericordes, audaces efficit quorum nihil mel, aut aqua, aut lac, aut hujusmodi efficere potest:* & gradatim procedens dicit, quòd *virum frigidum, & taciturnum liberaliori poculo refovet, excitatque ad verba; tum largiori potu verborum uberem, eloquentem, fidentemque facit; po tatione ampliori audacem, propensumque ad agendum facit; plenius amplificatum in contumeliam, & petulantiam*

[1] *Hom. ad plebem.* [2] *2. de par. anim. c. 4.*
[3] *Favorin.* [4] *30. proble. q. 1.*

tiam vertit; mox ad insaniam propemodum accendit, postremo nimio potu resolvit, stultumque agit in modum eorum, qui a pueris morbo laborant comitiali, &c.

5. Quantùm ad pharmaca, certum est aliqua purgare cerebrum, & aliqua offuscare; & sic redditu aptius, aut tardius ad functiones. Carneades disputaturus caput elleboro purgabat; alii amatoria potabant, &c.

6. Aeris, & solis qualitates: unde nationum diversi mores notantur, *Quædam gentes formatæ sunt, ut propria sint morum unitate conspicuæ* [inquit Firmius] [1] *Scythæ immani feritatis crudelitate grassantur: Itali fiunt regali semper nobilitate præfulgidi: leves Græci, avari Syri, Afri subdoli, acuti Siculi, luxuriosi Asiatici, & occupati voluptatibus, Hispani elata jactantia, animositate præposteri*, &c. verè ne, an falsò ipse viderit. Unde Hippocrates: *Quidam ingenio, & natura sunt montanis, sylvosis, & asperis locis similes, aliorum verò natura, & ingenium prata, paludes, & campos referunt*.

7. Cœlestes influxus; nam cùm Cœli influant non parum in hæc inferiora, multum ab illis dependent homines in naturalibus; licèt, ut alibi diximus, nullam vim inferant humanæ libertati; ideò circa humanos mores possunt influere mediantibus humoribus; sed, ut monet Sanctus Cyrillus, [2] *In his Astrologica observatio crimen est Græcorum stupiditatis, ludusque puerilis, & vana dementia, nihilque aliud*; fatendum tamen, illas influentias aliquid tribuere humanis propensionibus. Unde observatur, quòd Jove dominante homo fit lætus, honestus, & liberalis: sub Mercurio fit audax, vigil, & mobilis, &c.

8. Inter causas extrinsecas, & morales non parum faciunt colloquia, & exempla; ideò fert proverbium receptissimum etiam in Scriptura: *Corrumpunt bonos mores colloquia mala*; &, ut scribit S. Basilius, [3] *noxiæ sunt amicitiæ, quæ cum malitia contrahuntur, nam ea amicitiæ hujus lex, & vis, ut per similitudinem malitiam cunctis indat: quamobrem rectè Apostolus dicit, corrumpunt bonos mores colloquia prava quemadmodum enim in pestilentibus locis sensim attractus*

[1] 1. *Astronom.* [2] *l. de Astronom. c.* 1.
[3] *Hom. quod Deus non sit aut. mali.*

ctus aer latentem corporibus morbum injicit, sic item ex prava consuetudine, ac conversatione maxima nobis mala oriuntur, etiam si statim incommodum non sentiatur, quod maximè pro junioribus est advertendum, nam, ut docet S. Hieron. (1) *Difficulter eraditur, quod rudes animi perbiberunt, lavarunt conchylia, quis in pristinum candorem revocet? Recens testa diu & saporem retinet, & odorem, quò primum imbuta est, proclivis est malorum æmulatio, & quorum virtutes assequi nequeas, citò imitaris vitia.*

9. Denique non parum valent concentus, & musica ad movendos, vel sedandos affectus; *Tristitiam noxiam jucundat*, ait Cassiodorus, [2] *tumidos furores attenuat, cruentam sævitiam efficit, blandam excitat ignaviam, soporantemque languorem: vigilantibus reddit saluberrimam quietem: vitiatam turpi amore ad honestam revocat castitatem, sanat mentis tædium bonis cogitationibus semper adversum, perniciosa odia convertit ad auxiliatricem gratiam, & quod beatum curationis genus est, per dulcissimas voluptates expellit animi passiones. Incorpoream animam corporaliter mulcet; & solo auditu, ad quod vult, deducit, quam tenere non prævalet verbo tacito; manibus clamat, sine ore loquitur, & per insensibilium obsequium prævalet sensuum exercere dominatum; hoc totum inter homines quinque tonis agitur. Dorius pudicitiæ largitor, & castitatis effector est. Phrygius pugnas excitat, & votum furoris inflammat. Aeolius animi tempestates tranquillat, somnumque pacatis attribuit. Jastius intellectum obtusis acuit, & desiderio gravatis cœlestium appetentiam bonorum operator indulget. Lydius contra nimias curas, animæque tædia repertus remissione reparat, & oblectatione corroborat.*

Id patet ex instrumentis, quibus animos ad bellandum concitant imperatores exercituum, nam inquit S. Clemens Alex.(3) *Si quis curiosius inquirat, inveniet instrumenta bellica ad cupiditates inflammantia, vel amores incendentia, vel animum, iramque irritantia, in bellis itaque suis tuba utuntur Etrusci, fistula Arcades, Siculi autem instrumentis, quæ appellant pectidas, Cretenses lyra, Lacedæmonii tibia, cornu Thraces, tympano Ægyptii, & Arabes Cymbalo.*

Pro-

[1] Ep. 7. [2] l. 7. Ep. 40. [3] 2. Pædag. c. 4.

Profanos cantus severè prohibent SS.Patres [1] morum Christianorum magistri: *Hoc enim musicæ genus servitutis, & ignobilitatis fructus parere, præterea libidinum stimulos acuere solet, alia nobis musica longè melior existit, & ad meliora nos excitans sequenda. David sacrorum canticorum Poeta cithara ex insania Saulem liberavit. Dicitur etiam Pythagoras in Ebrios olim incidens jussisse tibicem convivio luxurioso præsidentem mutare harmoniam, ac Dorion ipsis canere, atque hoc modo melodiæ illos ad sobrietatem reduxisse, qui ejectis de capite coronis sane omnes erubuere: cæteri verò ad tibiam Corybantum modo, ac debacchantium versantur. Tanta sanè melodiæ rectæ differentia à turpi, atque obscæna est, ut eam, quæ nunc in usu est, non minùs fugere debeatis, quàm rem aliquam turpissimam.*

Habes ergo de causis passionum tam efficientibus, quam formalibus, materialibus, & finali.

QUÆSTIO IV.

De ordine generationis, & dignitatis passionum.

ORdo alius est *naturæ*, seu *generationis*, quo comparantur passiones inter se secundum prioritatem, & posterioritatem originis, alius *dignitatis*, quo comparantur secundum præcellentiam. Rursus utraque comparatio fit vel inter concupiscitivas, & irascitivas, vel inter singulas secundum se, & præcisè ab earum subjectis; & quidem quæstio procedit de passionibus, spectata earum coditione naturali ex objectis, in quæ feruntur; nec enim dubium est, quin per accidens possint modò irascitivæ, modo concupiscitivæ priùs excitari, & inter illas modo unam, modò aliam præire, v. g. si 1. proponitur objectum ut arduum, ac difficile obtentu, vel vitatu, 2. etiam concitantur irascitivæ: item certum est, hominem pro liberi arbitrii nutu modo ad unam, modo ad aliam posse excitari, secundum quod volet considerare objecta. Loquimur ergo de illarum ordine naturali.

CON-

[1] *S. Basil. cit.*

CONCLUSIO I.

ORdine *natura præcedunt concupiscitivæ: atque etiam præcellunt irascitivis*. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui docet, quòd *concupiscibile respicit illud, quod ex se natum est esse conveniens, vel disconveniens, ita quod nullo alio posita circa ipsum, nisi sola apprehensione facta, natus est sequi actus delectandi, vel tristandi, sive prosequendi, vel fugiendi, quantum est ex parte ejus: talia autem non respicit irascibilis. Irascibile igitur est circa non primo convenientia, vel non 1. disconvenientia*. Hinc formatur sic argumentum; Illæ passiones sunt priores natura, seu origine, quarum objecta sunt priora secundum se: sed objecta passionum concupiscitivarum sunt priora secundum se objectis irascitivarum: ergo & passiones ipsæ cōcupiscitivæ. Prob.min.quæ sunt bona, seu convenientia simpliciter sunt priora iis, quæ non sunt convenientia, vel disconvenientia, nisi secundum quid, & secundariò: sed talia sunt objecta concupiscitivarum respectu irascitivarum: ergo illarum objecta sunt priora istis. Prob. min. objecta concupiscitivarum sunt bona, aut mala secundum se ut talia, irascibilium autem sunt bona, ut obtentu, vel vitatu difficilia.

Prob. 2. Prioritas naturæ est in illis, quæ priùs nascuntur: sed passiones concupiscitivæ prius nascuntur: ergo sunt natura priores. Prob. min. quia sicut appetitus irascibilis est propter concupiscibilem, ita passiones istius propter illas: nam irascitivæ excitantur, quia impediuntur, vel retardantur fines, & objecta concupiscitivarum, & appetitus irascibilis est propugnator concupiscibilis. Ideò canis irascitur, & insurgit in alium, quia aufert, aut retinet illi cibum concupitum.

Confir. Nam sicut prius est rem simpliciter cognosci ab intellectu, quàm à voluntate amari, vel odiri: ita priùs est voluntatem simpliciter amare, vel odisse, quàm sperare, vel desperare boni consecutionem, aut vitationem mali: non enim speramus id, quod non cupimus, saltem simplici complacentia.

Hinc probata manet 2. pars: nam nobilitas princi-

pa-

[1] 3. *d.* 34. *F. n.* 10.

palis passionum, sicut & actuum petitur ex objectis: sed objecta concupiscibilium sunt nobiliora; ergo & passiones earum. Prob. min objecta concupiscitivarum sunt primariò, & per se convenientia, vel disconvenientia, & concupiscibilia; vel fugibilia; objecta verò irascitivarum sunt tantùm secundariò, & secundum quid talia, scilicet propter arduitatem, ut patet ex 2. arg. sed quod est propter aliud est ignobilius eo, propter quod est, & cui inservit; finis ut finis præcellit mediis; item prima passio concupiscitiva, scilicet *amor*, præcedit irascitivam, scilicet *spem*, ut mox patebit; ergo concupiscitivæ præstant aliis.

Objic. 1. *Spes* est causa *amoris*; ergo præcellit *amori* tum natura, tum dignitate; nam causa præstat effectui; sed *spes* est passio irascitiva; ergo istæ præcellunt illas. Probatur major 1. ex August. *amor* non est sine *spe*, & non amatur bonum, nisi speretur consecutio ejus.

Resp. neg. min. & dist. prob. *amor* efficax; seu electivus, & perfectus, conc. simplex: & absolutus, neg. ant. nec de isto loquitur S. August. sed de electivo, & perfecto; nam, ut dicebam, *spes* includit semper aliqualem *amorem* rei speratæ, ut magis patebit ex dicendis.

Objic. 2. Potest repræsentari objectum ut arduum priusquàm ut conveniens, & amabile, vel disconveniens, & odibile, ergo objecta concupiscitivarum non præcedunt, saltem semper.

Resp. ea dictis dist. cons. per accidens, conc. cons. per se, & natura sua, neg. cons. nam licèt possit 1. repræsentari arduitas, non sequitur eam esse primam in natura.

Inst. Posita etiam repræsentabilitate objecti, adhuc posset voluntas non moveri circa objectum per ullam passionem concupiscitivam, sed per irascitivam, v. g. per *spem*; ergo si esset aliqua præcellentia, & prioritas, illa venit ab electione voluntatis, & non ex natura rei. Prob. ant. nam voluntas est libera ad motus suos.

Resp. neg. cons. ob rationem allatam; scilicet non loquimur de passionibus, secundum quòd possunt excitari per electionem voluntatis, sed secundum quod aptæ sunt nasci ex natura objectorum, &

ipsius potentiæ, & maximè quia hæc ratio non valet pro appetitu sensitivo, in quo non est ea libertas, & in quo prius excitantur passiones, quàm in voluntate.

Objic. 3. Delectatio, & tristitia, quæ sunt concupiscitiva, sequuntur iram, & alias passiones irascitivas; ergo istæ præcedunt illas. Prob. ant. ex Arist. [1] dicente, quòd *delectatio sequitur omnem passionem.* Dicit enim, [2] quod *ira viri quasi mel:* & ex Script. sacra: *Lætabitur justus, cum viderit vindictam*, & nos experimur summam voluptatem in actibus iræ, ac vindictæ.

Resp. dist. ant. Ut priùs sequatur per accidens, conc. ant. per se, neg. ant. imò, ex Scoto citato, semper irasci est cum tristitia, non verò concupisci; quia numquam irascimur, nisi adsit offendens; & sic ira semper supponit tristitiam ex malo præsente, licèt quando actus ulciscendi, seu irascendi est perfectus, adsit aliqua delectatio; & hoc sensu loquitur Philosophus.

CONCLUSIO II.

Inter concupiscitivas amor præcedit, & spes inter irascitivas. Hæc sequitur ex præcedenti.

Prob. 1. tum ex Scriptura, quæ in omnibus præfert *amorem*, & maximè charitatem præfert *spei*, sicut & fidei, *Major horum est charitas*: tum ex SS. Patribus: nam *amor est causa omnium aliarum passionum voluntatis:* quod latè probatur etiam ex Poetis canentibus, quòd *omnia vincit amor*.

Prob. 2. ex Scoto. [3] *In communi est duplex actus voluntatis, scilicet velle, & nolle: nolle enim est actus positivus voluntatis, quo fugit disconveniens; velle autem est actus, quo acceptat aliquod objectum conveniens: istorum autem actuum patet ordo: quia omne nolle præsupponit aliquod velle: à nullo enim refugio, nisi quia non potest stare nolle cum aliquo, quod accepto tanquam conveniens*: sed illa acceptatio nihil est aliud, quàm *amor concupiscentiæ*, & illud nolle est purum odium, ergo *amor* præcellit cæteris; & id patet de aliis circa bonum, ut sunt *desiderium*, & *gaudium*; nec enim potest negari, quin præsupponant *amorem* bo-

[1] 2. *Ethic.* 4. [2] 2. *Rhetor.* 2. [3] 2. *d.* 6. *q.* 2. *A. n.* 2.

boni absentis, qui est causa *desiderii* ejus, & præsentis, de cujus adeptione, & præsentia gaudemus.

Igitur primus motus appetitus circa bonum est *amor* simplex, qui est velut primus gustus, & suaviatio boni, & præludium aliorum motuum circa illud tum sequitur *desiderium*, si est absens, & *gaudium*, cùm sit præsens, & possessum.

Prob. 2. p. ex præcedenti; nam inter irascivitas *spes* est *amori* proximior, est enim desiderium, & expectatio boni cum aliqua certitudine consecutionis; ergo includit *amorem*, & sic propior est primæ omnium; quod patebit ex dicendis de singulis in particulari.

Obj. Quod est prius generatione, est posterius perfectione; ergo si *amor* est prior natura, est posterior dignitate, & id maximè verum est de *gaudio*, in quo magis, & ultimò quiescit appetitus.

Resp. dist. maj. est posterius perfectione, si sint in eodem genere cum essentiali subordinatione, conc. maj. si sint in diverso genere, & sine tali subordinatione, neg. maj. alioqui enim proprietates, & accidentia præcellerent substantiæ. *Desiderium* ergo, & *delectatio* sunt quidem posteriora generatione, quàm *amor*, sed sunt velut ejus consequentiæ, & effectus; nam bonum ideo desideratur absens, & delectat præsens, quia amatur: & idem est de odio, & tristitia, & fuga; nam ideo ea patimur, quia privamur bono amato, seu afficimur malo ei opposito.

Sub aliis respectibus potest dici, quòd passiones desiderii, & spei, & tristitiæ in aliquo sint perfectiores, quia includunt alias, & magis completivæ sunt; sic enim *gaudium* complet, & satiat appetitum, & est ejus ultima perfectio.

QUSÆTIO V.

De amore, & odio.

QUidam post quæstiones de passionibus in communi agunt de remediis earum, sed id, ni fallor, meliùs discutietur, postquam singularum naturam exploraverimus. Solet etiam quæri, an omnes passiones habeant contrarias, & id maximè quæritur

propter iram, cui non opposuimus ullam, sicut cæteris, sed res est parvi momenti, & de ira dicemus suo loco. Igitur examinanda natura singularum, & incipimus ab amore, & odio.

Porrò *amorem* distinguunt aliqui à *dilectione*, & *charitate*, putantque, *Dilectionem accipiendam esse in bona, & amorem in malo*, inquit August. [1] *sed viderint Philosophi, utrum, vel qua ratione ista distinguant; sed scripturas religionis nostræ, quarum auctoritatem cæteris quibuscumque litteris anteponimus, non aliud dicere amorem, aliud dilectionem, vel charitatem insinuandum fuit*. Et hoc probat ex ipso Euangelio, in quo Christus ter interrogans Petrum, bis utitur verbo *diligendi*, & semel verbo *amandi*; petrus semper respondet se amare, ergo ex Euangelio constat, hæc nomina idem significare, licet in hac materia nomen *amoris* ad significandam hanc passionem sit usitatior.

Amor autem generalissimè sumptus dividitur in *naturalem*, qui est propensio rei ad aliquid, quod illi ex natura sua convenit; sic lapis dicitur amare locum deorsum, & ignis sursum; & *animalem*, qui est passio, qua appetitus sensitivus fertur in bonum conveniens media cognitione; sic equus amat avenam, & fœnum, & *rationalem*, quo voluntas fertur in bonum, quod sibi ab intellectu repræsentatur ut conveniens; primus dicitur *appetitus naturalis* cujuscumque entis, & non est propriè passio, nec de hoc agimus, quia non fit cum cognitione; alii verò sunt verè passiones, & de utrisque agimus. Hinc autem facilè intelliges naturam *odii naturalis animalis*, & *rationalis* per opposita.

Rursus *amor rationalis* dicitur *amicitiæ*, quo amatur aliquid propter ipsum, & *concupiscentiæ*, quo amatur propter aliud, sive, ut explicat Doctor, [2] *velle amicitiæ est istius objecti, cui volo bonum, & velle concupiscentiæ est istius objecti, quod volo alicui alii amato*. Huic respondet duplex odium, scilicet *inimicitiæ*, quo aliquid fugimus ex pura ejus displicentia, & propter ipsum, & *abominationis*, quo volumus alicui malum, quia putamus illum nobis inimicum.

CON-

[1] 14. *De civit. c. 7.* [2] *2. d. 6. q. 2. A. n. 3.*

CONCLUSIO.

Amor sufficienter describitur passio, qua appetitus fertur in objectum conveniens cognitum: odium vero, qua idem appetitus resilit ab objecto disconvenienti cognito.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Duplex est actus voluntatis*, (idem est de appetitu) *scilicet velle, & nolle, nolle enim est actus positivus voluntatis, quo fugit disconveniens, seu resilit ab objecto disconveniente, & velle est actus, quo acceptat objectum aliquod conveniens.* Idem videtur docere Arist. dicens, *amorem esse volitionem boni alicui*; fateor eum ibi loqui de actibus elicitis *amoris*, & *odii*, nos verò hìc agimus de *amore*, & *odio*, ut sunt passiones; sed ex definitione actuum facile intelligitur, quid sint passiones illis correspondentes.

Prob. 2.p. 1. Quia sic explicatur ejus natura per veram genus, & differentiam. 1. *Passio* tenet locum generis, in hoc convenit cum reliquis affectibus 2. *appetitus* supponit pro intellectuali, aut sensitivo: in utroque enim est *amor*, sicut & aliæ passiones, ut probatum est supra; & id maximè intelligitur de concupiscibili. 3. *qua fertur in bonum conveniens cognitum*; & per id præcisè differt hæc passio ab aliis: nulla enim sic absolutè fertur, sed cum aliqua conditione.

Prob. similiter 2. p. de *odio*: nam si *amor* in appetitu animali, seu in intellectivo est *consonantia quædam appetitus in id, quod apprehenditur ut conveniens*; ita *odium est dissonantia quædam appetitus ad id, quod apprehenditur ut repugnans, & nocivum*; ex D. Thoma: [2] per primas ergo particulas convenit cum *amore*; per alias ab eo differt, in quo non est immorandum.

Objic. 1. ex Scoto, [3] non est *amor* propriè in appetitu sensitivo; *Nec enim propriè inhæret, quia non se applicat objecto, sed quasi infigitur vi objecti; quia non ducit se, sed ducitur*; ergo ex Scoto *amor* non est in appetitu purè sensitivo, nec debet explicari per appetitum, sed per voluntatem.

Resp. neg. conf. Nam Scotus vult tantum ibi, quòd bru-

[1] *Ibid*, [2] 1.2.q.29.a.1.& 2. [3] 1.d.1.q.5.n.5.

bruta non amant *amore fruitionis*, quo bonum amatur propter se: nec propriè amant loquendo de *amore*, *qui est vere actus elicitus liberè productus*, inquit Lichetus: & id facilè colligitur ex ipso textu, scilicet *Appetitus sensitivus non ducit se* (eligibiliter, & liberè) *sed quadam necessitate:* nos autem loquimur de *amore*, qui est passio, non verò actus.

Objic. 2. Per hanc definitionem *amor* non distinguitur à *desiderio*, vel gaudio; ergo non est bona. Prob. ant. nam per *desiderium*, & *gaudium* tam voluntas fertur in objectum conveniens, quàm per *amorem*; ergo sic non bene definitur *amor*, prout differt ab illis passionibus.

Resp. neg. ant. & dist. prob. tam fertur in bonum per *desiderium*, & *gaudium* sub aliquibus conditionibus, quas non considerat *amor* præcisè ut *amor simplex*, conc. ant. tam fertur circa bonum nudè ut bonum, neg. ant. *amor* præcisè ut *amor* fertur in objectum ut conveniens, sive illud sit absens, sive possessum, id non considerat, sed *amor desiderii* fertur in bonum ut absens, & *amor gaudii* in bonum ut possessum; in utrisque semper est *amor*, non nudus, & simplex, sed cum novis conditionibus.

Inst. *Amor*, *passio*, *gaudium*, & *desiderium* est in appetitu sensitivo brutorum; sed ille appetitus non præscindit; ergo illa præcisio *amoris* ab existentia, vel absentia non facit, ut dicatur *desiderium*, vel *gaudium*, nec per consequens sic salvatur illarum passionum differentia in brutis, sed aliunde petenda est.

Resp. dist. min. Non præscindit per actum positivum potentiæ cognoscitivæ, quo separetur objectum ab existentia, conc. min. non præscindit secundum modum tendendi in bonum, qui modus de se indifferens est, sive objectum habeatur, sive non, neg. min. & conf. nam *amor* est simplex affectus appetitus erga bonum purè ut bonum, in quo sibi complacet; cùm autem fertur in bonum ut absens, novam induit conditionem, & dicitur *amor desiderii*, quo ita fertur in illud, ut adipiscatur; & si possideat, in eo quiescit, & gaudet, & dicitur *amor delectationis*.

Inst. 2. ergo de bono existente non posset haberi amor.

Resp. neg. conf. Nam modo affectus sit simplex volitio

litio rei secundum bonitatem, quæ in ea cognoscitur, nihil cogitando de conditionibus absentiæ, vel præsentiæ, est semper verus; & simplex *amor:* si verò sit volitio rei ut possessæ, erit *amor gaudii*.

Quæres 1. *quænam sint causæ amoris*.

Resp. Causam effectivam *amoris* actualis, & eliciti ex parte nostra esse voluntatem, sed causa passionis *amoris* est ipsum objectum cognitum ut conveniens, ita ut cognitio se habeat ut conditio, seu approximatio, & applicatio agentis ad passum; de quo nihil est difficultatis suppositis iis, quæ diximus de causis passionum in communi; & similiter voluntas, seu appetitus sub hoc respectu erit causa subjectiva.

His adduntur 1. *Pulchritudo*, quæ est decor, & ornatus quidam bonitatis, & fortiter movet appetitum; sic Eva pulchritudine pomi victa est, [1] *Vidit mulier lignum, quod esset pulchrum oculis*, &c. 2. *Similitudo*, seu *Sympathia*; unde *similia similibus gaudent; & homo homini jucundissimus est*, inquit Phil. [2] contingit tamen ex *similitudine* nasci invidiam. Ideo dicitur, *Figulus figulo invidet*; sed id per accidens est, & ex depravatione appetitus; vel quatenus unus figulus alteri figulo nocet, ne lucretur ex arte sua. 3. alter vehementissimus magnes *amoris* est *amor*; dicitur enim, *Si vis amari ama*; &, ut docet S. Ambrosius, [3] *Ad incentivum charitatis communis plurimum proficit, si quis vicem amantibus reddat, nec minùs redamare se præbeat, quam ipse amatur*. 4. *cognitio, quilibet enim studiosus, quilibet curiosus non amat incognita, etiam cùm ardentissimo appetitu instat scire, quod nescit*, inquit Aug. [4] sed, ut dicebam, hæc se habet ex parte intellectus, velut applicatio objecti ad potentiam. 5. *difficultas in acquisitione*; si quidé pretiosa, & chara sunt, quæ multo labore sunt parta: *Lenocinium est muneri antecedens metus*, dicebat Seneca, [5] *in his homo suos labores inspicit; ultroneæ merces patent, & pretii facilitate decrescunt; quia semper in raritate majora sunt*. 6. his accedit *Raritas*: nam *quanto acceptius est, si id damus, quod quis non habet, quam cujus copia abundat. Munera non tam pretiosa, quàm rara, exquisita sunt* &c. 7. *Beneficentiam* inter pri-

[1] *Gen.*3. [2] 1.*mag.moral.c.*18. [3] 2.*offic.*7.
[4] 10.*de Trin.c.*2. [5] 1.*de benef.c.*11.

primarias *amoris* causas reponit Chrysost. sed reverà *beneficium* tam effectus est *amoris*, quàm causa. Denique addunt alii *philtra*, & *medicamenta*.

Dices. Amantur res turpissimæ; ergo falsò dicitur, [1] quòd *amor est pulchri: Quis enim pulchrum, aut honestum vel in divitiis omnium rerum improbissima, vel in bello omnium incertissima, vel in tyrannide omnium crudelissima, vel in auro omnium superbissima ponet*. Objiciebat maximus Tyrius.

Resp. ex eodem, nos loqui de vera honestate, non de falsa, & apparente. *Amor* verus est de vera pulchritudine; *nihil enim minùs, quam amor esset, nisi circa ipsum pulchrum versaretur; falsus, & spurius amor est de falsa pulchritudine; nihil pulchrum dici potest, quod cum damno, aut periculo conjunctum est; quod flagitia patrat, quod in miseriam, quod in calamitatem hominem deducit, quod in pœnitentiam desinit; si enim pulchrum duplex est, quorum alterum videtur esse, nec est, alterum videtur, & est, necesse est eos, qui pulchrum illud audiunt, quod videtur, nec est, spurios, & adulterinos amatores esse, contra verò qui illud, quod videtur, & est, veros amatores esse, & verum pulchrum amare*.

Sola igitur honestas, & vera pulchritudo est *amoris* veri objectum; omnis alius *amor* vocatur *amoris idolum* à D. Dionys. & à vero amore prolapsio ab Aug. [2] vocatur *coinquinatio veræ amicitiæ per sordes concupiscentiæ, & obnubilationem candoris ejus per tartaream libidinem*.

Quantùm ad causam subjectivam *amoris*, ad illum aptiores sunt ii, in quibus allatæ causæ sunt vegetiores; præcipuè amori obnoxii maximè sunt, qui celeri, & calida complexione, vel fervidiori ingenio sunt: sed in calidissima complexione amor ut promptior, ac impetuosior est, ita & fragilior; in sanguinea autem, & temperata sicut paulò lentiùs accenditur, sic diutius fovetur, & conceptus perseverat. Ideò in senibus difficiliùs nascitur ob terrestrem complexionem, & siccam, in juvenibus verò ut in stipula facillimè inflammatur. *Blandus animi color amor est, juventa gignitur*, inquit Seneca, [3] sic etiam eam flammam citò dimittunt ob mentis celeritatem, seu

[1] *Disser. 11. n. 66.* [2] *De div. nom. c. 4.* [3] *In octavar. 2.*

seu levitatem, & fervorem ætatis: nam ex eo æstu facilè concipitur offensio amorem extinguens. Ex eodem fonte manant affectus alii amorem præfocantes, ut superbia, ira, arrogantia, æmulatio, quæ ut in junioribus ob ardorem sanguinis frequentiora, sic in senibus jam frigescentibus rariora, ideòque in istis conceptus amor constantior est, sed remissior.

Quæres 2. *qui sint effectus amoris*.

Resp. Tot eos esse, quot bona, & mala hujus vitæ; nam ex D. August. [1] *nec aliunde bonum est, si bonum est cor humanum, nisi quod bene amat, quod bonum est; nec aliunde malum est, si malum est, nisi quod male amat, quod bonum est; omne enim, quod est, bonum est; sed in eo, quod male amatur, tantum vitium est*, quod alibi [2] dixerat de amore Dei, & sui: *hi duo amores construxerunt duas civitates, civitatem Dei amor Dei usque ad contemptum sui, & civitatem diaboli amor sui usque ad contemptum Dei*. Et auctor Libri de substantia dilectionis inter opera August. [3] *Est amor ignis flammam faciens, totum consumens, aut purgans totum. Ex eo namque totum est, quod bonum est, & totum, quod malum est, ex eo est. Unde fons dilectionis intus saliens duos rivos infundit, alter est amor mundi cupiditas; alter est amor Dei charitas. Medium quippe est cor hominis, unde fons amoris erumpit; & cum per appetitum ad exteriora decurrit, cupiditas dicitur, cum verò desiderium suum ad interiora dirigit, charitas nominatur; ergo sunt duo rivi, qui de fonte amoris manant, cupiditas, & charitas, & omnium malorum radix cupiditas, & omnium bonorū, radix charitas*, &c.

Bonos effectus boni *amoris* luculenter enumerat, & describit Plato, [4] *Hic Deus est*, inquit, *pacem largitur hominibus, mari tranquillitatem, menti requiem, cubile viventibus, somniumque in curis. Hoc rusticitatem à nobis amovet; familiaritate nos conciliat, cœtus hujusmodi omnes congregans; in solemnibus, festisque diebus choris, & sacrificiis dux nobis est, mansuetudinem porrigens, exterminans feritatem, benevolentiæ largitor, malevolentiæ omnis expulsor, propitius, beneficus, spectandus sapientibus, Diis placidus, exoptandus expertibus, participantibus possidendus*,

[1] *De spir. & an. c. 5.* [2] 14. *civit.*
[3] *Jo.* 4. [4] *De amore*.

ac tenendus, deliciarum, mollium illecebrarum, gratiarum, dulcis perfusionis, & desiderii pater: bonorum studiosus; malorum spretor, in labore, in timore, in desiderio, in sermone gubernator, perfectus adjutor, servatorque præcipuus, cunctorum Deorum, atque hominum decus; Dux pulcherrimus, atque optimus &c.

Non boni autem *amoris* malos effectus ex Philosophis narrans S. Hieron. ait; [1] *Amor formæ rationis oblivio est, & insaniæ proximus, fœdum, minimeque conveniens animo sospiti vitium; turbat consilia, altos, & generosos spiritus frãgit, à magnis cogitationibus ad humillima detrahit, querulos, iracundos, temerarios, durè imperiosos, serviliter blandos, omnibus inutiles, ipsi novissimè amori facit. Nam cùm fruendi cupiditate insatiabilis flagret, plura tempora suspicionibus, lacrymis, conquestionibus perdit, odium sui facit, & ipse novissime sibi odio est. Tota amoris insectatio apud Platonem exposita est, & omnia ejus incommoda Lysias explicat, quod non judicio, sed furore dicatur*, & S. Augusŧ. [2] ex amore, quo ducimur, arguit *omnium mortalium progeniem in prima sui origine* (scilicet in Adamo) *fuisse damnatam, quid enim indicat aliud amor ipse tot rerum vanarum, atque noxiarum? Ex hoc mordaces curæ, perturbationes, mærores, formidines, insana gaudia, discordiæ, lites, bella, insidiæ, iracundiæ, inimicitia, fallacia, adulatio, fraus, furtum, rapina, perfidia, superbia, ambitio, invidentia, parricidia, crudelitas, sævitia, nequitia, luxuria, petulantia, impudentia, impudicitia, fornicatio, adulteria, incesta, tot stupra, immunditiæ, quas turpe est dicere, sacrilegia, hæreses, blasphemiæ, perjuria, oppressiones innocentium, calumniæ, circumventiones, prævaricationes, falsa testimonia, iniqua judicia, violentiæ, latrocinia, & quidquid talium malorum in mentem non venit, & tamen de vita ista hominum non recedit.*

Alii notabiles effectus metaphorici amoris solent numerari enim a Theologis, & Patribus, imò & in Scriptura. I. *unio amantium*, qua ex amantibus fit quasi unum; ideò *virtutem commiscentem* vocat Dionys. [3] & hoc facit vel quasi *formaliter*, quatenus est propen-

[1] *Adver. Jovin.* [2] *22. de civit. c. 22.*
[3] *4. de divin. nom. c. 2.*

propensio, & inhærentia quædam amantis in amato, & sic velut quidam nexus amborum, vel *effective* excitans amatum, ut quærat possidere, & unire sibi amatum, quantùm potest; ideò *amorem* dixit Aug. [1] *esse veluti juncturam quandam*, quia *amantem cum re amata copulat, vel copulare appetit*.

2. *Extasis*: quia amans extra se fertur, & in amatum transit, quod de amore Dei dixit Dion. [2] *Est mentis secessum, extasimque faciens divinus amor, amatores sui juris esse non sinens, sed in ea, quæ amant penitus transferens* &c.

3. *Zelus*, qui venit ex ardore amoris, & est vehemens appetitus removendi ea, quæ vel amato sunt adversa, vel amantem retardant ab ejus possessione, & inde *zelotypia*: sic Deus dicitur *zelotes*, quia *est vehemens ad ea, quæ sunt clementer amanda*, inquit Dionysius.

4. *Læsiones, vulnera, languores, liquefactiones, fervores, inflammationes*, &c. Quæ fusè explicant mystici, sunt effectus morales, non physici, nisi valde per accidens, quatenus ex hujus passionis violentia, & ardore causantur ægritudines corporales.

Quantùm ad remedia pro amore inordinato, plura suggerunt Philosophi, & maximè Theologi, & Patres. 1. *oculos, & mentem ab objecto avertere*, ne boni falsa species incentivum sit amoris perversi: nam, ut jam monui, [3] Eva per oculos; & visum incensa est amore pomi vetiti, *vidit mulier, quod bonum esset lignum*: sic filii Dei *videntes filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi uxores*: sic Holophernes [4] *captus est in suis oculis* &c. sunt ergo continendi oculi, qui *sunt in amore duces*: & id petit à Deo David, [4] *Averte oculos meos, ne videant vanitatem* 2. recedendum à loco; prodest enim absentia, quæ inducit tandem oblivionem. 3. *studiosa consideratio malorum, & incommodorum*, quæ affert perversus amor, quæque mox expendebamus, quorum præcipuum est offensa Dei, & animæ, ac salutis perditio; *Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam*. 4. *occupanda mens circa alia, & maximè fugiendum otium*; nam amor est negotiosorum otium, quod hic

[1] 8, *de Trin.c.*10. [2] *cit.* [3] *Gen.*3.
[4] *Judith.*10. [5] *Ps.*118.

effectus potissimùm occupet otio deditos; ita fit, ut *dum otio vacant, in rem negociosissimam incidant*, aiebat Diogenes. [1] *Ad vere, & salubriter amabilia convertendus amor*, scilicet in Deum, qui ut solus, & summè bonus, ita solus, & summè amandus.

5. *Sobrietas* in cibo, & potu; nam *sine Baccho, & Cerere friget Venus*.

Cira *odium* nihil, aut paucissima occurrunt dicenda, quia *contrariorum eadem est disciplina*; ex iis, quæ diximus de *amore*, patet, quid sentiendum sit de odio; unde sicut *amor amicitiæ* est ille, quo volumus bonum alicui, & habet pro objecto personam, & bonum volitum, & *amor concupiscentiæ* respicit quasi unicè bonum, sic *odium inimicitiæ* respicit personam, cui volumus malum, & ipsum malum: *Abominationis* vero respicit directè malum, quod volumus absolutè sive nobis, sive alteri. Item sicut *amor* abstrahit ab existentia boni, & in hoc distinguitur à *desiderio*, & *gaudio*, ita & *odium* præscindit ab existentia mali, per quod distinguitur à *tristitia*, & *timore*. Dividitur, sicut *amor*, in *naturale*, *humanum*, *ferinum*, *melancholicum*, quæ respondent oppositis *amoribus*, 1. vocatur *antipathia*, estque aversio ex causa occulta, & ignota, 2. quod excitatur humano modo, nec transcendit modum ordinarium, quo solent homines odisse; *Ferinum* è contra caret mensura, ad immanitatem pertingit, feralemque sævitiam potius, quàm humanam aversionem sapit; ut cùm quis non satiatur morte inimici, sed sævit prætereà in mortuum discerpens, & lacerans sanguinem sugit, & cor; vel hepar extrahit, & mordet. 4. excitatur atra bili, ferocitate, & redundantia.

De causis etiam *odii* dicendum, sicut de causis *amoris* per opposita, & similiter de subjectis eius, unde 1. *ignavi*, & *timidi* sunt ad odia propensiores; quippe ex frigiditate undecumque damna metuunt, & ideo ut liberentur à metu, vim quamcumque adversariam oderunt, & contritam volunt, 2. *suspiciosi* ob eandem rationem, 3. *amantes*; nam quæcumque ingrata veniunt ab amatis, ægrius sentiunt, quia vellent redamari: ideo dicebat Quintilianus, (2) quòd non

[1] *apud Laert.*
[2] *Declam.* 17.

non habent odia proximorum regressum, & ratio est 1. *quia iniqua quædam iudicant homines, quia pati non debuerint*; nihil scilicet iniquius, quàm injuriæ, quas accipimus ab amicis, aut propinquis, à quibus debemus amari. 2. illæ injuriæ accidunt contra spem; iniqua putamus, quæ inopinata sunt, itaque maximè commovent, quæ contra spem, expectationemque eveniunt.

4. *Superbi*, & sui nimium amantes, quia cùm impensè ament, toti sunt in suis commodis curandis, & si minimum impediantur, maximè commoventur. Effectus pariter ex *amoris* contrarietate colligendi, v. g. *recessus ab objecto, vel inimico, sævitia, contemptus, subsannatio, maledicentia, excandescentia: ubi amicitia permanet, nihil facile creditur, nihil facile recipitur, quod dissidium operari possit*, inquit S. Chrysost. [1] *Si verò inimicitiæ semel occupaverint animos, omnia, quæ fiunt, quæ dicuntur, quæ audiuntur, ita accipiuntur, & intelliguntur, ut ad majores, & longiores proficiant inimicitias; si quid enim boni dicatur de inimico, non creditur, si quid autem mali, hoc creditur, & confirmatur.*

Odii remedia varia docent SS. Patres: efficacissima sunt *patientia*, & *consideratio proprii boni*; nam per *odium* nobis plus nocemus, quàm inimicis, injuriæ manent extra nos; de clypeo patientiæ munimur, si eas contemnimus, aut obliviscimur, in corda nostra introducimus, si nimium sensibiles iis simus. *Inimici homines, qualescumque fuerint, non sunt odio habendi*, inquit August. [2] *ne cum odit malus, quem patitur, malum, sint duo mali; diligat bonus, & quem patitur malum, ut vel unus sit malus*. Et alibi: *Odium tenebræ sunt; non potest autem fieri, ut qui odit alterum, non sibi prius noceat; illum enim lædere conatur extrinsecus, se vastat intrinsecus: quantò autem animus noster major corpore est, tantò magis ei prospicere debemus, ne ipse lædatur. Lædit autem animum suum, qui odit alterum. Sævisti in inimicum tuum, te sæviente ille nudatus est, tu iniquus es factus, multum interest inter nudum, & iniquum, ille perdit pecuniam, tu in-*

[1] *Ser. 2. de Ira. c. 10.*
[2] *Conc. 3. in Ps. 30.*

in innocentiam, &c. inter Philosophos legendus est Seneca, qui causas odiorum rejicit in cupiditates, quæ si moderentur, cessabunt odia.

Circa causas *odii* solet quæri, *an omne odium nascatur ex amore*.

Resp. affirmativè cum Scoto, [1] quia *omne nolle præsupponit aliquod velle: à nullo enim refugio, nisi quia non potest stare cum aliquo, quod accepto tanquam conveniens*: & S. Thomas id probat tum ex D. August. [2] dicente, quòd *omnes affectiones causantur ex amore, & ideo oportet in quolibet considerare priùs, quid ei conveniat, quàm quid ei repugnet, per hoc enim aliquid est repugnans alteri, quia est corruptivum, vel ejus impeditivum quod est conveniens; unde necesse est, quod amor sit prior odio, & quod nihil odio habeatur, nisi per hoc, quod contrarietur convenienti, quod amatur, & secundum hoc omne gaudium ex amore causatur*. Credo tamen id per se verum esse, saltem præsuppositivè, & virtualiter, non autem formaliter; quasi verò semper debeat præcedere amor formalis, & explicitus circa bonum; potest enim objectum primò proponi appetitui ut malum in se, & ut tale odiri, licèt nullus præcesserit actus formalis amoris circa bonum oppositum, sed tamen illud odium virtualiter saltem continebit illum amorem.

Quæres 2. *An odium sit formaliter volitio, vel nolitio, seu prosecutio carentiæ mali, an verò actus positivus nolitionis, quæ terminetur directè in malum illud disconveniens; v. g. an odium doloris sit volitio carentiæ doloris, an verò nolitio directa doloris*.

Resp. quòd licèt id ita contingere possit, ut quis directè velit negationem doloris, & ita est de aliis malis, tamen nolle positivum *odii* videtur directè terminari in malum, v. g. in dolorem, & ratio est, quia sicut *amor* boni tendit positivè in bonum, licèt inferat negationem contrarii, scilicèt mali; ita *odium* tendit ex se in malum per nolitionem ejus positivam, licèt etiam inferat volitionem carentiæ illius. Sic possum odire inimicum, licèt non velim carentiam, seu mortem ejus; nec semper cogitamus

[1] 2.*d*.6.*q*.2.*A*.*n*.4.
[2] 1.2.*q*.22.*a*.2.

mus expresse de ulla remotione mali, cùm illud refugimus.

Confir. Nam actus *odii* in appetitu respondet actui negationis in intellectu: sicut actus *amoris* respondet affirmationi; sed in intellectu datur actus negationis, qui est positivus absque ulla affirmatione; ergo & in voluntate actus positivus *odii*, seu nolitionis sine ulla volitione.

Dices, Odium est actus potentiæ appetitivæ; ergo debet esse appetitio: prob. conf. omnis actus appetitus debet esse appetito, sic omnis actus intellectus debet esse cognitio.

Resp. dist.ant. est actus appetitus, prout ut ea potentia sic nominatur à nobiliori actu, qui est prosecutio, conc. ant. quasi verò ea potentia non habeat alios actus, quàm prosecutionis, neg. ant. nam per eandem potentiam, qua prosequimur bonum, debemus posse refugere malum, licèt nomen appetitus videatur significare solùm prosecutionem.

Quæres 3. *An amor sit fortior odio.*

Resp. cum distinctione: nam *appretiativè amor* est fortior, *intensive odium* potest esse fortius ob rationem allatam ex Scoto, & D. Thoma: nam cùm *odium*, & nolle mali nascatur ex *amore*, seu ex velle, *amor* debet esse fortior *odio*; nullus enim effectus superat causam suam, juxta illud, *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*. Dixi *appretiativè*, nam quoad intensionem actus sæpe *odium* est fortius; nam experimur, nos fortiùs moveri, & agere, ut repellamus dolorem, quàm ut voluptatem assequamur.

Quæri etiam posset circa objecta odii, *an possit quis odisse Deum, aut se ipsum, aut veritatem:* De se ipso videtur id juberi in Euangelio, *Qui non odit patrem, & matrem, adhuc autem & animam suam, non potest esse meus discipulus*, inquit Christus Dominus, & jubemur Deum supra nos diligere. Item certum est, aliquos sibi mortem optasse, & intulisse, ut vitarent dolores, & infamias. Item plures se morti exponunt pro amicis, quod summum est amoris facinus. *Majorem enim charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis.*

Denique generaliter docuimus, non posse amari

malum ut malum, nec odiri bonum ut bonum; ergo in Deo, in nobis, & in veritate apprehendi possit aliqua ratio mali, nihil prohibet saltem ex errore, vel motivo præfixo ea odiri. De *Odio* satis.

QUÆSTIO VI.

De concupiscentia; seu desiderio, & fuga.

IAm patet ex dictis, *Desiderium* esse amorem, sed boni absentis, & ita est *de Fuga* respectu mali, scilicet est quoddam odium mali absentis. Illud etiam solet appellari *cupiditas*, seu *concupiscentia*, & *libido*, licèt in significatis propriis harum vocum sit aliqua differentia, & sæpius voces istæ posteriores sumantur in malam partem, & pro vitiis, maximè appetitus sensitivi; *Desiderium* verò dicitur magis indifferenter in bonum, & malum, sed tamen etiam in Scripturis sacris vox *concupiscendi* sumitur in bonam partem; *Concupivit anima mea desiderare; concupiscit, & deficit anima mea in atria domini*: sed communiùs sumitur pro appetitu circa bonum delectabile. Dividitur ut *amor*, & *odium*, in *bonum*, & *malum*, in *naturale*, *animale*, & *rationale*, &c. ita est de *Fuga*. Similes habent causas tam efficientes, & extrinsecas, quàm subjectivas, & remedia, si quæ singlaria videbuntur addenda, breviter dicemus.

Rursus *desiderium* aliud est *efficax*, quo intendens se determinat ad media, quæ certa, & infallibilia putat, ut rem consequatur, & *inefficax*, quo desideratur quidem aliquod bonum, non tamen absolutè, sed resolutè, ideo non applicantur rem edia necessaria ad consequendum.

CONCLUSIO.

D*Esiderium sufficiēter describitur passio potentiæ appetitivæ, qua fertur in bonum cognitum absens; Fuga verò, seu abominatio est passio ejusdem potentiæ, qua malum absens declinat.*

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui docet, *quòd actus desiderii*

[1] 1.d.1.q.4.n.6.

rii est respectu non habiti, quo viator justus appetit Deum actu concupiscentiæ, & loquens de spe Theologica dicit, quòd *est velle non absolutè, sed absentis, Deus enim est absens viatori*: & comparans actus *desiderii*, & *amoris*, ait, quòd *actus desiderii, qui est respectu absentis, est remissior illo, qui est respectu præsentis, quem August. vocat amorem, & actus amoris est perfectior intensivè, quietat enim voluntatem eo modo, quo actus desiderii non potest eam quietare*; ergo ex Scoto, [1] *desiderium* est circa bonum absens, & per eandem rationem *fuga*, quæ illi opponitur, est circa malum absens.

Prob. 2. ratione ordinaria, quia scilicet sic explicatur natura horum motuum per verum genus, & veram differentiam sine superfluitate. Nam cùm dicitur, *passio potentiæ appetitivæ circa bonum cognitum*, convenit cum *amore*, & aliis, & hæ particulæ sunt locò generis: per *bonum absens*, differt ab *amore*, qui est circa bonum absolutè, & à *gaudio*, quod est circa bonum præsens, & possessum, & similiter *Fuga* distinguitur ab *odio*.

Objic. 1. Scotum, [3] qui videtur docere positivè, quòd *desiderium est etiam respectu habiti, unde & de Deo à sanctis Angelis jam habito dicitur, in quem desiderant Angeli prospicere*: & ideo concludit, quòd finis movet *in quantum amatum, & in quantum desideratum*; ergo ex Scoto malè definitur *desiderium* esse circa bonum absens, aut sibi contradicit.

Resp. neg. conf. vel dist. ant. *desiderium* naturale, & latè sumptum pro qualicumque inclinatione in bonum, conc. ant. *desiderium* propriè, & ut actus elicitus, vel passio sequens cognitionem boni, neg. ant. & conf. Scotus loquitur in primo illo loco de desiderio innato cuilibet homini, quo desiderat scire, *quia*, inquit, *desiderium naturale non corrumpitur habito volito*, explicans illud Philosophi, [4] *Omnis homo naturaliter scire desiderat*; *Propositio*, inquit *intelligitur de homine secundum se considerato, sicut anima de se semper est nuda ab omni cognitione; & sic est verum, quod omnes scire desiderant, quia non* omnes

[1] 1.*d*.1.*q*.5.*n*.6.
[2] *Quodl.* 18.*B*.*n*.2.
[3] 12.*Metaph*.*n*.40.1.*Petri.* [4] 1.*met*.*q*.1.*n*.8.

omnes homines sciunt, seu non habent scientiam secundum se considerati.

Ad locum D. Petri respondet ipse Scotus, quòd *desiderium est respectu habiti, ne generetur fastidium, sicut dicit Glossa.... Illa Glossa loquitur de desiderio, quod est actus elicitus, & illud fortè non manet cum desiderato*: & id confirmat ex August. *Appetitus hiantis fit amor tenentis*; sed dubitat, *an illa mutatio desiderii in amorem, cùm bonum cupitum tenetur, fiat, sicut imperfectum fit perfectum idem manens in substantia; an quod desiderium corrumpitur, quia est sicut actualis motio, quæ corrumpitur adveniente termino? Dubium est*.

Inst. Potest desiderari perseverantia rei possessæ; ergo potest desiderari res ut præsens.

Respondeo dist. cons. potest desiderari res præsens, & possessa sub aliqua ratione, sub qua non est præsens, conc. cons. sub eadem ratione, sub qua est præsens, neg. cons. non est autem præsens, nec possessa secundum illam perseverantiam, & prorogationem, sed futura.

Objicies 2. Illa ratio absentiæ, vel præsentiæ est accidentaria, & extrinseca bono, quod est objectum *amoris*, sed ratio purè accidentalis, & extrinseca non sufficit ad diversitatem specificam passionum, vel actuum; ergo vel *amor*, & *desiderium* non distinguuntur specie, vel aliunde provenit distinctio, quàm ex absentia. Prob. min. ratio specificans debet esse intrinseca; & substantialis; ergo ratio extrinseca, & accidentalis non sufficit.

Respondeo neg. min. & rationem ejus; nam sicut arduitas, & facilitas, quæ sunt accidentales bono, sufficiunt ad distinctionem passionum irascitivarum à concupiscitivis; ita & ratio absentis superaddita bonitati sufficit ad distinctionem specificam actuum, vel passionum *amoris*, & *desiderii*, maximè quia *desiderium* non respicit præcisè bonum ut absens, sed adhuc ut acquisibile, maximè si sit efficax; Adde tendendi modum diversum, quæ diversitas oritur ex absentia; nam *amor* respicit absolutè bonum in se; *desiderium* verò tendit in illud secundum suam acquisibilitatem, quæ supponit absentiam.

Sic etiam possunt usurpari, & dividi *cupiditas*, *libido*,

bido, seu *desiderium*, ut coincidant cum aliis passionibus, & vitiis; est enim *libido habendi*, inquit August. [1] *quæ ira dicitur, est libido habendi pecuniam, quæ Avaritia, est libido quomodocumque vincendi, quæ Pervicacia, est libido gloriandi, quæ Jactantia nuncupatur, sunt multæ, variæque libidines, quarum nonnullæ habent etiam propria vocabula, quædam vero non habent.*

Inter proprietates *cupiditatis* notatur *infinitas* ex Phil. [2] ob inexplebiltatem appetitus, & maximè voluntatis voracitate, nec enim *satiatur oculus visu, nec auris auditu*, at in solo Deo reperitur satietas. [3] *Satiabor cum apparuerit gloria tua*, cùm enim creata omnia bona sint in se limitata, non satiant appetitum rationalem & inde arguitur *infinitas* cupiditatis: Item ex eo quod una cupiditas alteri satiatæ, aut lassatæ, seu exhaustæ succedit; *Intuentes enim hominum conversationem sæpe experti sumus in quibusdam, lascivia compressa, crevisse avaritiam*, inquit August. [4] *nam sicut in ipsis sensibus corporis acutius audiunt, qui non vident, & tangendo multa discernunt, nec tanta vivacitate tangunt, qui oculis utuntur...... Ita etiam sæpe carnalis cupiditas à concumbendi voluptate cohibita majoribus viribus in pecuniæ se porrigit appetitum.*

Ortus, & causa, seu parentes *desiderii* dicuntur *Penuria*, & *copia*, ut ex Platonis [5] fabula scribit Origenes, quatenus *penuria* premit, impellit, & *copia* boni absentis, quæ objicitur consequenda, allicit, & sic ex utraque generatur *desiderium* adipiscendi bonum, quod deest, & hoc bonum si solidum est, ac verum, legitima est *concupiscentia*, si apparens, & falsum, erronea, & perversa. Item nisi ex *desiderio* applicentur idonea media, & legitima, vitiatur.

Effectus non bonos sic describit Philos. [6] *Omnes perturbationes animi graves sunt, concutiantes, & dimorentes ab ingenio, suavitateque pristina, sed nulla æque nocet, ac concupiscentia, quamobrem aliæ videntur extcrius invitis, & inscijs obrepere, hæc verò so-*

L. 6. *la in-*

[1] 14. *de civit. c.* 15.
[2] 1. *Polit. c.* 6. [3] *Ps.* 16.
[4] *do bono viduit. c.* 21.
[5] 1. *con. Cel.* [6] *in decal.*

la in nobis oriri, & quidem volentibus; quoties aliquis de bono agente cogitans habere id cupit, in longum animam porrigit, extendens eam, ut possit rem amatam attingere, tanquam in orbiculari machina semper sequendo, numquam assequendo; quod spectamus in cursoribus, quando præcurrentem tardior pertinaciter insequitur. Vides, primum effectum *desiderii* esse, quòd animam vexat, & distendit, & ideò duriùs, quò *longiùs differtur consecutio cupiti: nihil enim æque amarum, quàm diu pendere; æquiore quidem animo ferrent præcidi spem suam, quàm distrahi*, ajebat Seneca. [1]

2. Ex difficultate consecutionis acuitur vis desiderii, & industriæ, & quæ in promptu sunt, vel fastidiuntur, vel frigidè cupiuntur. Imò & in vetita exardescit appetitus (& patuit in Eva, quæ unum vetitum inter tot permissa poma concupivit) & velut repagulis prohibitionis coercitus tantò ægriùs fert obstaculum quantò est amantior libertatis:

Vile est, quod licet, & animus errore lentus injurias diligit (canit Poeta [2] Petronius) *Ales Phasiacis petita Colchis, atque aliæ volucres placens palato, quòd non sunt faciles, ut anser, & pictis anas enovata pennis plebejum sapit; ultimis ab oris attractus scarus, atque arata Syrtis si quid naufragio dedit, probatur. Mulus jam gravis est, amica vincit uxorem, rosa cinnamum veretur. Quidquid quæritur, optimum videtur.... Nolo quod cupio statim tenere; nec victoria cui placet parata*. Hinc cùm nollent Christiani tempore S. Cypriani [3] abstinere à spectaculis dicentes, nullibi hoc prohiberi in Scripturis, respondit, *Veritas si ad hæc usque descenderet, pessimè de fidelibus suis sanxisset; nam & in præceptis quædam plerumque utilius tacentur.... admonet sæpe, dum interdicuntur*: adeò vetum est, quòd ex prohibitione accenditur desiderium. *Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata*.

3. Dicitur *desiderium* esse omnis mæstitiæ, & irrequietæ agitationis nostræ unicum principium; *ea namque* (cupiditate) *accensi nonnulli, qui præsentium*

[1] 2. *de benef. c. 5.*
[2] *in satyr.*
[3] *Ib. 2. de spectac. n. 4.*

tium rerum inexplebiles sunt, nunquam concupiscere desinunt, sed si duplum quidpiam habent, triplum illico student accipere, triplum nacti quadruplum appetere incipiunt; qui quidem numquam sibi proponunt eos, qui pauciora possident, sed illos tantum, qui plura, quos etiam superare conantur. [1] Sic cupiditatis labores ex insatiabilitate illius sunt. *Numquam* [2] *improbæ spei, quod datur satis; eò majora cupimus, quò majora veniunt*, &c. Unde [3] *nisi ratio philosophica, seu bonus Medicus cohibeat diffundentem se concupiscentiam, vitam perturbabit necessariò: cuncta enim sine exceptione subjiciuntur huic vitæ, sed numquam magis insanit, quam cùm nacta est licentiam, quando in omnibus facit omnia.*

Hinc cohibitio *cupiditatis* necessaria homini amanti quietam, innocentemque vitam, ad quod innumera suggerunt Patres, & Philosophi remedia, quæ facilè ex enumeratis effectibus malis cerni possunt. His addes, si velis, considerationem vanitatis, & caducitatis eorum, quæ cupis; pericula, & labores in iis non solùm acquirendis, sed & servandis, amœnitatem quietis ab illis curis, & anxietatibus &c. Lege Senecam. [4] *Quantumcumque est, satis erit, si quidquid deerit, id à nobis petierimus: nihil enim, mi Lucili, interest, utrum desideres, an habeas; summa rei in utroque est eadem. Non torqueberis, nec illud præcipio, ut aliquid naturæ neges; contumax est, non potest vinci, suum poscit, sed ut quidquid naturam excedit, scias precarium esse, non necessarium. Esurio? Edendum est; utrum hic panis sit plebejus, an siligineus, ad naturam nihil pertinet: illa ventrem non delectari vult, sed impleri. Sitio? Utrum hæc aqua ex lacu sit proximo excepta, an ea, quam multa nive clusero, aut rigore refrigeretur alieno, ad naturã nihil pertinet; illa hoc unum jubet, sitim extingui; utrum sit aureum poculum, an Chrystallinum, an myrrhinum, an calix tiburtinus, an manus concava, nihil refert*, &c. *Ambitiosa non est fames, contenta desinere est, quò desinat non nimis curat, infelicis luxuriæ ista tormenta sunt; quærit, quemadmodum post saturitatem quoque esuriat à quem-*

[1] *Galenus*.
[2] *Senec. cit. c. 27.*
[3] *Philo. cit.* [4] *Ep. 119.*

quemadmodum non impleat ventrem; si satiet: sitim prima potione quærit quemadmodum sedatam revocet, &c. Vides in ipsis cupiditatum satisfactionibus, & quiete laborem æque, ac in ejus insatiabilitate, & deordinatione, &c.

De *Fuga*, seu *Abominatione* nihil restat dicendum, quod ex dictis de *cupiditate*, seu *desiderio* non liqueat per contraria. Ad *odium* comparatur, sicut *desiderium* ad *amorem*; respicit malum absens tam præteritum, respectu cujus dicitur *detestatio*, quàm futurum, respectu cujus dicitur *Fuga*.

Dices. *Fuga* est in appetitu sensitivo; sed iste non percipit futurum; ergo *fuga* non est de malo futuro. Prob. min. quia sensus est tantùm circa præsens; aut præteritum.

Resp. neg. min. & prob. ejus, nam, ut videbimus de *timore*, phantasia etiam habet aliquas apprehensiones futuri.

Dices 2. Appetitus non est de impossibili; sed *detestatio*, seu *fuga* præteriti est de impossibili; ergo illa passio non est in appetitu. Prob. min. quia impossibile est non esse quod fuit; sed *detestatio* præteriti deberet velle, ut, quod fuit, non fuerit; ergo est de impossibili.

Resp. dist. maj. appetitus, aut velle efficax, & absolutum, conc. maj. & neg. min. inefficax, & conditionatum, neg. maj, & conf. Nam inquit Doctor, *Angelus potuit appetere æqualitatem Dei* (& sic peccavit) *quam sibi inesse posse scivit esse impossibile*: & ex Philosopho, [1] *aliquis potest velle esse immortalis*; quando ergo *detestatio* est de peccato, sensus est, quod vellem non peccasse, & si esset possibile, vellem peccatum non fuisse. Sed de hoc ubi de pœnitentia.

QUÆ-

[1] 4. d. 14. q. 2. r. 18. *in repor.*

QUÆSTIO VII.

De gaudio, seu delectatione, & tristitia, seu dolore.

DElectatio dicitur etiam *gaudium*, *voluptas*, *exultatio*, & *fruitio*, & passio illi opposita dicitur *tristitia*, & *dolor*; sed aliqui distinguunt illa; nam *gaudium*, & *tristitiam* ponunt in solo appetitu rationali, *delectationem* verò, seu *voluptatem*, & *dolorem* in sensitivo; sed quæstio est de vocibus, quæ reperiuntur promiscuè; & indifferenter usurpatæ. Propriè verò *gaudium* est passio animæ consequens amorem intensum de objecto amato; *lætitia* designat motionem, seu dilatationem cordis, seu virium internarum, & dicitur quasi *lætitia*, quia animam latam facit, vires fundens interiores; *Exultatio* designat motum exteriorem à corde in partes externas prodeuntem; estque velut *extra saltatio*. *Delectatio*, ex Scoto, [1] est passio appetitus, *dilectio* verò, quam supponit, est actio ejusdem, & in aliquo sensu idem significat cum *fruitione*, in alio differunt; sed monet cum August. quod de vocabuli significato non est contendendum.

Idem dicendum est de *tristitia*, & *dolore*; in aliquo sensu idem significant: sed tamen propriè *dolor* est in parte sensitiva, estque passio appetitus sensitivi ab objecto disconveniente, seu offendente, & lædente carnem causata prævia cognitione. *Tristitia* verò est appetitus intellectivi ab objecto disconveniente, & subsequens actum nolendi, ut docet Scotus infra cit. post August. *Delectatio* alia dicitur *naturalis*, seu *animalis*, quæ sequitur apprehensionem sensitivam, qualis est in brutis; alia *humana*, seu *rationalis*, quæ sequitur cognitionem intellectivam.

Naturalis etiam dicitur illa, quæ est ordinata, seu de bono vero, v. g. de bono, & regulari cibo, & opponitur *innaturali*, quæ provenit non tam ex bono, idoneo, & conveniente naturæ, quàm ex depravatione appetitus, ut si quis delectetur ex esu carbonis.

CON.

[1] *1.d.2.q.3.n.8. & in repor. ibid.*

CONCLUSIO

GAudium, *seu delectatio est passio appetitus concupiscibilis ex bono, seu convenienti amato præsente: Dolor verò, seu tristitia est passio ejusdem appetitus ex malo. seu disconvenienti, & existente.*

Prob. 1. p. 1. ex Scoto, [1] qui ut vidimus, docet ubique, *delectationem*, seu *gaudium* distingui realiter à *dilectione*, quia, inquit, *dilectio elicitur à voluntate realiter; delectatio est ab objecto delectabili. Unde sicut objectum sensibile est causa delectationis in appetitu sensitivo, ita objectum conveniens intelligibile, sive bonum causat delectationem in appetitu intellectivo:* & quòd *in voluntate dilectio immediatiùs sequitur apprehensionem, & mediatè,* scilicet mediante dilectione, *sequitur delectatio*: & quòd *delectatio est quasi perfectio accidentalis ipsius operationis, sicut pulchritudo est perfectio accidentalis juventutis*, &c. Item quòd *delectatio in beatis perficit voluntatem, prout est passiva; dilectio vero, seu fruitio, prout activa, seu elicitiva; & sic delectatio concomitatur beatitudinem, quæ est operatio, & gaudium, sive delectatio, quæ est passio, & magis concomitatur beatitudinem, quàm securitas*, &c. *Unde delectatio quietat voluntatem, ut est susceptiva passionum*, &c. Vides ex Scoto esse passionem in appetitu concupiscibili causatam ex objecto amato, & præsente, seu adepto, per quod differt ab *amore*, & *desiderio*.

Dixi, *ex bono convenienti amato*, quia nisi appetitus inclinaretur per amorem innatum. vel elicitum ad objectum, non perficeretur ab ejus præsentia, & si nullam perfectionem ab eo acciperet, non delectaretur ex ejus approximatione; sicut nec tristaretur, nisi appetitus aversaretur illud, quia non læderetur. Ex approximatione sequitur, quòd illud, quod inclinatur, recipiat à perfectivo illo, ad quod inclinatur, aliquam perfectionem, quæ dicitur delectatio. Certè mel quantumcumquè dulce non delectat abhorrentem, ita est de tristitia circa amaritudinem amatam.

Prob.

[1] *Repor. 11. d. 3. q. 3. n. 6.*

Prob.2. ex eodem [1] pro *dolore*, & *tristitia*, quia absolutum (scilicet appetitus) quod *inclinatur ad absolutum conveniens* (scilicet ad bonum) *declinat ab absoluto corruptivo, quod dicitur disconveniens, ut refertur ad potentiam, & si secundo sequitur approximatio, tunc tertiò sequitur ex hoc impressio hujus passionis, quæ est dolor, quæ est contra inclinationem ipsius recipientis*, &c. Item tam *dolorem*, quam *tristitiam* definit, & eorum differentiam explicat cum Aug. [1] *Dolor carnis est tantum offensio animæ ex carne, & quædam ab ejus passione dissensio; sicut animæ dolor, qui nuncupatur tristitia, est ab his rebus quæ nobis nolentibus accidunt; dissensio ex hoc apparet, quòd dolor est passio consequens apprehensionem sensitivam, & in appetitu sensitivo; tristitia verò est proprie in appetitu intellectivo, aut in voluntate, & consequens apprehensionem alicujus objecti noliti.*

Prob.3. Quia sic explicatur harum passionum natura per vera earum genera, & differentias. 1. *passio appetitus concupiscibilis*, per id conveniunt cum *amore*, & *odio*, *desiderio*, & *fuga*, & distinguuntur ab aliis, quæ sunt in irascibili. 2. *ex bono convenienti*, seu *amato*, & *præsente*, vel ex *disconvenienti*, & sic differunt à quatuor prædictis ob rationes allatas; scilicet *amor*, & *odium* sunt de malo, & bono secundum se; *desiderium*, & *fuga* de bono, & malo futuro, seu absente: 3. *amato*, & *nolito*, quia non sufficit ad delectationem, ut bonum sit præsens, sed debet amari per amorem innatum, aut elicitum; neque enim propriè gaudemus de iis, quæ indifferenter videmus, vel attingimus, nec tristamur de volitis, licèt alioqui non sint bona, imò possint esse ex se nociva; unde si dæmones non haberent nolle intensissimum circa locum, & ignem inferni, hæc non inferrent illis præcisè, & per se tristitiam, inquit Doctor. [2]

Obiectiones contra utramque partem sunt resolutæ supra, ubi sustinuimus, eas non esse operationes.

Objic. Præterea. Dæmon se habet præsentem ad multa bona; & multas naturales perfectiones non amisit, & posset in eis delectari, si ad delectatio-

nem

[1] 4.*d*.44.1.*q*.*A*.*n*.5.
[2] *Ibid*.*n*.11.*q*.15.

nem sufficeret præsentia boni amati; sed conf. est falsum; ergo non benè explicatur natura hujus passionis. Seq. maj. patet. Nam potest amare se, & illas perfectiones, & in eis sibi complacere. Prob. min. quia si haberet aliquam delectationem, non esset perfectè miser, nec damnatus.

Resp. dist. maj. posset delectari, nisi aliunde impediretur, conc. maj. & neg. min. si impediatur aliunde, neg. maj. & conf. nam licèt remanserint plura naturalia in dæmonibus, in quibus possent delectari, & sibi complacere, quantùm est ex parte obiectorum, & natura voluntatis, tamen ex vehementia summa aliorum malorum non sunt capaces hujus gaudii; sicut in sensibus vehementia dolorum absorbet sensus, ac impedit, seu præoccupat omnem sensibilitatem tum ad minores dolores, tum ad delectationes omnes; ita à fortiori in dæmonibus. An autem tam puræ sint miseriæ, & tristitiæ dęmonum, ut nullius prorsus gaudioli sint capaces; v. g. cùm inducere potuerunt hominem ad peccandum, & ex damnatione hominum, &c. non est hujus loci; videtur Scriptura agnoscere in illis aliquod gaudium ex malis nostris, cùm dicit, *Ne forte supergaudeant mihi inimici*; videtur enim hoc intelligi de gaudio dæmonum in perditione animarum; sed de hoc aliàs.

Objic. 2. Sæpe gaudemus, aut tristamur de absentibus, præteritis, futuris; ergo falsum est, *gaudium*, & *tristitiam* esse passiones ex malo, vel bono præsente causatas. Prob. min. nam possumus lætari, aut tristari non solum de præteritis, ut cùm spes beatitudinis, aut alterius boni lætificat, aut prævisio, vel timor venturi mali affligit, & de præteritis, ut cum delectamur, vel tristamur recogitantes *annos nostros in amaritudine animæ nostræ* per pœnitentiam, sed etiam de impossibilibus, ut Lucifer de imaginata, & cupita æqualitate Dei.

Resp. dist. ant. de absentibus, præteritis, & futuris realiter, sed præsentibus objectivè, con. ant. de absentibus purè, & nullo modo præsentibus, neg. ant. ea omnia, quæ delectant, vel affligunt, existunt saltem objectivè, & sic effectus reales intentionales causant, quales sunt istæ passiones. Igitur

sæpè

sæpe gaudemus, vel tristamur de bonis, aut malis per solam imaginationem præsentibus, imò & de impossibilibus, ut cùm quis gaudet, & sibi complacet putans se esse Regem; aut Papam, aut de iis, quæ faceret, si esset Rex, aut Papa.

Inst. Gaudemus etiam, aut tristamur de actibus; ergo sola objecta non causant eas passiones. Prob. ant. possum gaudere de cognitione, & scientia, imò & de ipso actu, & motu delectationis, ut docet Scotus; nam tristamur de peccatis commissis.

Resp. neg. cons. nam tunc ipsimet actus, de quibus delectamur, aut tristamur, habent rationem objectorum.

Objic. 3. Si *gaudium*, & *delectatio* essent puræ passiones ab objectis causatæ, non essent bonæ, vel malæ moraliter; sed falsum cons. nam sæpe in delectationibus, & tristitiis est meritum, vel peccatum; sæpe ex iis laudamur, aut reprehendimur; si delectamur in Deo, meremur; si in rebus malis, peccamus. Prob. maj. non essent nobis liberæ, sed venirent penitùs ab extrinseco; ergo non essent bonæ, aut malæ moraliter.

Resp. dist. maj. non essent bonæ, aut malæ formaliter directè, & immediatè, conc. maj. & neg. min. mediatè, & materialiter, neg. maj. & cons. similiter distincto ant. prob. nam licèt delectationes causentur in nobis ab objectis, quæ agunt in nobis naturaliter, & non liberè, tamen in libertate nostra est velle, aut nolle, placere, aut displicere, perseverare, aut cessare, ac divertere mentem ab illis objectis, & passionibus, ut patiet exemplo supra citato ex Scoto [1] de muliere per vim corrupta, quæ non solùm non peccat, si quam in sensibus patitur invita delectationem, sed etiam meretur per actus internos detestationis de complacentia, si quæ obrepserit. *Delectatio non est prava, inquit* Doctor, *nisi quia actus, ad quem sequitur, est pravus: nec delectatio est in potestate delectantis, nisi quia actus est in potestate agentis.*

Igitur cùm primum percipitur aliquod bonum, v. g. cibus, ut bonus, amat illum appetitus, & si abest, maximè si fames urget, à simplici amore transit.

[1] 1.*d.q.*3.*B.n.*4.

sit ad desiderandum illum, donec habuerit; habitus verò, & gustatus delectat sensum gustus, & deinde per internum sensum transit delectatio, & ejus perceptio in intellectum, qui eam proponit voluntati, ut honestam, vel inhonestam, & sic voluntas liberè adhæret, vel abhorret, & sic vel peccat, vel meretur. Idem est de delectationibus purè spiritualibus quantùm ad ordinem, & illud præcipuè in istis considerandum, quòd cùm ex amore libero procedant, ac sequantur veluti quædam consequentiæ ex præmissis, aut affectus ex causis, tunc possunt dici liberæ, & bonæ in causa sua, ac etiam ex consequenti reflexione, & complacentia: v. g. ex amore Dei libero nascitur delectatio in eodem objecto, & rursus voluntas potest hanc approbare delectationem.

Circa *gaudii* subjectum supposito rigidiori usu talis vocis, quòd scilicet sit propriè passio animæ, & de bono ut honesto, certum est, solam creaturam rationalem, scilicet hominem, & Angelum esse talis passionis capaces; sed delectatio videtur etiam convenire brutis, in quibus tamen unam veneream reperiri putat Lactantius. [1] *Cæteræ animantes præter unam voluptatem, quæ ad generandum pertinet, nullam sentiunt*, inquit, *utuntur ergo sensibus ad naturæ suæ necessitatem; vident, & appetunt ea, quibus opus est ad vitam tuendam, audiunt invicem, seque dignoscunt, ut possint congregari; quæ utilia sunt ad vitam, aut ex odore inveniunt, aut ex sapore percipiunt, inutilia respuunt, aut recusant, edendi, ac bibendi officium ventris plenitudine metiuntur: homini verò solertissimi artificis providentia dedit voluptatem infinitam, & in vitium cadentem, quia proposuit ei virtutem, quæ cum voluptate semper tanquam cum domestico hoste pugnaret.*

Causæ sunt eædem cum aliis, proportione servata. *Materialis*, & *effectiva* est bonum, ut cognitum, & amatum; *subjectiva* est appetitus concupiscibilis sive animalis, & sensitivus, sive rationalis, seu voluntas.

Objectum necessarium est bonum amatum, & possessum, quod quò purius, ac nobilius est, seu excellentius, eò purior, ac defecatior est delectatio, sive excellentiam physicam, sive moralem spectes; nam cum cuilibet

[1] 6. *Inst.* c. 20.

libet potentiæ cognoscitivæ respondeat suus appetitus, & gustus, quò nobilior, & altior est illa potentia, & bonitas per illam repræsentata, eò purior, & sublimior est delectatio: sic interna præstat externis sensuū, & rationalis præstat sensitivæ internæ. Inter sensitivas autem prima est in oculis, & ultima in tactu, quam solam in brutis admittebat Lactantius citatus.

Objecta, seu causæ necessariæ sunt. 1. *raritas, novitas, atque longa expectatio;* constat enim, quòd pauci delectantur bonis, quæ cumulatè ordinariè, & sine labore, & sponte veniunt. [1] *Spes, quæ differtur, affligit animam, desiderium veniens lignum vitæ*, ut, significet rem diu, aut vehementer desideratam, cùm obtinetur, inexplicabili suavitate afficere appetitum, ideo addit, *expectationem præstolantis esse gemmam gratissimam*, id est rem anxiè expectatam, cùm obtinetur, esse velut gemmam pretiosissimam: canitque Poeta, *gratior est fructus, quem spes productior edit;* ultrò objectorum vilius est pretium.

2. Ob eandem rationem non mediocriter augetur *gaudium* ex labore impenso in re consequenda, aut si deperditam recuperamus absterso sudore, & mœrore. *Quid igitur anima? nonne amplius delectatur inventis, aut redditis rebus, quas diligit, quàm si eas semper habuisset?* docet Aug. [2] *contestantur enim & cætera, & plena sunt omnia testimoniis clamantibus, ita est. Triumphat victor imperator, & non vicisset, nisi pugnasset, & quantò majus fuit periculum in triumpho*, &c. affertque exempla de homine, qui ex lethali morbo salvus magis lætificat amicos, quàm dum sanus vivebat. *Sic edendi, & bibendi nulla voluptas est, nisi præcedat esuriendi, & sitiendi molestia. Et ebriosi quædam salsiuscula comedunt, quò fiat molestus ardor, quem dum extinguit potatio, fit delectatio. Hoc in turpi, & execranda lætitia, hoc in ea, quæ concessa, & licita est: hoc in ipsa sincerissima honestate amicitiæ, hoc in eo, qui mortuus fuerat, & revixit, perierat, & inventus est, ubique majus gaudium molestia major præcedit.* Sic notat Chrysost. [3] Petram, quæ in deserto percussa fudit aquam Israelitis post diram sitim, voca-

[1] *Prover.* 13. & 17.
[2] 8. *Confess.* c. 3.
[3] *Hom.* 2. *ad pop.* & *Ps.* 80.

vocari in Psalmis Petram mellis. Certum enim est non fudisse mel, sed aquam puram, sed præ suavitate dicitur *Petra-mel*. Denique bonum insolitum *plus amatur, & sequenti gaudio confert dulcedinem præmissa tristitia*, inquit Cassiodorus.

3. His adde *varietates, ordinem, pulchritudinem, honores, laudationes, laborum præteritorum recordationem*, &c. quæ omnia docet quotidiana experientia. Ad gaudia proniores esse docet Fracastorius illos, qui benè sani sunt, & multo abundant sanguine, eoque dulci, ac levi, non acri, aut bilioso, vel melancholico: hi ad lætitiam nati videntur; cuncta ferè ut læta recipiunt, suntque ad societates, lusus, cantus, & spectacula, omneque hilaritatis genus propensi, quod maximè viget in junioribus. Effectus *gaudii* sunt insignes, & plurimi, Deus ut naturæ auctor quibusdam operationibus naturæ necessariis delectationes alligavit, velut condimentum, quo mortales ferrentur avidiùs in illas, & hoc est divinum, quod in omnibus reperiri notat Philosopus, [1] *Omnia*, inquit, *natura divinum quid habent, & illud est voluptas, quam omnes bestiæ, & homines sequuntur; id enim esse ipsum quodammodo optimum judicat*, & ob id fortè in voluptate summam hominis felicitatem collocarunt plurimi.

Inter particulares effectus notantur *risus*, qui communiter habetur ut signum lætitiæ. 2. *dilatatio cordis*, quia in gaudio sanguis à corde in partes vicinas, & exteriores diffunditur; ipsumque velut amplexurum bonum dilatatur. 3. *Sanitatem* auget, vel conservat, quia expellit curas, & anxietates, ac melancholicos, tetrosque humores, qui optimę corporis complexioni obsunt, remanentque puriores spiritus; [2] *Cor gaudens exhilarat faciem, in mœrore animi dejicitur Spiritus, & spiritus tristis exsiccat ossa*. 4. *excitat potentias ad agendum*, quia nisi, ut dicebam, in operationibus, maximè in naturalibus, adjunxisset Deus delectationes, in iis torperent animantia. 5. *acuit desiderium*, maximè si est imperfectum, facit, ut ampliora cupiamus. 6. interdum etiam *generat fastidium*, & relinquit post se mœrorem, *Extrema gaudii luctus occupat*: & ut dicebat Tyrius,

[1] *7. Ethic. 13.* [2] *Prover.*

optat, homo noctem post solem, famem, cum satur est, sitim, cum ebrius fuit. *Quod si demas hanc vicissitudinem, voluptas quæ fuerat fit dolor.* Hujus causa est caducitas, & imperfectio omnis boni creati, & mixtura mali, solus Deus est, qui semper delectat, & quò ampliùs, & diutiùs possidetur, ardentiùs desideratur, & dulcior sapit. *In quem desiderant angeli prospicere:* & sapientia divina de se ipsa dicit: [1] *Qui bibunt me, adhuc sitient, & qui edunt me, adhuc esurient;* sed in creatis nulla res est, quæ eadem semper suavis sit, quia *simplex natura nostra minimè est, sed insitum diversum quid etiam habet, quo est corruptibilis; sed si alicujus natura simplex sit, ei semper eadem actio erit jucundissima: atque idcirco Deus semper unica, ac simplici voluptate gaudet.* Et Christus, [2] *Qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum: sed qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Imò non solùm ex rebus, sed etiam ex parte nostra venit scilicet ex instabilitate, vel pravitate nostra, sicut enim homo pravus mutabilis est, ita etiam natura, quæ mutatione indiget.

6. *Voluptas*, & *dolor* sunt velut fontes, ex quibus nascuntur aliæ passiones, & per circulum quendam sequuntur illas ipsas. *Affectus omnes permixtos esse voluptate, & dolore* ajebat Plato; quod sic Alcinous; [3] *Affectus omnium primi, & simplices, aliorumque quasi elementa duo sunt, voluptas, & dolor, reliqui ex his oriuntur.* Et Arist. [4] *Omnem perturbationem sequitur voluptas, & dolor;* Imò, & omnium actionum principium, atque virtutum. *Qui à corporis abstinet voluptatibus, hoc ipso gaudet; temperans est, si dolet, intemperans. Rursus qui pericula subit, & gaudet, aut saltem non dolet, fortis; qui vero dolet, timidus est; moralis namque virtus circa voluptates versatur; ob voluptatem enim res improbas agimus, ob dolorem verò post habemus honestas;* inquit Phil. [5] Sine *voluptate* nulla esset virtus, aut langueret. *Hoc tantùm dico,* (ajebat Tyr. [6]) *Si quis virtutis voluptatem demat, eum vim ejus præcidere; nullum enim, si voluptas absit, petitur honestum; nam qui laborem ex virtutis subit præscripto,*

[1] *Eccl.* 24. [2] 2. *Jo.* 4. [3] *In Phil.* 60.
[4] *in Tim. c.* 24. [5] 2. *Ethic.* 4. [6] *Disse.* 35. *n.* 391.

pto, amore voluptatis aut præsentis facit, aut futuræ...., voluptatis causa; morbos aliquos, & vulnera, & labores, & sexcenta subit alia; quod latè probat exemplis.

Delectationum remedia traduntur, cum de Temperantia disputatur. Et certè patet ex Phil. [1] mox citato, eam moderationem tantò magis esse necessariam, quantò difficilior est homini. Per se non est illicita, sed cum vix in ejus appetitu mensuram teneamus ob innatam in eam propensionem, imò & pondus violentum, summo studio, & viribus enitendum in illa frenanda, *Bonus quidem vir circa hæc omnia rectè agit, malus autem peccat, & maxime circa voluptatem. Cunctis una cum hominibus ab ipsis incunabulis est enutrita. Quapropter arduum est hunc affectum insitum vitæ extinguere*. Porrò non delectationes per se dedecent, sed excessus; dico, *per se*, nec enim omnes omnibus licent. Quòd autem in excessu maximè dedeceant, & prohibeantur, convenit inter omnes tam Phil. [2] quàm Theol. quod, ut dicebam, difficile quidem est, sed absolutè necessarium; & hoc munus est virtutum moralium; *Idcirco totum ipsum negotium circa hæc esse necesse est; non enim parum potest ad actus benè, aut malè gaudere, aut dolere; difficilius est etiam* (ut Heraclito placet) *voluptati resistere, quàm iræ: at circa difficilius semper ars, virtusque consistit; id enim, quod in hoc efficitur bene præstabilius est: quare propter hoc etiam circa voluptates, doloresque totum negotium est & ipsius virtutis, & civilis etiam facultatis. Qui namque bene his utitur, bonus erit, qui vero malè, malus.* Et, ut docent SS. Patres, *Panem creavit Deus, tamen usus prohibetur immodicus. Vinum creavit Deus itidem, at eo immoderatè uti prohibuit.*

Gaudio moderando inserviet, si consideres 1. *levitatem*, seu caducitatem, & imperfectionem bonorum, de quibus est. 2. *instabilitatem* gaudiorum, sicut & bonorum omnium creatorum. 3. nihil ea esse in consideratione æternorum, quæ præparantur iis, qui lugent in hac vita, quibus tristitia pœnitentiæ convertetur in gaudium.

Juvabunt sequentes veritates, & regulæ. 1. quòd vir-

[1] *Ibid.* [2] *Ibid.*

virtus moralis precipuè versatur circa tristitias,& gaudia, ut lætemur, & tristemur ad mensuram à recta ratione præscriptam. Ideò virtus definiri solet *recta compositio voluptatis, & doloris*.

2. Ex *gaudio*, & *lætitia* veniunt omnia ferme vitia, in quæ homines labuntur; scilicet ut ad *gaudia* nascimur proclives,& ex peccato fuit aucta hæc propensio, tum ex amissione justitiæ originalis, tum ex debilitatione rationis, ac virtutis, sic præcipites labimur in excessum *voluptatum*, si adsint objecta, aut ægriùs, quàm par est, ferimur, si absint. *Mortales vitium penitus labuntur in omne præcipites; facilis namque est, quæ ducit ad illud semita, quia nobis id vel nascentibus hæret*.

3. *In omnibus maximè cavendum est à jucundo*, [1] *& à voluptatibus; non enim incorrupti judicamus de ipsa*. Scilicet ex præventione,ac propensione nõ æqui ejus judices sumus.

4. Vir probus nihil debet agere ob solam voluptatem; *Deus*, inquit Plato, *hominibus sapientibus lex est, insipientibus voluptas*. Quod dictum sit contra Epicureos, & ratio est,quia virtus non est propter *voluptatem*, sed è contra *voluptas* propter virtutem.

5. Difficilius est pugnare cum *voluptate*, quàm cum ullis passionibus, etiam cum *ira*, ut ex Phil. dicebamus, quia quantumcumque efsrenis sit *ira*, *voluptas* ferocior est bestia. Ideò vocatur *magnus dæmon*, & eò vehementior, & formidabilior est, quò intimior, & nobiscum nata,& adulta,& quò suaviùs,ac latentiùs, & intimius, eò fortiùs insidiatur, & sævit.

6. *Voluptas* effrænis non minùs, quàm dolor mentem à suo statu dimovet,quia ut iste rationis usum maximè præpedit; sic potentissimæ *voluptates* depravant appetitum. 1. enim distrahunt vehementer à rebus divinis, & rationabilibus ad externas, & animales. 2. quia delectationes corporeæ sunt contrariæ spiritualibus, & internis, & ideò dicuntur corrumpere existimationem prudentiæ practicæ. 3. quia propter alligationem animæ ad sensus delectabile præsens, quale est corporeum, magis afficit potentiam; quàm absens, qualia sunt spiritualia.

7. *Voluptate* dominante jacent præcipuæ virtutes, quia

[1] *Hesiod.*

quia exuit hominem virili fortitudine, enervat, & emollit. Ideò Lacedęmonii dicti sunt viri, & Athenienses fœminæ, quia illi voluptates spernebant, isti sectabantur.

8. Denique gaudia, & delectationes hujus vitæ desinunt in dolores: [1] *Voluptas in præcipiti est, ad dolorem vergit, in contrarium abit, nisi modum teneat:* quapropter *momento transit voluptas non reditura*, inquit S. Bernardus, *manet anxietas non relictura*.

De *tristitia* nihil penè restat, nec videtur dici posse, quod non pateat ex dictis de *gaudio*; sic ad eam præparabat, & leniebat Seneca verbis Christiano Philosopho dignis: *Læto animo fer, quidquid acciderit, quasi tibi volueris accidere* (quippe non solent displicere, quæ volumus) *nam debuisses, si scisses ex decreto Dei fieri. Optimum pati, quod emendare non possis, & Deum, quo auctore omnia proveniunt, sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui imperatorem gemens sequitur: Magnus animus, qui se Deo tradidit*. In idem facit, quod docet Apostolus, [2] *Eum recogitate, qui talem sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes* &c. Igitur non tam tristandum Christiano in adversis, quàm gaudendum, quia desinunt in bona, & consolationes, quod accidit omnibus viris piis, teste eodem Apostolo, [3] quippe *in multo experimento tribulationis abundantia gaudii illorum facit*.

Nullum efficacius motivum ad studendum moderationi *tristitiæ*, quàm ejus atrocitas, & mali effectus, de quibus Tullius sic loquitur compendiosè: [4] *Cum omnis perturbatio miseria est, tum carnificina est ægritudo* (sic vocat tristitiam) *habet ardorem libido, levitatem lætitia gestiens, humilitatem metus; sed ægritudo majora quædam, tabem, cruciatum, afflictionem, fœditatem, lacerat, exest animum, planeque conficit.* Eam sic describit S. Chrysost. [5] *Tristitia animarum crudele tormentum est, dolor quidam inexplicabilis, & judicium omni judicio, vindictaque deterius. Nam & vermis est similis venenato, non solummodo carnem, sed & animam ipsam perimens, & tinea non solùm* ad

[1] *Senecæ*. [2] *Hebr*. 12.
[3] 2. *Cor*. 8.
[4] *Tuscul*. 3. [5] *Epist*. 7.

ad ossa, sed ad corda pertingens, & perpetuus quidam carnifex, non animam dilanians, sed animæ vires consumens, & jugis nox, ac tenebræ profundæ, & tempestas, & turbo; febris non apparens omni igni validiùs incendens, & pugna requiem non habens, & labor plurimos obscurans videntium.

Juvat etiam ad eam expellendam inutilitas ad levanda mala omnia excepta tristitia pœnitentiæ, quæ delet peccata. [1] *Propter hoc tristitia facta est non ut in morte, nec in ulla alia re tali doleamus, sed ut ipsa utamur ad delenda peccata* &c. Juvat [2] aliorum commiseratio; nam *solet societas eorum, qui mœroris nostri participes sunt, doloris maximam partem auferre*, &c. Quod etiam docet Arist. [3] *Qui dolent condolentibus amicis sublevari consueverunt; unde dubitare quis etiam poterit, numquid quasi oneris partem suscipiant:* quod inde puto venire, quia in hoc experimur aliorum erga nos benevolentiam, ac constantiam restante fortuna, aliunde enim non deberet nos levare mœror amicorum, sed potiùs dolor noster augeretur ex tristitia, quam causamus in amico, 4. Non mediocriter juvat consideratio miseriarum communium, à quibus nullus est immunis. [4] *Nam sunt casus omnes communes, cæterum alius ex uxore, alius ex filio, alius ex servo, alius ex amico, alius ex inimico, alius ex vicino, alius ex quovis detrimento causam mœroris ducit .... prorsusque neminem invenies tristitiæ, ac doloris exortem, etsi alius magis, alius minus dolet, non itaque feramus graviter, neque nos tantummodo tristitiæ pati arbitremur, neque enim fas est, ut homo, qui sit, mortalemque hanc agat vitam, doloris, angorisque sit expers.*

5. Juvat tot, tantorumque Dei erga nos beneficiorum ponderatio: jucundissimum enim est cogitare summam ejus in nos benignitatem, tam mirabilem in suis operibus sapientiam [5] &c. *An parva nobis gaudii causa est imago illa, & similitudo Dei creatoris humanitus in anima* (inquit Petrarca [6]) *memoria, ingenium, providentia, eloquium, tot inventa, tot artes huic animo famulantes?* &c.

[1] *Idem hom.* 1. [2] *in* 2. *Tim.*
[3] 9. *Ethic.* 11. [4] *Chrys. cit.*
[5] *Jf.* 2. *de remed.* [6] *Dial.* 23.

6. Juvant etiam lacrymæ, gemitus, fletus, cantus, somnus, balnea ex D. Thoma, atque etiam pharmaca, & alia melancholiæ antidota, ut de vino scripsit Varro apud Nonium. *Vino nihil jucundius quidquam oluit; hoc ægritudinem ad medendam invenerunt; hoc hilaritatis dulce seminarium; hoc continet coagulum convivia: Cantus item animum suaviter seducens, & avertens ab objectis tristibus*. Lege Chrysostomum, qui dicit, [1] *Cum Deus vidisset multos homines esse secordiores, nec ad legenda spiritualia libenter accedere, nec qui eo capitur laborem tolerare, volens gratiorem laborem efficere, eisque sensum præscindere, admiscuit prophetiam melodiæ, ut omnes cantici numero delectati cum magna animi alacritate, ac promptitudine sacros cantus, & hymnos emittant*.

Denique *tristitiæ* quatuor sunt species, *misericordia*, quæ est tristitia de malo alieno, quasi de nostro. 2. *invidia*, quæ est de bono alieno, & hoc vel quia bonum alterius minuit nostrum, aut quia illud nobis non advenit, aut quia ex odio cuperemus ei malum. 3. *anxietas*, quæ sic animum ulcerat, ut nullam fugiendi viam deprehendat. 4. *accedia*, quæ, ex D. Damasceno, est tristitia aggravans mentem, ut nihil boni agere ei libeat, seu tædium bene operandi: sed de his aliàs.

QUÆSTIO VIII.

De spe, & desperatione.

NOmen *spei* largè significat 1. quamcumque expectationem boni, aut mali; ut cum dicitur, [2] *In te Domine speravi*. Et *Sperate in Domino &c*, lætitiam veram, aut fictam, ut cùm dicebat Virgilius, [3] *Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem*. 3. ipsamet bona expectata, ut cùm dicitur; [4] *Tu es spes mea Domine* Et, *Expectantes beatam spem*. 4. communiter *expectationem boni desiderati cum aliqua certitudine futuritionis*. *Spes est expectatio boni*, inquit Cicero. 5. virtutem infusam à Deo, qua

[1] in ps. 41. [2] Ps. 37.
[3] Æneid. 2. [4] Ps. 4

qua elevamur, & inclinamur ad actus desiderii, & expectationis circa Deum ut summum bonum nostrum; & dicitur *Spes Theologica*. 6. significat quendam motum, & affectionem appetitus sensitivi, aut rationalis, & irascibilis circa absens, & desideratum; & de *spe* in hac significatione hìc agimus, & de motu opposito, scilicet *desperatione*; quærimusque existentiam, naturam, causas, & effectus illarum: de existentia non dubitatur, cętera breviter exponam.

CONCLUSIO.

Spes est motus appetitui sensitivo, aut rationali irascibili impressus ex apprehensione boni ardui desiderati, quod existimatur futurum, aut possibile acquisitu: Desperatio vero est motus ejusdem appetitus ex apprehensione mali noliti, quod existimatur futurum, seu vitatu impossibile, vel boni voliti, quod existimatur acquisitu impossibile.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui spem hanc definit *passionem impressam appetitui sensitivo ex delectabili præsente, non in se, sed in phantasia, quod si esset in se præsens, natum esset imprimere delectationem; sicut ex alia parte malum præsens in imaginatione imprimit timorem; præsens verò in se imprimit dolorem*; licèt enim hanc passionem describat per ordinem ad solum delectabile, non excludit tamen alia genera bonorum ab ejus objecto.

Prob. 2. discurrendo per singula. Dicitur 1. *motus appetitui impressus tum sensitivo, tum rationali*, & per id convenit cum aliis passionibus, & affectibus. 2. *irascibili*; per quod jam distinguitur à sex præcedentibus, quæ sunt in concupiscibili, & ratio, cur ista pertineat ad irascibilem, patet ex dictis. 3. *ex apprehensione boni ardui desiderati*, ut distinguatur à *desiderio*, quod causatur quidem ex apprehensione boni absentis, & amati, sed non *ardui*; & *spes* supponit & *desiderium*, & *arduitatem*, seu difficultatem boni consequendi. Nam, ut docet S. Thomas, [2] *non dicitur aliquis sperare minimum, quod statim est in sua potestate*. 4. *quod existimatur futurum seu adeptu possibile*; nam de impossibilibus cognitis non

[1] 3.d.26.M.n.23. [2] 1.2.q.40.a.1.

est *desiderium*, saltem efficax, ut diximus, & multo minus *spes*.

Convenit autem *spes* cum *desiderio*, quia 1. utrumque respicit bonum absens. 2. nulla est propriè *spes* sine *desiderio*; & 3. istud etiam non est absolutum, & efficax, nisi circa bonum possibile, ut diximus. In multis etiam differunt, præcipuè 1. quia *desiderium* aliquod potest esse de impossibili, & à fortiori de non futuris, quod dici non potest de *spe*. Imò & *desperatio* ipsa potest esse cum aliquo *desiderio*, saltem inefficaci, & conditionato, inquit Doctor. [1] *Desperans desiderat desiderio conditionato, quia vellet, si posset; non autem desiderat absolutè: quia ad absolutè desiderare præsupponitur conceptio intellectus ostendentis sibi desideratum, sicut possibile desideranti. Qidquid enim ostenditur voluntati tanquam impossibile, vel voluntas omninò non vult illud, vel si vult, tenuiter vult illud*, ut dicebamus ex D. Thoma. 2. *desiderium* est de quocumque bono sive facili, sive arduo, sive ad desiderantem spectet, sive ad alium; sed *spes* est de arduo, & de bono gravioris momenti, & ad sperantem pertinente. *Spes*, inquit Aug. [2] *non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, & ad eum pertinentium, qui earum spem gerere perhibetur*; illa tamen futuritio non debet esse certa omninò, quia *spes est incerti boni nomen*.

Causæ *spei* sunt 1. eædem ac *amoris*, & *desiderii*, quibus adde credulitatem adeptionis, & subsidia rei consequendæ opportuna, sine quibus conditionibus valde tepescit, aut friget *spes*. 2. juvenes sunt maximè proni ad hanc passionem; *Juvenes sunt bonæ spei*, inquit Arist. [3] *ut enim temulenti, sic calidi sunt juvenes natura, simul etiam quia nondum in multis lapsi sunt opinione, & vivunt ut plurimùm spe: nam spes futuri est, memoria verò præteriti; juvenes autem multum futuri habent, præteriti verò parum*, &c.

Effectus *spei* sunt 1. in miseriis vitæ hujus supremum lenimentum. Quidam veteres Philosophi, [4] quos Græci *elpisticos* vocant, vitam potissimùm *spe* contineri putant, nec sine oblectatione, quam affert, tolerabilem esse. Eam constituere hominem dicunt

[1] *Ibid.H.n.* [2] *Enchir. c.8.*
[3] *2.Rhetor.* [4] *Philo.l.d.Abra.*

dicunt alii; [1] nam *Chaldæi hominem Enos vocant, ac si solus verè homo sit, qui res bonas expectat, & bona spe se sustinet. Unde manifestum est, quòd spe carentem non hominem existimat, sed bestiam humana forma præditam, cui desit spes proprium ornamentum humanæ animæ*, &c. Ideò *æditauam*, seu *antistitam* **palatii** virtutum eam faciunt: *Spem in foribus, ceu janitricem natura collocavit, intus verò cæteras virtutes regias, quas adire licet nemini, qui non prius hanc unam meruit*, ait Tertullian. [2]

2. Stimulat ad omnem bonum. *Principium parandorum bonorum spes est; etiam hanc publicam viam ostendit, & aperit animæ veri boni studiosa, quæ primum amicum spei vocat hominem*, &c. Et Tertull. cit. [3] *Consideremus sementem cum primis necessariam, quam conditor ille in agro bono, scilicet rationali anima fecit: in hac præcipuum semen spes est, à quo fonte victus ratio dimanat; nam spe lucri negotiator varios quæstus aggreditur: Nauclerus secundum cursum maria trajicit: ambitiosus spe bonorum accedit ad tractandam rem; spe coronarum Athleta subit certamina; spe felicitatis animum ad Philosophiam applicant, quicumque sunt dediti virtutum studio, quod ejus ope se putent perventuros tum ad naturæ notitiam, tum ad vitæ activæ, contemplativæque perfectionem, quibus in rebus felicitatem sitam esse existimant*: additque sub finem, *spem esse alimentum animarum virtutem amantium, propter quam semovemus pigritiam, quoquot properamus ad honesta otia*.

3. Erigit mentem, & lenit labores; nam [4] *rationibus humanis contubernales duos adjunxit Deus, amorem, & spem; alterum quidem tanquam alarum remigium leve, quod in altum per se feratur, animamque secum sursum ferat, & extollat, viamque, qua id, quod petat, consequatur, ostendat: quod quidem appetionem humanam vocant philosophi; spes verò animam comitatur, ut illam, quam diximus appetitionem sustineant, ac solentur, quæ quidem spes ex humanis si exulasset rebus, jamdiu commercia sua negotiator, & stipendia miles, & navigationem mercator, & rapinas suas prædo, & nocturna intermisisset furta*

[1] *l. de pudi.* [2] *Phil. cit*
[3] *Ibid.* [4] *max. Tyr. dissert. 37. n. 116.*

scortator, quod illa non permittit, sed illarum rerum studio accendit, quæ nec fieri possunt, nec ad finem interdum perventura sunt suum, & quoad lenimentum laborum sic ait Synesius: (1) *Sperandi genus tam est abundans in natura hominum, ac salutare, ut elegantioribus Sophistis illud in ore sit, ne vitam quidem homines esse toleraturos, si in eodem, quo ante astatu perseverarent; facile enim iis molestiis, quæ hominum vitam circumstant fatigatum iri, si non spem in eorum naturam Prometheus indidisset velut constantiæ medicamentum, quod cum degustaverint id, quod in expectatione est, eò certius putant, quod apparet, atque hæc tania vi prædita est, ut qui compedibus vinctus attinetur, simul atque gestienti animo sperare permiserit, è vestigio solvatur, & militet, & dimidiæ centuriæ præfectus sit, & paulatim centurio, inde imperator evadat, tum vincat, sacrificet, coronetur, mensam apponat, eamque, si lubeat, ficulam, aut si velit, persicam; interim pedum, & vinculorum obliviscitur, quandiu imperator esse vult*, sic ex *spe* suscipiuntur duriores labores, quod probat D. Basilius exemplo agricolarum, *quibus spes messium suffuratur labores*.

Quantùm ad *desperationis* quidditatem, illa patet ex allata descriptione, & ex dictis per antithesim de *spe*. Nascitur ergo *desperatio*, & præsupponit 1. inclinationem aliquam in bonum, aut malum, de quo desperatur. 2. cognitionem, seu apprehensionem impossibilitatis illius boni consequendi, aut mali vitandi. Et 3. inde appetitus cessat illud bonum prosequi; aut malum fugere, sed cum ægritudine, ac tristitia, quæ nascitur ex privatione insuperabili boni desiderati, aut incursione inevitabili mali noliti, ut colligitur ex Doctore. Hinc dicitur *animi defectio, fractio, & casus*; quæ sunt ejus effectus; nam ex his oritur *desitio*: vel *nolitio* positiva applicandi media ad consecutionem boni, vel vitandi mali, eò quòd apprehendantur ut inutilia; nam sicut per *spem* erigitur animus, & voluntas ad bonum cupitum prosequendum, qualiscumque sit arduitatis; ita per *desperationem* dejicitur, & cessat, non à cupiditate, seu desiderio, saltem conditionato boni, sed ab actibus prosecutionis, quam non putat possibilem

[1] *l. de insom.*

bilem sibi; sed ægrè id videt, cum tristitia, quia vellet non adesse illa, quæ imaginatur impedimenta insuperabilia.

Causæ autem *desperationis* sunt 1. ea apprehensio impedimentorum ut insuperabilium sive ex ratione, sive ex errore. Unde judicatur, consecutionem finis esse impossibilem. 2. pectoris angustia, & animi dejectio, & virium defectus, ex quibus fit, ut apprehendantur bona virtutis, aut animæ impossibilis consecutionis, & avertatur penitùs voluntas à volitione, & applicatione mediorum. 4. Atra bilis, & melancholia, quæ facit, ut hominibus, in quibus ille humor prædominatur, omnia tenebrescant, ita ut illic *trepident timore, ubi non est timor*, & atomi difficultatum illis appareant montes, & formicæ gigantes. Ad quod etiam juvat temperamentum frigidius, atque humidius, ut in fœminis. 5. crebræ calamitates passæ, quia ex illis experientiis animo elumbes redduntur homines, putantes eundem fore exitum cæterorum negotiorum, qualem experti sunt in præteritis. 6. Ignavia, de qua Chrysost. [1] *Quæ tandem radix est desperationis? Ignavia, inquam, imò quam quis non ineptè nominaverit non indicem tantum, sed vicissim illius quoque & parentem, & altricem. Quemadmodum in cadavere tabes gignit vermiculos, qui ab iis iterum augetur; ita est propemodum hoc loco; nam ignavia desperationem parit; ab hac mutuo illa nutricatur, adeoque dum servant inter se execrabiles vices dandi, accipiendique, confirmantur in potentiam haud mediocrem.*

Effectus autem sunt plurimi, iique funestissimi. 1. *mœror*, & *angor* animi major secundum mensuram amoris in bonum. 2. *abjectio* mediorum, & plerumque voluntatis retorsio in oppositum, ut qui de virtutis opere desperant, aut de salute in vitia se præcipitant, ut docet Apostolus de illis, qui *desperantes tradiderant se impudicitiæ*. *Quidam*, ait Augustinus *in peccata prolapsi desperatione plus pereunt, nec solum pœnitendi negligunt medicinam, sed ad explenda inhonesta, & nefaria desideria servi libidinum, & sceleratarum cupiditatum fiunt, quasi perdant, si non fecerint, quod instigat libido, cum eos*

[1] 1. *ad Theod. fin.*

jam maneat certa damnatio. 3. *securitas* aliquando nascitur ex *desperatione*, metu abeunte in stuporem attonitum: [1] *Mors admota etiam imperitis animum dedit vitandi inevitabilia; sic gladiator tota pugna timidissimus jugulum adversario præstat; & errantem gladium sibi attemperat.* 4. Hinc sæpe ex desperatione felix rerum exitus occurrit, & iis, quibus impendebat calamitas licèt desperabundis opes, animumque, & salutem contulit: quia frigefactus ex mœrore sanguis connisu desperationis, & æstu animum occupante recalescit, & per antiperistasim ita incenditur, ut animos supra vires sæpius suggerat. Ideò inconsultissimum semper fuit adversarios ita concludere, ut præcluso omni effugio, & desperata prorsus salute agantur velut in rabiem in concludentem. [2] *Audacia clausis crescit ex desperatione, & cum spei nihil est, sumit arma formido.... necessitas quædam virtutis est desperatio.*

Remedia *desperationis* erunt, si meliùs informetur intellectus, ne tam facile judicet impossibilia, quæ rationabiliter cupit consequi, aut vitare. 2. erigenda voluntas, & firmanda in proposito boni prosequendi, & mediorum usu. 3. Christianis adest consideratio providentiæ, ac misericordiæ divinæ. *Nam diabolus in varias cogitationes nos immittit, quò excludat in Deum expectationem* (inquit Chrysost. [3]) *hoc est anchoram tutam, substantiam vitæ nostræ, manuductionem in ea via, qua in Deum ferimur, salutem perditarum animarum: non est grave. Theodore charissime, cadere luctantem, sed jacere dejectum, non est perniciosum in prælio vulnerari, sed post vulnus acceptum desperatione curandi medelam ulceri denegare.* Proponit varia exempla eorum, qui post similes casus emerserunt ex similibus periculis, v. g. de navigantibus, qui post perpessa naufragia rursus navigio se exponunt, & feliciter veniunt ad portum; de Christianis, qui terrore crudelitatis negantes Christum, iterum certamini se exposuerunt, & coronam martyrii gloriosè receperunt. *Sæpe athletas videmus post frequentes lapsus, & dejectiones plurimas coronatos; militem quoque scimus post fugas multas fortem virum fuisse, & vicisse victores.*

Quæ-

[1] *Seneca Ep.* 30. [2] *Veget. l.* 3. & 4.
[3] *Paræn. ad Theodor.*

Quæres, *an spes reperiatur in brutis*.

Resp. affirmativè; quia in his reperiuntur dispositiones omnes ad talem affectum; propendent in bona etiam absentia, aut distantia; apprehendunt illa, & prosequuntur, & si nimium distantia videant, cessant à prosecutione; sic canis videns prædam currit ad illam; sed advertens eam esse nimis remotam, cessat à prosecutione; ergo, dum currit, sperat, &, dum cessat, atque regreditur, desperat.

Dices. *Spes* est de futuris; sed bruta non agnoscunt futura; ergo non habent spem.

Resp. dist. min. non agnoscunt sub formali, & præcisa ratione futuritionis, conc. min. non agnoscunt sub ratione absentiæ, saltem materialiter, & sufficienter ad prosecutionem aggrediendam, & sperandam consecutionem, neg. min. nam canis videns à longè leporem satis percipit, se illum non tenere, nec mordere, & aliter agit, ut assequatur, quàm dum illum tenet dentibus.

Sed de spe, & desperatione redibit sermo amplior, ubi de illa virtute, & hoc vitio.

QUÆSTIO IX.

De audacia & timore.

QUidam sumunt *audaciam* pro ipsa *spe* firma, & erecta; alii pro *carentia timoris*, quæ patet ex aggressione, vel expectatione eorum, à quibus imminet malum; alii pro *desiderio efficaci* talis aggressionis, & similiter *timorem*. 1. pro quolibet *recessu*, & *fuga mali* 2. pro *humilitate*, ac *dejectione animi*, ut cùm dicitur, *Initium sapientiæ timor domini*, quod de *humilitate* intelligit Scotus. 3. [1] *pro formidine* qua veremur malum imminens; sic metus *est futuri, & imminentis mali*, inquit August. quid importent in particulari supra reliquas passiones, breviter dicemus.

[1] 3.d.34.l.83.qq.35.

CONCLUSIO

Audacia sufficienter describitur motus appetitus, quo movetur ad prosecutionem boni, aut depulsionem mali ardui, non obstantibus gravibus periculis: Timor vero è contra est motus impressus appetitui ex apprehensione talium periculorum imminentium in prosecutione boni, vel fuga mali, sed non impossibilium.

Prob. breviter, quia non videntur hæ passiones meliùs explicari posse, secundum quod habent commune, aut differens inter alias: dicitur 1. *motus appetitus*, scilicet sensitivi, aut rationalis, per quod convenit cum aliis passionibus. 2. *Ad prosecutionem boni, aut depulsionem mali ardui*, & in hoc differt à concupiscitivis, & convenit cum aliis irascitivis. 3. *Non obstantibus gravibus periculis*, & per hoc *audacia* differt à *spe*, quæ non aggreditur præcisè talia pericula. Et per oppositas particulas scilicet, *ex apprehensione periculorum imminentium in prosecutione boni, vel fuga mali*, differt *Timor* à *desperatione*, quæ dejicit quidem animum propter difficultates, sed judicat invincibiles, *timor* verò non, sed perdifficiles.

Vides *audaciam* in hoc convenire cum *spe*, quod prosequatur bonum absens; sed habet objectum, seu opus valde arduum, & gravioribus difficultatibus obsitum, imò & periculis, quæ negligit. Respicit etiam malum gravius, & vitatu difficile; &, ni fallor, non videntur hæ passiones differre multùm essentialiter, sed ferè secundum magis, & minùs arduitatis. Ideò videntur oriri ex similibus causis, & habere satis similes effectus cum proportione; sed *audacia*, cùm propiùs accedat ad extremum excessus, facilè degenerat in *temeritatem*: præterea *spes* respicit tantummodo bonum ut finem; *audacia* verò bonum consequendum, & media, scilicet difficiliora adhibenda, & obstacula, quæ aggreditur vincenda propter consecutionem boni. Unde proprium objectum, seu potiùs scopus *audaciæ*, & actus ejus sunt despicientia difficultatum, & periculorum, & generosa eorum conculcatio; uno ver-

bo

bo est progressio ad bonum per pericula, & labores alacriter susceptos, ut pertingat ad finem optatum.

Hinc facilis est distinctio *audaciæ* à *timore*; utraque passio habet idem objectum materiale; idem bonum amatum, & consequendum, easdem difficultates, & pericula respiciunt; sed *timor* hæc reformidat, & fugit; *audacia* verò non veretur, sed potiùs contemnit, & aggreditur superanda; ille refrigerat; & dejicit animum, hæc eum erigit, & accendit ad eorum despectum.

Causat *audaciam* 1. ingens boni æstimatio; amor vehemens, & fortis; spes illud consequendi. 2. parvi pendentia impedimentorum, ac difficultatum. 3. gloria, vel aliud bonum ex eorum aggressione, & victoria. 4. juvat etiam existimatio efficaciæ, mediorum, & societas cooperariorum eandem aleam subeuntium. Propterea Diomedes castra hostium exploraturus socium postulabat dicens. *Si me alius vir sequetur, maior mihi spes, & audacia erit, euntibus simul duobus, alter ante alterum intellexerit; quid tandem utiliùs sit, solus verò & si intelligat, tamen ei tardior animus est, debilisque consilium.*

Audaciores ergo sunt 1. qui spem firmiorem concipiunt, & minoris ducunt pericula. 2. ii præcipuè, qui rectè se habent erga divina; putant enim, se divino fortes auxilio, *Justus est impavidus*. 3. inexperti, qui minùs æstimant pericula; *Imperitia audaces efficit; res considerata timore percellit*, ajebat Lucianus. Idem docebat S. Hieron. [1] *Eruditio timorem creat, imperitia confidentiam*. 4. juniores sunt audaciores, & seniores timidiores. De animalibus notat Aristoteles, [2] quòd *pavida sunt, quibus cor grandius; audentiora, fidentioraque, quibus est minus, aut mediocre; affectus enim, qui accidit ex metu, jam in eis præ est, quoniam calorem proportione cordis non habent, sed parum caloris in magno conceptaculo exolescit; itaque sanguis frigidior fit: cor magnum proportione lepori, cervo, muri, hyenæ, asino, pantheræ, mustellæ, & reliquis fere omnibus, quæ timida sunt, aut propter metum malefica. Simile in venis, atque ventriculis cordis evenit, sunt enim frigidiores, & venæ, & ventriculi ampliores; nam ut in parvo, & magno domicilio tan-*

[1] *Homilia.* 10. [2] *De par. animal. l. 4. cap. 4.*

tantumdem ignis non æque calefacit, sed minus in magno, sic in his calor non pariter agit.

Effectus *audaciæ* sunt satis noti, sicut & *timoris*: illa est ad virtutis opera promptior, quippe in arduo posita est; meticulosi verò vix umquam assurgunt ad aliquid illustre. *Audacia* igitur jaciturum erigit animum; & tædium, quod ex apparentibus virtutum difficultatibus oritur, abstergit. Et hoc, si moderata sit; nam si nimium illi habenæ laxentur, in oppositos abibit excessus, & in momento destruet omnia bona, quæ longo tempore parare potuit, ut facilè videre est in præliis, in quibus præcipitatior audacia ruinam causat.

Ad frænandam verò juvabit periculorum attenta perpensio, & propriæ imbecillitatis consideratio, quibus ardor nimius tepescet. Ante omnia necesse est se ipsum æstimare; *Quia fere videmur plus nobis posse, quã possumus*, inquit Seneca, [1] *æstimanda sunt deinde, quæ aggredimur, & vires nostræ cum rebus, quas tentaturi sumus, comparandæ. Debet enim semper plus esse virium in latore. quàm in onere, necesse est opprimant onera, quæ ferente majora sunt.*

Quoad *timorem* licèt accidat ex occasione, & ex apprehensione difficultatis ad bonum, tamen per se respicit malum ut vitatu difficile, & fere certò venturum, in quo differt à simplici *fuga*, sicut *audacia* per se respicit bonum futurum.

Dico, *ferè certò*, seu *probabiliter*, & quasi *infallibiliter* venturum; nam nisi subsit aliqua spes evasionis, erit potiùs desperatio, & tristitia, quàm timor: sic Christus non dicitur timere mortem, quam certò prævidet, sed tristari, *Cœpit pavere, & tædere; tristis est anima mea usque ad mortem*, quod maximè verum est de timore efficaci; non enim consultamus, nec remedia quærimus contra malum penitùs certum, ut facimus ex timore, ne accidat malum illud.

Obiicies 1. Bruta verè timent; sed bruta non percipiunt futura; ergo *timor* non est de malo futuro. Ant. patet experientia; nam, si rumor insonet, arrigunt aures, & suspensa hærent, si nihil præsens percipiant. Prob. min. ex dictis, quia futuritio non est obje-

[1] *De Tranquil. c. 4.*

objectum sensus, quod enim est, non potest ferire sensus. Idem objici potest de audacia, ut objiciebamus de spe.

Respondeo ut supra; non percipiunt futura sub ratione præcisa,& formali futuritionis, conc. min. materialiter, & velut absentia saltem imperfectè, neg. min. & id patet experientia: nam sæpe mala fugiunt, aut vitare satagunt, quæ non sunt præsentia, saltem in seipsis, nam verum est, illam apprehensionem excitari in sensu interno per aliquas species sensatas in externis. Sic ovis per antipathiam, & visa pelle, aut aliqua repræsentatione lupi timet, & fugit, licèt lupus revera non sit, nec quidquam inferat mali; sic canis conspecto baculo, vel loco, in quo percussus est, fugit, licèt nihil tunc inferatur mali per baculum, vel in loco; ergo ex malo præterito timet futurum.

Timoris species assignant septem Philosophi; nempe 1. *segnitiem*, quæ dicitur fuga impendentis actionis, quæ apprehenditur ut molesta. 2. *est pudor*, qui est timor labendi, & vituperationem incurrendi. 3. *verecundia*, quæ est timor infamiæ ob admissam turpitudinem; confunduntur sæpe hæc duo. 4. *Admiratio*, quæ est timor ex specie insolita mali; sed aliquando, & magis propriè significat desiderium noscendi causas effectus noti; ideò dicitur mater Philophiæ 5. *agonia*, seu *angor*, & est timor ex malo improviso, cui provideri non potest, vel, ut placet aliis, est timor ne, quod aggressi sumus, non cadat ex sententia. 6. *stupor*, & est timor ex ingenti imaginatione, aut specie rei oblatæ menti. 7. *terror*, & est timor ex insuetæ speciei occursu.

Mitto aliam divisionem *timoris* in *servilem*, *filialem*, & *mundanum*, atque *initialem*, de quibus aliàs.

Inter *timoris* effectus maximè notatur præcox, & anticipata miseria, sicut *spes* aliquo modo anticipat felicitatem, nam., ut ait Nazianzenus, [1] *quod quisque pati extimescit, id passus est, etiam si non patiatur, graviusque à se fortasse, quam ab iis, qui supplicium inferunt, torquetur.* Quod docuerat Seneca, [1] *calamitosus est animus futuri anxius, & ante miserias miser, qui sollicitus est, ut ea, quibus delectatur, ad extremum usque*

[1] *Orat.2.in Jul.* [2] *Ep.98.*

usque permaneant. *Nullo enim tempore conquiescit expectatione futuri, qui præsentia, quibus frui poterat, amittet; in æquo autem est dolor amissæ rei, & timor amittendæ*, imò plus mala expectata cruciant, quàm præsentia, dicebat Diogenes apud Stobæum, [1] *Omnia quidem dura naturaliter magis exterrent expectantes, quam contristant expertos, ut est paupertas, exilium, vincula, ignominiaque, mortis autem si quis abstulerit metum, nihil illi relinquitur difficile*. 2. alii effectus sunt *demissio animi, sui ipsius abiectio, suspicio, conturbatio, consternatio, torpor, odium, quem enim metuunt oderunt* (inquit Tullius) [2] *desperatio*, & si spes affulgeat lenimenti, *assentatio*, & *adulatio*, *sollicitudo* ad omnia tentanda, & curanda, ut impendens malum avertatur. 3. denique eò crescit *timor*, ut in insaniam vertatur, & hæc causat, cum immoderatus est: sed 4. *timor* moderatus *circumspectos, obedientes, ac ordinatos* reddit. Patet in nautis, qui quandiu nihil timent, nullo ordine cuncta peragunt; cum verò aut tempestatem, aut bella suspicantur, non modo facillimè, quæcumque eis dicantur, perficiunt, sed etiam cum magno silentio attendunt, quid eis præcipiatur, &c. Philosophus notat, quòd *timor* ad consulendum inducit, imò & acuit rationem ad excogitandum, capiendumque consilium. 5. quandoque operationem reddit perfectiorem, quia facit animum magis intentum: & attentum in iis, quæ facit, & in se magis collectum. Ideò monet Apostolus, [3] ut *cum timore, & tremore salutem nostram operemur*, & David [4] postulat: *Confige timore tuo carnes meas*. Dico, *quandoque*, nam aliquando etiam impedit operis perfectionem ex nimia contractione, ac perturbatione animi, & ideò facit in membris tremorem. Est enim *timor passio causans contractionem*, ex Damasceno. [5] 6. facit *tremorem* in membris, & dissolutionem membrorum, ut notat Philos. [6] *Cur voce, & manibus, & labro inferiori tremunt qui metuunt? An quoniam hic affectus caloris defectio est, locis superioribus est, ex quo ut palleant accidit? Quod igitur calor pectus deserit,*

[1] Ser.8. [2] Xenophon, 3. de dictis sap.
[3] Philip. 2. [4] Ps. 118.
[5] 3. de fide 3. c. 23. [6] 20. probl.

serit, *vox obtremit*; *id enim refrigeratur*, *quod vocem movet*, *& manus quoque pari sunt ratione*: *utpote quæ ex pectore pendeant*, &c. 7. causat etiam *frigus*, & *sitim*; *Cur metuentes algent*, *& sitiunt*, *quæ quidem affectiones adversæ inter se sunt*? *An algent refrigerati*, *sitiunt calefacti*? *Calor enim in metuendo superiora deserit loca*, *quòd facie*, *alvoque constat*; *facies enim pallet*; *alvus interdum funditur*, *ergo quòd calor locis superioribus deficit*, *algor oritur*, *quod humor deficit*, *sitis exultat*.

Remedia sunt 1. eadem, quæ amoris, odii, tristitiæ, & desperationis, quia moderatis illis facilè moderatur & iste, qui ex illis nascitur; *Qui angitur animi dolore*, *necesse est metu agitetur*, *quia quorum malorum præsentium est anxietudo*, *eorum est metus imminentium*, inquit S.August.[1] & idem dicit de amore, *Dùm nihil aliud sit cupiditas*, *quàm amor rerum transeuntium*, *metuat necesse est*, *ne amittat eas*, *cum adeptus fuerit*, *aut non adipiscatur*; ergo, mitigata cupiditate, & tristitia, mitigatur timor. 2. consideranda dignitas, & gloria, quæ lucet in virtute constantiæ, & magnanimitatis, qua inclinamur ad mala contemnenda, aut fortiter ferenda, sic enim non mediocriter tranquillatur animus: [2] *Qui moderatione*, *& constantia quietus animo est*, *sibique ipse placatus*, *ut neque tabescat molestiis*, *neq; frangatur timore*, *nec sitienter quid appetens ardeat desiderio*, *nec alacritate futili gestiens deliquescat*, *hic est sapiens*, *quem quærimus*, *is est beatus*, *cui nihil humanarum rerum aut intolerabile ad demittendum animum*, *aut nimis lætabile ad efferendum videri potest*. *Quid enim ei videatur magnum in rebus humanis*, *cui æternitas omnis*, *totiusque mundi nota sit magnitudo*, vel deponenda, vel minuenda mali imminentis opinio, rationes excogitando, quibus persuadeamur aut non esse verè malum, aut non esse grande, nec quantum apparet, ne de nobis dicatur, [3] *illic trepidaverunt timore*, *ubi non erat timor*: nam, ut ait Seneca; [4] *plura sunt*, *quæ nos terrent*, *quam quæ nos premunt*, *& sæpius opinione*, *quàm re laboramus*; *illud tibi præcipio*, *ne sis miser ante tempus*, *cùm illa*, *quæ velut imminentia expavisti*, *fortasse*

num-

[1] *Ibid.q.7.* [2] *Cicer.Tusc.4.*
[3] *Ps.15.* [4] *Ep.13.*

numquam ventura sint; *certè nondum venerunt*. *Quædam nos magis torquent, quàm debeant; quædam ante quàm debeant, quædam cum omninò non debeant*, 5. considerandum, quàm irrationabiliter excruciemur malis nondum præsentibus, *sufficit diei malitia sua*, docebat Christus D. [1] *quid necesse est mala accersere, & satis citò patienda cum venerint, præsumere, ac præsens tempus futuri metu perdere? Est sine dubio stultum, quia, quandoque sis futurus miser, esse jam miserum* ajebat Seneca [2] 6. Summè juvat conjunctio intima cum Deo per charitatem, studiumque pietatis firmata. Sic timorem leniebat David. [3] *Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo?* Et, [4] *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem*. Quod ipse Arist. [5] novit dicens, *intrepidos esse, & confidentes, qui pii sunt in Deum*.

QUÆSTIO X.

De ira, & mansuetudine.

LIcèt communiter Philosophi nullam passionem opponant *iræ*; tamen per occasionem aliquid de *mansuetudine* dicemus, quæ illi videtur contraria: Porro *ira* est præcipua inter passiones irascitivas; unde appetitus, in quo illa est, dicitur *irascibilis*. Et sumitur 1. pro ipso actu irascendi seu vindicandi: unde *actus irascibilis est irasci*, inquit [6] Doctor. 2. pro ipso effectu *iræ*, seu pro vindicta ipsa, ut cum legitur. *Ira Dei ascendit super eos*, scilicet effectus iræ divinæ, ac vindictæ ejus. 3. pro affectu, seu motu, quo appetitus movetur ad vindictam, & in hoc sensu describitur physicè ab Aristotele, [7] *accensio sanguinis circa cor*, & logicè, *cupiditas doloris rependendi*, vel *appetitio cum dolore conjuncta ejus, qui appetit ultionem, propter eam, quæ appparet despicientiam vel in se, vel in suorum quempiam non convenienter*. Denique, *appetitus recruciationis* à Lactantio, libido ulciscendi. A Possidonio, *cupiditas puniendi*

[1] *Mat.6.* [2] *Ep.74.* [3] *Ps.26.*
[4] *&* 124. [5] 2. *Rhetor.*
[6] 3.*d.*34.*F.n.*10. [7] 2. *Rhetor.*2.

niendi eius, à quo te putes læsum. A Seneca, [1] *concitatio animi ad ultionem voluntate, & judicio pergentis*; quæ omnes definitiones in eundem coeunt sensum.

Mansuetudo, seu *mititas* aliquando sumitur pro virtute, & à Tullio definitur *virtus animi utrumque mundi statum æqua lance pensans*, & à Scoto [2] *mansuetus* dicitur, *qui exequitur injuncta sine murmure*, & sic coincidit cum obedientia, & derivatur à *mansuesco*, quasi *manu assuesco*, metaphora ducta à feris, quæ domesticæ fiunt, ac familiares & de feritate remittunt per manus assuetionem; aliquando verò pro motu, seu passione, qua mitigatur *ira*; unde ab Arist. dicitur *sedatio iræ*: de utraque agitur, prout sunt passiones appetitus irascibilis.

CONCLUSIO.

IRa est passio appetitus irascibilis proveniens ex malo apprehenso ut vindicando; mansuetudo verò est passio proveniens ex malo apprehenso ut tolerando, seu contemnendo per vindictæ nolitionem.

Prob. 1. ex Scoto, [3] *Irasci*, inquit, *est appetere vindictam secundum rationem apparentem propter apparentem parvipensionem. Objectum irascibilis est vindicabile, seu punibile, quod posset dici irascitivum, seu offendes*; & pro *mansuetudine* dicit, quòd *habitus, quo homo disponitur ad non repellendum repellenda, sed ad sustinendum, dicitur patientia, & quia difficilius est non repellere offendens, quàm repellere, ideò patientia est nobilissima fortitudo, juxta illud Poetæ: nobile vincendi genus est patientia, vincit enim qui patitur*; ergo ex Scoto *ira* ut passio, & *patientia*, seu *mansuetudo* illi opposita sufficienter explicatur.

Prob. 2. ex S. August. [4] *Quid est ira. Libido vindictæ. Quid odium ira inveterata si facta est, jam odium dicitur. Quod videtur confiteri ille, qui cum dixisset, turbatus est in ira oculus meus, addit, inveteravi in omnibus inimicis meis, quod erat ira, cum esset nova, odium factum est, cum esset in vetustatem conversum: ira festuca est, odium trabs est, &c.*

Prob.

[1] *De ira Dei c.17.* [2] *1.de offic. Ibid.P.n.21.*
[3] *Ibid.F.n.10.* [4] *Hom.5.40.42. & 5.*

Prob. 3. Quia non potest meliùs explicari natura hujus passionis, prout cum aliis convenit, & ab illis differt. 1. *est passio appetitus*, per quod convenit cum aliis omnibus. 2. *ex malo apprehenso*, & sic convenit cum *odio*, sed differt à *spe*, & *audacia*, quæ sunt etiam circa bonum consequendum. 3. *ut vindicando*, & per hoc differt tum ab *odio*, tum ab aliis, quæ sunt aliquo modo circa malum; nam propria ratio hujus passionis est referre malum, & vindicare & per hæc patet de *mansuetudine*, seu *patientia*.

Objic. Judex, qui punit reos, & peccata, non dicitur irasci, & tamen respicit malum ut vindicandum; ergo non benè definitur *ira* per appetitum vindictæ. Prob. conf. alioqui justitia punitiva pertineret ad appetitum irascibilem, & esset passio *iræ*.

Resp. conc. ant. Non dicitur quidem propriè irasci, benè verò largè: nam Deum corripientem orabat David, *Ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*; ideò neg. conf. non enim *ira* respicit tantùm offendentem, ut vindicet, & rependat malum, sed id facit per motum, qui est passio, idest cum aliqua alteratione corporis, aut animi, quod est propriũ omni passioni. Passio ut passio non est neque moderata, neque immoderata, sed ad utrumque extremum apta, & indifferens; *ira* verò in judice est moderata per virtutem justitiæ, & denique virtus ista, etiam ut vindex, non respicit tam præcisè, & solitariè vindictam, quin etiam respiciat bonum virtutis, & honestatem, ac salutem publicam, & emendationem peccantis; hæc autem non sunt in *ira*, de qua agimus.

Inst. Saltem non differt à *desiderio*, seu ab appetitu vindictæ; ergo vel non est passio distincta à *desiderio*, vel non benè sic explicatur.

Resp. neg. ant. *Ira* enim respicit malum ut vindicabile, & vindictam desiderat ut bonum aliquod irascentis. 2. *desiderium* sæpe est inefficax, non autem *ira*, 3. *desiderium* est sine dolore; non *ira*.

Objic. 2. *Ira* non differt ab odio; *Particulam quandam odii debemus iram æstimare*, ait Phil. [1] ergo vel illa definitio debet *odio* convenire, vel non est bona.

Respond. neg. ant. & ad Phil. dico, eum velle tantùm, quòd *ira* habeat affinitatem cum odio, quod est passio

[1] 5. *Polit.* 10.

passio generalior, & multas similes actiones causat: sed revera in multis differunt. 1. enim *odium* est pura aversio circa malum, & malum unicè respicit: *ira* verò potiùs vindictam, & repensionem mali, quam æstimat ut bonum quoddam. 2. *odium* ex quovis malo nascitur, *ira* verò præcipue ex contumelia, vel despicientia, seu parvipensione, ut dicebat Scotus. 3. *odium* est de se lentius, & durat: *ira* magis fervet, & citiùs transit. 4. *odium* respicit malum cujuscumque sit: *ira* verò malum ut nobis, aut alicui nobis aliqualiter conjuncto. 5. *Odium* potest esse absque dolore, non verò *Ira* saltem donec habeat actum perfectum; nam irascens tristatur, donec perfecerit vindictam, *ira cum dolore fit*, inquit Philos. *quare non facile utitur ratione; odium vero sine dolore*. 6. Denique potest esse *ira* sine *odio*, *Sæpe invenimus irasci patrem filio. Patrem odisse filium difficile inveniens, filio, quem diligit, potest irasci pater, irascitur, & amat, potest dici; odit, & amat, non potest dici*, ait August. [1]

Iræ species, seu quasi species principaliores sunt 1. *fel*, quæ est ira subito excandescens. 2. *mania*, quæ est ira permanens, & diuturna, nomenque sumit à manendo. 3. *furor*, quæ ira non quiescit, donec sumatur vindicta. Dico, *quasi species*, quia non differunt nisi accidentaliter, ut vides. Alii numerant *rixam tumorem mentis, contumeliam, clamorem, indignationem, blasphemiam, bellum, maledictionem & seditionem*, quæ sunt effectus *iræ*: causæ plures ab Arist. dantur, præcipuæ sunt *despicientia*, & *dolor*, seu *tristitia* inde concepta. *Contristatur iratus, & arbitratur se par ripendi*. *Despicientia* ponitur præ cæteris malis, quorum illatio movet dolorem, & per dolorem iram, quia præcipua est, non quia sola. Unde qui contemptui sunt sensibiliores, ut pauperes, corpore, & animo debiliores, ut fœminæ, sunt ad iram faciliores.

Qui natura sunt tristes, malè affecti, seu ægri, biliosi, & sanguine ardentiori, & melancholici ut facillimè offenduntur, sic & irascuntur.

Item & aquæ potatores; quia tenuiores habent spiritus; ideoque citiùs incenduntur ira, timidiores

[1] *Hom. 5. ex 50.*

res verò tardius, & difficilius moventur, quia modici sunt sanguinis, ac frigidioris; qui verò sunt bonæ valetudinis, & sanguine abundant, non facilè irascuntur, quia non tam citò se offendi putant.

Effectus sunt horridissimi, & teterrimi: plures enumerat Seneca, [1] *Videndum est, quàm multis ira per se nocuerit: alii nimio fervore rupere venas, & sanguinem supra vires elatus clamor egessit, & luminum suffudit aciem in oculos vehementius humor egestus, & in morbos ægri recidere. Nulla celerior ad insaniam via est. Multi itaque continuaverunt ira furorem, nec, quam expulerant, mentem unquam receperunt. Aiacem in mortem egit furor, in furorem ira; mortem liberis, sibi egestatem, ruinam domui imprecantur, & irasci se negant non minus, quàm insanire furiosi; amicissimis hostes, vitandique charissimis; legum, nisi quia nocent, immemores; ad minima mobiles. Non sermone, non officiis adire faciles omnia per vim gerunt; gladiis & pugnare parati; & incumbere. Maximum malum illos cepit, & omnia exuperans vitia: alia paulatim intrant; repentina, & universa vis hujus est; omnes denique alios affectus sibi subjicit: amorem ardentissimum vincit; transfoderunt itaque amata corpora, & in eorum, quos occiderant, jacuere complexibus. Avaritiam durissimum malum, minimumque flexibile ira calcavit adacta opes suas spargere, & domui, rebusque in unum collatis injicere ignem. Quid? Non ambitiosus magno æstimata ira projecit insignia, honoremque delatum repulit. Nullus effectus est, in quem non ira dominetur.* Greg. Nyss. [2] notat per *iram* hominem transire in feram; *Sicut fabulæ per medicamentorum quorundam potionem in brutorum animalium species naturam transmutari fingunt, ita virum cum ira efferbuerit repente videre licet aprum, aut canem, aut pantheram, aut aliam quampiam similium ferarum ab ira factum esse. Oculi sanguine suffusi sunt, capillus erectus surgit, & inhorrescit; vox aspera, ac verbis incitata; lingua perturbatione torpens, & non subserviens motibus intestinis; labia constricta, & non articulate verba exprimentia, neq; cohibentia in ore præ perturbatione innatum*

[1] *2. de ira. c. 36.*
[2] *Orat. 2. in beati.*

tum humorem, sed indecore spumam simul cum voce expuentia. Tales manus, tales pedes, talis corporis dispositio tota, &c. & ad effectus spirituales transiens subdit, *Ita quietem mentis subtrahit; suam sancto Spiritui habitationem claudit*, &c. Energumenis comparat; & *iram* pingit velut dæmonem, *Iracundiæ dæmon non irritos corporis efficit motus*.

Tanti mali remedia efficacissima deberet suggerere tam horrenda species, & maximè damna tum animi, tum corporis, quæ suo infert hospiti, *Ne irascamur, præstabimus, si omnia vitia iræ nobis subinde proposuerimus.* inquit Seneca, [1] *& illa æstimaverimus bene: accusanda apud nos, damnanda, perscrutanda ejus mala, & in medium protrahenda sunt, ut, qualis sit, appareat, comparanda cum pessimis est*, &c.

Suggerit & aliud, nempe turpitudinem vindictæ, & gloriam patientiæ; [2] *Indignatio*, inquit, *cum a nimio sui suspectu veniat, & animosa videatur, pusilla est, & angusta, nemo enim non eo, à quo se contemptum judicat, minor est; at ille ingens animus, & verus æstimator sui non vindicat injuriam, quia non sentit, ut tela à duro resiliunt, cum dolore cædentis solida feriuntur, ita nulla magnum animum injuria ad sui sensum adducit, fragilior eo, quod petit, quanto pulchrius velut nullo penetrabilem telo, omnes injurias, contumeliasque respuere! ultio doloris confessio est, non est magnus animus, quem incurvat injuria*; quod sic dilemmate probat. *Aut potentior te, aut imbecillior læsit; si imbecillior, parce illi; si potentior parce tibi; nullum est argumentum magnitudinis certius, quam nihil posse, quo instigeris, accidere.*

Mitto alia innumera, quæ patent in Scripturæ libris sacris, & apud SS. PP. sicut & *mansuetudinis* elogia, & incentiva, quæ jam satis patere possunt ex horrenda contrarii effigie, & præterea de illa occurret sermo inter virtutes. Hanc sic describit S. Hieron. *Mansuetus, seu mitis est, qui nec irritat, nec nocet, nec nocere cogitat, & qui nec ira, nec furore afficitur*; & quanti meriti sit vel inde colligitur, quod ejus inter cæteras virtutes magistrum, & normam sese exhibuit Christus Salvator Divinus. [3] *Di-scite*

[1] *Ibid.* [2] *Ibid.* [3] *Matth.* 11.

Scite à me, quia mitis sum, & humilis corde, quod ante promiserat per Psalmistam. [1] *Diriget mansuetos in judicio*. Hanc suasit præmii promissione, *mansueti hæreditabunt terram*. Et, *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*. Soli mansueti videntur salvandi, *salvos faciet omnes mansuetos terræ*. Et, *Exaltabit mansuetos in salutem*. Et hæc de passionibus plusquam satis; nec tamen pigeat Tyronem hæc legisse, qui vix unquam scientiæ moralis præcepta probè percipiet, aut ad praxim eorum proficiet, qui passionum humanarum naturam, causas, & effectus non tenuerit. Ad alia transeamus.

DISPUTATIO IV.

De habitibus in genere.



PASSIONES sunt velut principia materialia, & naturalia actuum humanorum, & scientiæ moralis, quia circa eas moderandas tota versatur; Habitus verò sunt actuum eorumdem comprincipia intrinseca, & effectiva, & simul effectus in potentiis: nam primi actus generant habitus, & isti concurrunt ad posteriores, quatenus ex actibus generantur habitus, videbatur priùs agendum de illis, quàm de istis; sed quia ab istis pendent etiam actus, solent auctores priùs agere de habitibus in genere, sive ad malos, qui sunt vitia, sivè ad bonos, seu virtutes descendunt. Utcumque sit, hunc locum habitibus in genere destinamus: quia eorum cognitio pernecessaria est Philosopho, & Theologo morali.

[1] *Psal.* 24. & 36. & 75. & 149.

QUÆSTIO I.

An, & quid sit habitus, & quotuplex?

HAbitus nomen non sumitur hìc neque pro *alicuius rei possessione*, quæ opponitur privationi; nec pro *vestitu* corporis, quo sensu spectat ad ultimum prædicamentum; sed pro *qualitate perfectiva potentiæ* in operando, & dividitur 1. in habitum *infusum*, qui nobis à Deo conceditur sine labore, vel arte ex parte nostra; & *acquisitum*, qui per artem, ac repetitos actus in nobis generatur; datque potentiis faciliùs, & potentiùs operari, pertinetque ad primam speciem qualitatis, quæ est permanens, ac difficulter mobilis, qua homo bene, vel male se habeat spectata primario ejus natura, vel operatione, ut loquitur Arist. [1] *Habitus eos appello, quibus vel benè, vel malè ad effectus nos habemus, ut ad irascendum si vehementer, vel remissè malè, si mediocriter benè*: & ita explicat August. [2] ipse, *est habitus, quo aliquid agitur, cùm opus est: cùm autem non agitur, potest agi, sed non est opus*; Et de hoc *habitu* jam aliqua prælibavimus in Metaphysica.

CONCLUSIO I.

NOn dantur habitus in potentiis vegetativis, nec in sensitivis, benè verò in membris corporeis, & in potentiis internis tam cognoscitivis, quàm appetitivis tum materialibus, tum spiritualibus.

Prob. 1. ex Scoto [3] docente, quòd *habitus non generatur in naturaliter inclinatis, sive in summe determinatis ad unum, sicut non generatur in gravi per quotiescumque descendere ratio descensus; nec generatur in violenter motis per quotiescumque moveri sicut patet de lapide moto sursum; sed generatur in potentiis de se indeterminatis ad actum, per actum frequenter elicitum*. In quo habes regulam, & principium generale ad discernendum, in quibus potentiis ponendi sunt habitus, & in quibus non sunt ponendi. Nam

[1] 2. *Ethic.* [2] *de bono conjug.* 2.
[3] 2. *d.* 3. *q.* 10. *K. n.* 18.

potentiæ vegetativæ, & sensitivæ exteriores sunt prorsus ex se determinatæ ad unum, agunt ex determinatione naturæ; & ad summum, quod possunt: non ita est de aliis: ergo illæ sunt incapaces *habituum*, & istę capaces. Prob. conſ. nam ex communi sententia, non dantur *habitus* nisi ad promptiùs, faciliùs, & perfectiùs, ac intensiùs operandum; ergo potentiæ, quæ non sunt de se indifferentes ad promptiùs, vel tardiùs, ad faciliùs, vel difficiliùs, ad perfectiùs, vel imperfectiùs operandum actus suos, non sunt capaces *habituum*, benè verò aliæ. Quod docet [1] in particulari de potentiis externis: nam *expertus ex frequenter agere habet habitum in potentia motiva, qua exercet operationem, vel forte in membro, quo agit, ut citharista exercitatus in manu.* Et clarius alibi; [2] *Conceditur, quod in parte corporis potest esse virtus, & habitus; sicut patet in manu scriptoris, & pictoris*: & id concedit etiam de brutis, & de *equo ad actus quosdam, ad quos est assuefactus*. De *habitibus* intellectus, & voluntatis non est difficultas, quin eos ubique doceat, aut supponat. [3] *Actus est naturaliter generativus habitus per hoc, quod naturaliter relinquit suam similitudinem in passo; ergo quanta est differentia actuum, tanta, & habituum*, &c.

Prob. 2. per partes, & 1. de sensibus externis, quia non experimur in eis augeri facilitatem sensationum præcisè ex frequentatione actuum; ergo nec quòd ex eis generentur habitus. Prob. ant. nam licèt ex diversa dispositione oculi v.g. modò meliùs, & clariùs, modò ægrius, & obscurius videat lucem, & objecta, id tamen non venit ex frequentatione actuum videndi.

Confirmatur. Quia sensus externi agunt necessariò, & naturaliter suas sensationes circa objecta sibi applicata; ergo semper agunt quantùm possint ex determinatione naturæ; ergo frustra in eis ponerentur *habitus*, quibus perficerentur ad promptiùs, & faciliùs, & perfectiùs sentiendum; non enim ex eo, quòd sæpe vidimus, vel audivimus sensus videndi, & audiendi accepimus: & idem est de vegetativis, & nutritivis, nullam enim videmus facilitatem, vel perfectionem ad vegetationem, vel nutritionem acquiri ex

[1] 1. *Metaph.* q. 6. n. 4. [2] 3. d. 33. M. ad 5. [3] *Me.* q. 1. n. 4.

ex frequentiori usu ciborum.

Prob. de reliquis potentiis ex eodem principio Scoti; Nam tam membra externa corporis, quàm potentiæ internæ cognoscitivæ, & appetitivæ rationales, aut irrationales sunt de se perfectibiles in suis operationibus ad eas promptiùs, aut faciliùs, aut intensiùs, aut perfectiùs præstandas; ergo sunt *habituum* capaces. Prob. ant. experientiis quotidianis de singulis. 1. patet de membris experientia adducta de citharedo, scriptore, & pictore, qui perfectius, vel imperfectius, & faciliùs, vel difficiliùs operantur in artibus illis, quò sunt plus, vel minùs exercitati, saltem cæteris paribus. 2. de potentiis internis cognoscitivis: nam, ut dicit Philos. [1] *consuetudo multum confert ad benè memorandum*; & quo magis exercitatur memoria, eò promptiùs, & faciliùs retinet cognita. 3. patet de appetitu sensitivo, maximè in homine, qui dum assuescit circa sensibilia occupari, difficiliùs ab eis retrahitur, & majori cum propensione illa prosequitur. 4. Patet utrumque in brutis; videmus enim illa de novo assuefieri pluribus actibus, quos intensiùs, & promptiùs, ac faciliùs exercent post aliqualem usum, ac exercitationem: ideò disciplinitatem aliquam eis convenire dicit Philos. [2] & D. Aug. dicit, ea *per consuetudinem fieri mansueta, & domita*. 5. denique de intellectu, & voluntate, tum ex dicendis de fide, & charitate, quæ sunt habitus supernaturales, tum de prudentia, & scientia, opinione, fide acquisita, & virtutibus moralibus, quæ in illis potentiis rationalibus admittuntur; ergo dantur *habitus*, & quidem in illis omnibus potentiis.

Objic. 1. contra 1. p. experientias 1. quidam assuefiunt quibusdam cibis tam in quantitate, quàm in qualitate, quibus aliàs non vescerentur. 2. plantæ assuefiunt certis irrigationibus, quæ si omittantur, arescunt istæ, non autem aliæ. 3. ex usu possunt aliqua objecta placere, quæ priùs non placebant, ut patet de visu, & gustu; ergo potentiæ sensitivæ, & nutritivæ sunt habituales.

Resp. neg. cons. Neque enim illa mutatio, qua cibis aliquando utimur, quibus antea non utebamur, & objectis delectamur, quæ antea displicebant, ve-

[1] *De memor.* [2] *1.meteor.l.83.q.q.6.*

nit ex aliquo habitu per illos usus acquisito, sed ex mutatione temperamenti: v. g. qui solet parum comedere, sic debilitatur, ut tractu temporis teneatur cum eadem parsimonia nutriri, nec possit comedere defectu caloris, & propter contractionem vasorum; sic plantæ ex frequenti irrigatione temperamento fiunt fluido, ac tenuiori, quod, nisi continò humectetur, facilè evanescit. Quantum ad objecta idem dicendum est, nec id venit immediatè ab ullo habitu contracto per usum illum, sed ex immutatione qualitatum aliquot in sensu, vel ex apprehensione, & habitu contracto in sensu interno, in quo non negamus habitum.

Objic.2. Tam lapis est capax velocioris, aut facilioris descensus, & aer facilioris ascensus, quàm manus aut pes, aut lingua perfectiorum actuum; sed hæc capacitas in membris arguit habituabilitatem; ergo & in sensibus, ac etiam in elementis, & non viventibus respectu motuum. Min. prob. ex fundamentis nostræ conclusionis; nam inde probamus existentiam habituum in membris, ac potentiis externis.

Resp. dist. min. Capacitas activa perfectiorum actuum arguit habituabilitatem, conc. min. actuum non activorum, neg. minorem: descensus lapidis venit quidem à gravitate, & ascensus aeris à levitate; sed illi motus non sunt activi, nec productivi; & si perficiuntur, vel augentur, id venit ex perfectiori gravitate, vel levitate, vel alia mutatione facta in re, vel in medio; numquam enim aliam mutationem experimur in illis actibus, vel motibus, nisi ex tali mutatione intrinseca, vel extrinseca qualitatum.

Objic. contra 2. p. [1] Si darentur *habitus* in membris, vel potentiis externis, vel internis humanis, darentur in brutis; nam in his æquant homines; sed *habitus* non dantur in brutis; ergo neque in illis potentiis humanis. Prob. min. nam *habitus* est, *quo utimur cum volumus*, ex Phil. sed hæc libertas non est in brutis, *quæ non ducunt, sed ducuntur*, ex D. Damasc. [2] ergo nec habitus.

Resp. neg. 1. min. & dist. maj. prob. habitus est, *quo utimur, cum volumus*, si est habitus humanus, & moralis, conc. maj. si est naturalis, ut in brutis, neg. maj.

[1] *Ayer.3.de I.n.c.18.* [2] *2.de fide c.22.*

maj. & conſ. nam [1] *appetitus ſenſitivus non ducit, ſed ducitur, quia non dominatur ſuæ actioni, ut appetitus liber, & tamen eſt habituabilis*; ergo ita eſt de brutis, & potentiis ſenſitivis tam externis, quàm internis.

Inſt. Potentiæ iſtæ, & maximè in brutis determinantur ab objectis ad unum, & neceſſariò; ſed quod eſt ſic determinatum, & agit neceſſariò, non eſt habituabile; ergo nec iſtæ potentiæ de ſe, & maximè in brutis.

Reſp. diſt. maj. Determinantur ab objectis, ita ut circa illa non ſemper eodem modo, nec eadem facilitate, & perfectione ferantur in illa, con. maj. & neg. min. ita ut ſemper eodem modo ferantur, neg. maj. & conſ. nam licèt equus ſit determinatus ad aliquod objectum, & aliquem motum, tamen ex uſu & exercitio perficitur in illis motibus, in quibus antea durior, ac difficilior erat.

Objic. contra 3. p. & 1. de intellectu: quia fruſtra, & abſque neceſſitate poneretur in intellectu aliud, quàm objectum, vel in ſe, vel in ſpeciebus; ergo in intellectu nulli ſunt habitus perficientes eum ad actus ſuos præter ſpecies impreſſas in his, quæ noſcit abſtractivè. Prob. ant. intellectus eſt potentia prorſus determinata, & naturaliter agens, neque ad hoc eget alio, quàm præſentia, & applicatione objecti, ſicut de oculo, vel alio ſenſu: ſed in potentiis ſic determinatis, & agentibus non admittimus *habitus*; ergo nec in intellectu: & hoc patet maximè circa prima principia, quæ cùm ſint per ſe evidentia, & nota, ſemper intellectus habet circa illa actum ſummè perfectum, & intenſum ad extremum facultatis ſuæ.

Reſp. neg. ant. & diſt. maj. ſimpliciter, & abſolutè eſt determinatus, & naturaliter agens, & quantum eſt de ſe, conc. maj. & neg. min. eſt determinatus ſecundum quid, ſcilicet ad perfectiſſimè, ſeu promptiſſimè agendum circa objecta, neg. maj. quia patet experientia, quòd intellectus perficitur in ſuis operationibus per ſpeculationem, & uſum dividendi, definiendi, & argumentandi, ſaltem promptè, & ordinatè, ac perfectè: nec id faciunt ſpecies rerum etiam quocumque modo ordinatæ; nam ſpecies ejuſdem propo-

[1] 1. *d.* 17. *q.* 2. *T.*

fitionis objectivæ in duobus intellectibus, quorum unus non habeat habitum ullum ratiocinandi, & alter habeat, iste longè perfectiùs intelliget, quàm ille, species ut species dant agere simpliciter, *habitus* verò naturalis, & acquisitus dat tantum agere secundum quid, scilicet promptiùs, faciliùs, perfectiùs, & hoc verum est etiam circa prima principia. Nam Philosophus perfectiùs intelliget hanc propositionem, *Totum est maius sua parte*, quàm rusticus. Intellectus ergo ex se non habet summam determinationem ad perfectissimos, & intensissimos actus; potest enim intensiores, aut remissiores habere secundum dispositiones, & habilitates accidentales; ut sunt *habitus*.

Objic. denique de voluntate; nam *habitus* tollerent ejus libertatem quoad actus, in quos influerent; ergo non sunt admittendi in voluntate, quia officerent, non verò juvarent. Prob. ant. *Habitus* agunt naturaliter, & non liberè; ergo officerent libertati.

Resp. neg. 1. ant. & dist. 2. sunt causæ naturales subordinatæ voluntati, quæ est libera, conc. ant. non subordinatæ, neg. ant. juvant itaque, & inclinant appetitum, & voluntatem, ita ut facilius, & perfectiùs per illos operetur; sed illa semper domina est, & non operatur per illos nisi volens.

CONCLUSIO II.

H*Abitus naturalis describitur qualitas de prima specie permanens in potentiis animæ, per actuum frequentationem acquisita, facilitans ad operandum.*

Prob. 1. ex Scoto [1] post Philos. ubi has conditiones habitus naturalis admittit. *Habitus naturalis dicit quandam facilitationem inductam super potentiam naturalem*; & eam contra distinguit *à dispositione, quæ est qualitas de facili mobilis per oppositum ad habitum*; quia scilicet *est qualitas permanens, & de difficili mobilis, ut dictum est alias*, &c. Et has conditiones fatetur colligi ex variis textibus Aristotelis, quos sibi objicit.

Prob. 2. Quia non potest meliùs explicari. Dicitur 1. *qualitas*, & in hoc conveniunt communiter Philoso-

[1] 4. *d.* 6. *q.* 19. *O. n.* 16.

sophi; nec potest ad aliud prædicamentum reduci eique conveniunt omnes conditiones talis qualitatis ut facile discurrenti patebit. 2. *de prima specie* ob eandem rationem: nam in illa specie collocantur illæ qualitates, quæ ab extrinseco proveniunt, & disponunt subjectum ad agendum; 3. *permanens*, per quod differt à *dispositione*, quæ est aliud membrum primæ illius speciei. 3. *in potentiis animæ* sive externis, sive internis: & hoc quia licèt essentia animæ sit subjectum *quod*, & mediatum, tamen ejus potentiæ sunt subjectum *quo*, sicut & actuum, per quos generantur; actus autem est immediate in potentia; ergo & *habitus*, qui ab actibus generantur, & ad actus concurrunt. 4. *acquisita per actum frequentationem*; & notatur causa illius efficiens. 5. *facilitans ad operandum*; per hoc differt naturalis, & acquisitus à supernaturali, qui dat non facilitatem operandi, sed potentiam ad operandum; dat operari simpliciter, ut jam diximus, iste verò dat operari secundum quid, scilicet faciliùs, promptius, perfectius, &c. ut magis patebit. 6. aliqui addunt *bene*, *aut male*, quòd videtur secundum mentem Aristotelis; sed improbat Scotus, nam sicut dantur actus indifferentes, ita & habitus.

Objic. 1. contra 3. part. habitus supernaturales, seu infusi recipiuntur immediatè in substantia animæ; ergo & acquisiti. Prob. ant. nam gratia habitualis ibi immediatè recipitur: animam enim sanctificat; ergo ita est de aliis.

Resp. neg. ant. 1. & 2. nam ex Scoto, gratia sanctificans non distinguitur realiter à charitate, & hæc recipitur formaliter, & immediatè in voluntate.

Dividitur autem *habitus* 1. ratione causæ efficientis in *infusum*, seu *supernaturalem*, qui à solo Deo inditur, ut *fides*, *spes*, & *charitas*, & *acquisitum*, seu *naturalem*, qui arte, ac labore, seu exercitatione comparatur, ut *ars psallendi*, *saltandi*, *scientia argumentandi*, &c. Primus dat simpliciter, & absolutè posse, seu operari. 2. verò tantùm dat promptiùs, meliùs, & perfectiùs; ac intensius operari, ut jam monuimus. Rursus alius est *per se infusus*, qui scilicet nulla arte naturali potest acquiri; ut *fides*, *spes*, & *charitas*: alius *per accidens infusus*, qui posset qui-

dem per vires naturæ, & actus iteratos acquiri, sed non tam citò, nec tam facile, & perfectè, ut si non studenti infundatur scientia, vel non laboranti fortitudo, vel temperatia, ratione materiæ, aut subjecti in *cognoscitivum*, seu *intellectualem*, qui residet in potentiis cognoscitivis, & dat vel absolutè, vel secundum quid percipere objecta; ut scientiæ, & artes plurimæ, *ac* virtus prudentiæ; & isti subdividuntur in *speculativos*, & *practicos*, aut *morales*, de quibus alias diximus; & in *appetitivum*; qui est in potentiis appetivis, ut *charitas*, & *temperantia*. 3. in *bonum*, seu *virtuosum*, qui dicitur *virtus*, & *malum*, seu *vitiosum*, qui dicitur *vitium*: & addi posset *medius*, & *indifferens*, de quibus infra. Singula etiam prædicta membra plures patiuntur subdivisiones, quæ passim occurrent.

QUÆSTIO II.

De causa efficiente, & intensiva habituum.

SUppono ex Metaph. quod *potentia naturalis*, & *impotentia* sunt qualitates æquè ac *habitus*, & *dispositio*, & inter se in hoc conveniunt, quòd disponant subjectum ad agendum, & id non faciunt aliæ duæ species; sed in hoc differunt; quia *potentia*, & *impotentia* veniunt ab intrinseco subjecti, & natura, ut sunt facultates quædam, & habilitates innatæ, seu insitæ à natura singulis, v. g. ille habilis est ad scientias speculativas, ille ad artes, ille perspicax, & subtilis ingenio, alter hebes, & gravis, ille proclivis ad certa vitia, iste ad certas virtutes; sed *dispositio*, & *habitus* veniunt ab extrinseco, & acquiruntur exercitatione, & studio. Hoc supposito; causa effectiva habituum debet esse extrinseca, & distincta ab ipso subjecto; & id patet de infusis, quos diximus à solo Deo infundi.

Quæstio restat de his, de quibus hic agimus, quos diximus acquisitos, & naturales; & quærimus, an acquirantur per ipsas potentias immediatè, & per actus velut instrumenta, aut dispositiones, ut volunt aliqui, aut saltem velut per actiones, sicut calor producitur ab igne per calefactionem, an verò per actus similes, v. g. habitus saltandi per saltationes.

Sup-

Suppono 2. *Habitus* etiam acquiri gradatim, & habere suam intensionem, & remissionem, sicut, & aliæ qualitates, quam intensionem diximus suo loco fieri per additionem gradus ad gradum, & quidem per gradus homogeneos, & supposito, quòd producantur per actus, ut mox dicemus, difficultas est, an intendantur per actus remissiores, v. g. an habitus saltandi, aut psallendi intensus ut quatuor intendatur per actus saltandi, aut psallendi ut duo.

CONCLUSIO.

Habitus producuntur effectivè per actus similes illis, in quos inclinant, & intenduntur etiam per remissiores. Est communior quoad 1. partem.

Prob. 1.p. ex Scoto (1) docente, quòd *si actus volendi est principium alicujus, est principium naturale ejus, non liberum: sicut si ex tali actu generaretur habitus appetitivus, naturaliter generaretur, ita quod generatio talis habitus non est in potestate actus*. Et alibi hoc apertè supponit docens, quòd licèt actus præcedens generet *habitum*, non sequitur, quòd sit principium *quo* saltem immediatum respectu actus sequentis, in quem influit iste *habitus* ab actu præcedenti generatus. *Non oportet, omnem actum generativum habitus esse rationem agendi*, quo, *sicut habitus genitus potest esse ratio quo*. Ubique tribuit actibus generationem *habituum*, & hoc expressius docet dicens, (ut probet *habitus* esse differentes, sicut actus) *actus est naturaliter generativus habitus secundum istos* [Thomistas) *per hoc, quod naturaliter suam similitudinem relinquit in passo*.

Prob. 2. ex eod. [3] *Actus est sufficiens, & totalis causa habitus* (non univoca, sed æquivoca) *quia actus, & habitus non sunt ejusdem speciei, actus est transiens, & habitus permanens*: ergo habitus effectivè producuntur per actus similes. Prob. ant. cum actus voluntatis generat habitum in voluntate, voluntas ipsa nihil ibi operatur: alioqui actus non causaret habitum, si voluntas nollet concurrere; quia ipsa est libera; & sic habitus justitiæ non generare-

 tur

[1] 1. *d.* 12. *G.n.* 5. [2] *d.* 17. *q.*2.*V.velq.*3.*n.*10.
[3] 5. *metaph.q.* 1.*n.*4. *Collat.* 6. *n.* 5.

tur per actus iteratos justitiæ, si voluntas nollet, sed hoc falsum est; ergo actus totaliter causant effectivè habitus:qui frequentat actus virtutis, aut vitii, etiam nolens contrahit habitum ad illos.

Prob. 3. Quia posito actu, ponitur habitus, & sine actu non ponitur: nec potest assignari alia probabilior causa: ergo actus est verè causa totalis habitus. Ant. patet experientia quoad 1. p. & patebit solutione objectorum quoad 2.

Prob. quoad 2. p. ex Scoto. [1] Cùm enim dicit, quòd *in actibus augmentativis hab. tus actus decimus potest esse perfectior primo*, satis apertè docet, habitum non solum intendi per actus perfectiores, ut esset ille decimus, sed etiam per imperfectiores, alioqui non diceret, *potest esse*, sed *debet: aut est perfectior primis*.

Prob. 2. Si quid impediret de omnibus, maximè de remissioribus: sed hoc non impedit: ergo habitus possunt intendi etiam per remissiores. Prob. min. agens æquivocum, qualis est actus respectu habitus, licèt sit remissior, potest intendere effectum etiam perfectiorem in virtute, ut probatum est in libro de generatione; & id patet experientia de actibus: nam posteriores omnes actus non sunt semper intensiores primo: & tamen certum est, habitum, quem produxit primus, augeri per posteriores: qui studet, ac memoriæ mandat orationem, non semper eam legit, aut recitat eadem attentione, qua legit, & recitavit prima vice.

Objic. contra 1. p. 1. Habitus est perfectior actu:ergo non causatur ab actu, saltem ut causa totali; quia effectus non superat causam suam. Prob. ant. habitus ipse est causa actus, & quidem æquivoca, & est quid permanens, actus verò transiens. Nam *bonum diuturnius est melius* ex Arist. [2]

Resp. neg. ant. & dist. prob. Est causa actus partialis, & accidentalis, conc. totalis, & secundum se, neg. ant. & cons. nam actus perfectius, & prius unit potentiam cum objecto, & habitus est propter actum, & non est nisi causa partialis actus sequentis suam productionem: ergo actus est nobilior habitu.

Inst. Si actus esset causa totalis habitus, posset illum

[1] 1. d. 17. q. 3. RR. vel. q. 4. n. 5. [2] 3. Topic. c. 1.

lum causare extra potentiam, si existeret extra ipsam; sed hoc est absurdum, & falsum: ergo non est causa totalis habitus.

Resp. neg. maj. Nam deesset subjectum, & approximatio ad subjectum, in quo causaret habitum, & ideo non posset se solo extra potentiam generare habitum.

Objic. 2. Habitus non tantùm correspondet perfectioni actus, sed etiam conatui potentiæ: ergo efficitur etiam à potentia, non verò à solo actu. Prob. ant. de duobus discipulis scriptoris, si unius teneat, aut ducat manus, iste perfectius efformabit litteras, quam alter, qui se solo scribet, sed cum majori studio, & conatu; sed iste perfectiorem contrahet habitum scribendi; ergo conatus potentiæ influit in habitus generationem. Idem est de duobus temperantibus, quorum unus propter graviores tentationes eliciat actum remissum temperantiæ, alter quia non tentatur, eliciat intensiorem actum, certum est, quòd primus cum remissiori actu contrahet perfectiorem habitum, quàm secundus cum intensiori actu; sed hoc non potest provenire nisi à majori conatu potentiæ in primo; ergo, &c.

Resp. neg. ant. & dist. prob. Propter conatum potentiæ mediatè, con. ant. immediatè, neg. ant. & cons. nam semper actus, qui cum majori conatu elicietur, erit magis liber, & ideo perfectior; quo enim magis applicatur virtus, eo perfectiorem debet actum producere magis autem applicatur illa virtus per majorem conatum: unde perfectio habitus semper erit immediatè, & *ut quo*, à majori aliqua perfectione actus; remotè verò à potentia, & virtute, quæ causat actum, ut facilè videtur in illis exemplis.

Inst. Cessante actu vitioso durat habitus; ergo à sola voluntate conservatur; ergo & ab ipsa producitur: quia si potest conservare, potest etiam producere.

Resp. dist. 1. cons. à sola voluntate subjectivè, & indirectè, con. effectivè, & immediatè, neg. cons. in tantum enim voluntas conservat habitum per actus genitum, in quantum ipsi inhæret subjectivè, & ipsa non destruit illum per actus contrarios, & præterea certum est, habitus sensim remitti, & deperdi, nisi conserventur per actus.

Objic. contra 2. p. 1. Habitus non acquiritur per primum actum; ergo non acquiritur per omnes. Prob. ant. non acquiritur nisi per plures, & frequentes, sicut per primam guttam non cavatur lapis.

Resp. dist. ant. non acquiritur perfectè, & completè per unum, si non sit summè perfectus, conc. ant. non acquiritur imperfectè, & proportionatè ad perfectionem actus, neg. ant. si potentia sit nuda, & libera ab omni habitu contrario, tunc per primum actum producitur positivè habitus in aliquo gradu remissiori, si verò sit effecta contrario aliquo habitu, per primos actus deletur ille prior habitus, & sic gradatim aliquid causatur de isto; sicut primæ guttæ sensim tollunt duritiem à lapide, ac dispositiones contrarias, & sensim emolliunt.

Objic. 2. Si habitus ut quatuor v.g. intenderetur per actum ut tria, fieret intensus ut 5. & sic actus ut tria faceret habitum ut 5. sed hoc est absurdum; ergo habitus non intenditur per actus, saltem per remissiores.

Resp. neg. maj. Nam actus ut tria causaret quidem unum gradum intensionis in habitu, qui posset dici quintus, sed non propterea faceret totum habitum ut quinque.

Inst. 1. Effectus non potest excedere causam; sed habitus ut quinque excederet actum ut 3. ergo iste non potest causare in illo quintum illum gradum.

Resp. dist. min. excederet absolutè, & perfectione illa graduali, quæ non tota causaretur per illum actum, conc. min. excederet in eo præcisè, quod actus causaret, neg. min. & conf. nam actus ut tria causaret in habitu ut 4. unicum gradum, qui quidem additus aliis 4. faceret habitum ut 5.

Inst. 2. Calidum ut 3. vel 4. non potest intendere aliud calidum ut 4. alioqui simile ageret in simile; quod non admittimus; ergo nec actus ut 3. potest augere habitum ut 4. vel ut 5.

Resp. neg. ant. & dist. rationem ejus, simile in intensione ageret in simile in intensione, sed dissimile in natura, conc. simile in intensione, & specie, seu natura, neg. nam actus ut 4. & habitus ut 4. sunt quidem similes in intensione, sed non in natura, ideo actus ille potest agere, & intendere hunc habitum sibi correspondentem, sicut etiam actus odii ut duo pot-

est

est agere in habitum amoris ut 4. & remittere unum gradum intensionis ejus. Item calidum ut tria agit in frigidum ut 5. & remittit de frigore illius.

Inst. 3. Saltem sequeretur, actus, & habitus posse mutuo se augere in infinitum; nam actus amoris ut 4. augeret habitum ut 5. & iste cum 6. vel 7. gradu efficeret amorem ut sex, & ita in infinitum per reciprocam intensionem.

Resp. neg. seq. & rationem ejus: nam, ut docet Scotus, [1] non possunt nec actus, nec habitus intendi ultra certum gradum juxta dispositionem potentiæ. Unde *Habitu existente perfecto, vel in summo, quantum potest perfici in tali subjecto, vel secundum terminum sibi præfixum a sapientia divina omnes actus sequentes nihil augent, sed omnes procedunt ex habitu jam generato*, &c.

QUÆSTIO III.

Quomodo habitus concurrant ad actus.

Certum est, quòd absolutè, & per se loquendo ab objecto, & potentia producuntur actus; sed cum potentia reperitur informata habitu, certum est, quod sicut facilius, & perfectius operatur suos actus, ille habitus concurrit ad illos aliquo influxo: dubitatur autem, in quo genere causæ concurrat, an effectivè ita, ut attingat partialiter substantiam actus, aut saltem quoad aliquem modum, v. g. secundum intensionem, aut facilitatem, ut volunt plurimi; an formaliter, quatenùs potentiam formaliter inclinat, & determinat ad actus, vel saltem materialiter, disponendo potentiam ad receptionem sui actus, ut placet aliis. 2. & supposito concursu effectivo, quæritur, an sit ad actus remissiores, & inferiores, an verò etiam ad intensiores, & excedentes facultatem naturalem potentiæ.

CON-

[1] 2. *d.* 7. *Y.* *n.* 27.

CONCLUSIO I.

PRobabilius est, habitus concurrere cum potentia ad substantiam actuum effectivè; etiam ad intensiores, & ad excedentes facultatem naturalem potentiæ. Est Scotistarum communiter cum D. Thoma. (1)

Prob. 1. ex Scoto; (2) qui licèt videatur problematicus, & disputet tam pro concursu formali, quàm pro effectivo, tamen propendet magis in effectivum, ut notant ejus discipuli, maximè Cavellus: *Utrum habitus perficiens aliquam potentiam sit principium activum actus, ita quod per habitum tanquam per principium elicitivum, vel activum eliciatur actus?* & pro utraque parte adducit rationes, & solvit adductas pro affirmativa. Alibi videtur tribuere activitatem habitui; ut cùm dicit contra Goffredum, *Habitus non ponitur præcisè ad patiendum, & maximè in passivo summè disposito ad formam; non enim oportet illud facilitari ad recipiendum: sed intellectus est summè dispositus ad quamcumque intellectionem, qua nihil habet contrarium; ergo non oportet ponere aliquem habitum in intellectu, si præcisè esset passivus,* (ut sunt dispositiones) *respectu intellectionis: prob. ant. ex Philosopho.* (3) *1. quia habitus est, quo utimur, cum volumus, & habentem perficit, & opus ejus bonum reddit; omnia ista attribuunt aliquam activitatem habitui:* eandem opinionem proponit, & probat (4) dicens, *Tribuendo habitui aliquo modo rationem principii activi respectu actus, potest dici, quòd habitus est causa partialis activa,* &c.

Quòd autem concurrat non purè ad modum aliquem, sed ad substantiam actus sic docet, & probat. *Quando duæ causæ concurrunt ad aliquem effectum, una sola non potest ex se in ita perfectum effectum, sicut ambæ simul, & hoc modo salvatur, quod actus est intensior à potentia, & habitu, quàm à potentia sola* (nota sequentia) *non quidem quod potentia sola sit causa substantiæ actus, & habitus sit causa intensionis, quasi duobus causatis correspondeant duæ causæ; sed quòd*

(1) 1. 2. q. 42. a. 3. *Collat.* 6.
(2) 1. *d.* 3. *q.* 7. *E. n.* 10. (3) 2. *Ethic.* 5.
(4) *d.* 17. *q.* 2. *H.* & *A. R. n.* 8. & *q.* 3. *n.* 5. *Ibid.* 1. *n.* 9.

quòd ambæ causæ concurrentes possunt producere effectum perfectiorem, quàm altera sola: qui tamen effectus secundum se totum, & per se unus est a duabus causis in diverso ordine causantibus.

Prob. 2. ex Phil. *Omnes habitus ex operationibus similibus fiunt, quapropter tales quasdam operationes reddere oportet:* & docet, *virtutem esse habitum, à quo bonus efficitur homo, & quo bene suum opus reddit, efficitque:* & distinguit habitum in *activum*, ut est prudentia, & *factivum*, ut sunt artes; ergo ex Arist. habitus sunt effectivi.

Prob. 3. ratione ex eodem, & quoad 1. p. Nam habitus dat potentiæ operari delectabiliter, faciliter, expeditè, & promptè, quia inclinat illam ad agendum; sed hæc sapiunt actionem, & efficientiam; ergo habitus habet in potentia rationem activi effectivi. Probat. min. facilitari, inclinari, expediri, reddi promptum ad operari conveniunt principio, quatenùs potest retardari, vel impediri ad agendum; ergo respiciunt potentiam ut activam, & juvant ejus actionem, & pertinent ad principium activum.

Dices, illam tarditatem venire posse ex parte subjecti indispositi, & habitus posset tollere illam indispositionem ex parte subjecti, non ex parte potentiæ agentis; ergo sufficit, quòd habitus concurrat in genere causæ dispositivæ.

Contra. Quia si subjectum sit in se nudum, & indispositum negativè tantùm, ut intellectus respectu scientiæ, certum est, quòd potentia egebit majori conatu, ut producat actum se sola, quàm si esset habituata, & actus erit imperfectior cæteris paribus, quam si esset adiuta per habitum; ergo signum est quòd habitus concurrit activè.

Dico, *cæteris paribus*, nam per majorem conatum posset supplere defectum habitus, sed hoc semper probat activitatem habitus; quandoquidem ejus absentia suppletur conatum in agendo.

Dices 2. habitum in tantum facilitare potentiam, quia formaliter inclinat eam ad actum, licèt non agat cum illa.

Contra. Habitus inclinando potentiam vel auget virtutem ejus, vel non; si auget; ergo activus est sicut & virtus potentiæ; si non auget; ergo potentia

non

non aget facilius, nec promptius, nec perfectius cum habitu, quàm sine habitu, quod est contra suppositionem, & experientiam.

Prob. 4. eadem pars. Habitus supernaturalis infusus, v.g. *fides*, *charitas* concurrit activè ad actus supernaturales credendi, & amoris Dei, ergo & habitus acquisitus ad actus naturales. Ant. patet ex communi Theologorum consensu, & ex Scriptura ipsa: ut cùm dicit D. Paulus. *Non ego, sed gratia Dei mecum*, scilicet operata est, & à fortiori si dicatur cum alia versione, *sed gratia Dei in me*. Nam hæc locutio plus tribuit actioni gratiæ, quàm ipsi homini. Item cum dicit: *Gratia Dei in me vacua non fuit*: de quo dicemus alias ex professo. Prob. autem cons. nam habitus infusi, & acquisiti conveniunt in genere qualitatis, ergo & activitatis, ergo si illi sunt activi, ita & isti.

Prob. denique. Experimur enim, quòd potentia cum habitu minori conatu elicit actum ut quatuor, quàm sine habitu, ergo habitus supplet illum majorem conatum, quem debuisset adhibere, sed ille conatus esset in genere efficientis, ergo & habitus concurrit in eodem genere causæ.

Prob.2.p. scilicet,quòd concurrat etiam *ad substantiam actus*, non verò solum *quoad modum*, v. g. facilitatem, vel intensionem. 1. quia supposito concursu activo tam potest terminari ad substantiam actus, quàm ad ullum modum, v. g. ad intensionem, nec enim apparet, intensionem illam majorem, aut minorem posse separari ab ejus entitate, facilitas verò, & promptitudo sunt modi extrinseci, & denominationes petitæ ex dispositione agentis, ergo si habitus concurrit effectivè ad actus, concurrit ad eorum substantiam, seu entitatem.

Prob. 2. ex Scoto. Quod est prius essentialiter, non potest pendere ab aliqua causa, à qua non dependeat id, quod essentialiter est posterius, sed actus est essentialiter prior suo modo, v.g. sua intensione, ergo modus non potest pendere totaliter à causa, à qua ipse actus non dependeat. Prob.maj. si enim posterius posset totaliter dependere ab alia causa, posset separari, & esse sine illo priori, & sic non essent prius, & posterius essentialiter; qualiter debent esse res, & mo-

modus suus intrinsecus. Conf. quia causæ subordinatæ non habent effectus distinctos; sed potentia, & habitus sunt causæ subordinatæ actuum; ergo nihil distinctum in eis causant. Hanc rationem sic proponit Scotus. (1) *Quod habitus sit causa distincta à potentia, & alicujus distincti a potentia non videtur probabile, quia non est nisi causa 2. respectu potentiæ; causa autem 1. & 2. non habent distinctos effectus sibi proprios, quia respectu neutrius hæc esset prima.*

Prob. denique de intensione: nam intensio qualitatis non est accidens ejus separabile à gradibus entitativis ejus: importat illos essentialiter plures, aut pauciores, secundum quod est major, aut minor, nec potest esse sine aliqua intensione; ergo causa majoris intensionis causat plures gradus, seu partes integrantes entitatis ejus; ergo habitus non potest causare efficienter intensionem actuum, quin causet illorum entitatem.

Prob. 3. p. scilicet quòd habitus concurrat activè ad actus etiam intensiores: nam si habitus ut duo respectu actus ut quatuor concurreret tantùm ad duos primos gradus, potentia experiretur majorem facilitatem ad duos priores, quam ad reliquos; sed hoc est contra experientiam; nam facilitas, & inclinatio in potentia est ad totum actum; ergo habitus concurrit ad totum actum licèt intensiorem se. Ad hoc etiam facit præcedens argumentum Scoti.

Prob. 4. p. de effectu excedente facultatem potentiæ: nam ex habitu, & potentia simul coalescit causa perfectior, quàm sit potentia sola; ergo potentia cum habitu potest producere actum perfectiorem, quàm posset se sola, & secundum vires omnes suas agente; ergo habitus concurrit ad effectum etiam perfectiorem.

Objic. 1. contra 1. p. Unius actionis unum est per se principium activum; sed actus producitur per unam actionem; ergo & per unam potentiam; sed ex potentia, & habitu non fit unum per se principium, sed unum per accidens; ergo habitus non concurrit ad actum ut verum principium.

Resp.

[1] 4. *d.* 49. *q.* 2. *F.*

Resp. cum Scoto dist. maj. est unum per se principium in uno ordine principiandi, conc.maj. in diverso ordine, neg. maj. & conf. nam *potentia, & habitus sunt duo principia diversi ordinis, & utrumque est unum per se in suo ordine*, sicut causa 1. cum 2. & principalis cum instrumentali. Potentia ergo, & habitus sunt una causa, seu unum principium unitate ordinis in principiando.

Inst. Si habitus, & potentia efficiunt actum ut duæ causæ, vel sunt totales, vel partiales, non totales, quia una illarum superflueret: non partiales, quia potentia se sola potest producere suum illum actum posteriorem acquisitioni habitus, sicut potuit se sola producere priorem; ergo non sunt duæ etiam in causando.

Resp. esse duas causas partiales subordinatas, & diversæ rationis: & dist. ant. prob. posset se sola, sed diverso modo, & conatu, conc. ant. eodem conatu, & modo, neg. ant. & conf. nam si sola produceret, & sine habitu, vel ipsa adhiberet majorem conatum, ut 2. actus esset æquè perfectus, vel esset remissior, si ageret eodem conatu, quo agit cum habitu.

Objic. 2. Arguimus concursum habitus ex majori inclinatione,& facilitate potentiæ in eliciendo actum; sed hæc non arguit talem influxum; ergo non est admittendus. Maj. patet ex fundamento nostræ assertionis. Prob. min. voluntas verbi gratia tam erat inclinata, & tam facilè eliciebat 1. amoris actum, quam secundum; ergo male ex illis arguitur causalitas habitus.

Resp. neg. min. & ant. prob. nam habitus amoris per hoc, quod informat, voluntatem,inclinat eam,& quasi actuat, & facilitat ad amandum, & respectu actus sequentis etiam concurrit effectivè cum illa ad amorem ulteriorem.

Inst. Si habitus sic informaret, & inclinaret, semper sentiremus illam inclinationem; quia habitus semper informaret; est enim qualitas permanens,& naturaliter agit; sed hoc est falsum, & contra experientiam; quis enim experitur semper se impelli ad amandum, quod semel amavit? ergo malè asseritur illa inclinatio, & causalitas habitus in actum ex illa inclinatione.

Resp.

Resp. neg. maj. Nam voluntas non fertur in incognitum; & quia non semper proponitur objectum semel amatum, ita nec semper experimur illam propensionem. Vel sic dist. maj. semper perciperemus propensionem, si semper proponeretur objectum, & fieret præsens voluntati, conc. maj. si non semper fieret præsens per cognitionem, neg. maj. & conf.

Inst. effectus formalis non est separabilis à forma: sed illa inclinatio est effectus formalis habitus; ergo quamdiù habitus durat, ita & propensio deberet durare, & sentiri. Prob. maj. quamdiù calor est in aqua, tamdiù eam reddit calidam.

Resp. dist. maj. Effectus formalis primarius, conc. maj. & neg. min. effectus secundarius, neg. maj. & conf. nam illa inclinatio, & facilitas sunt effectus secundarii habitus, & dependent ab applicatione potentiæ cum habitu ad objectum, quæ applicatio fit per cognitionem objecti; primarius est informare potentiam.

Objic. 3. Si habitus causaret substantiam actus, ipse esset potentia; quia haberet eandem virtutem; nam virtus faciendi rem in substantia est potentia; sed hoc consequens est falsum, & contra omnes; ergo & ant.

Resp. neg. maj. & rationem ejus: nam potentia se sola habet virtutem, habitus vero dependet à potentia in esse, & operari.

Objic. 4. Accidens non est principium agendi in subjectum suum, v. g. albedo non agit in parietem, cui inhæret; sed habitus est accidens; ergo non causat actum in potentia.

Resp. neg. ant. nam, ex Scoto, *Accidens bene potest esse principium alicujus effectus in suo subjecto receptibilis; sicut species intelligibilis est principium intellectionis receptæ in intellectu.*

Objic. 5. Non datur circulus, nec reciprocatio in causis, & effectibus; scilicet duo entia diversæ speciei non possunt esse sibi invicem causæ æquivocæ; sed hoc accideret, si habitus causaret actum, quandoquidem & ipse causatur ab actu, suntque causæ æquivocæ; ergo vel habitus non causat actum, vel ipse non causatur ab actu. Prob. maj. causa æquivoca continet eminenter suum effectum, & est perfectior illo;

&

& sic habitus contineret eminenter, & superaret actum, à quo ipse debet contineri, & superari; & sic esset perfectior, & imperfectior, dependens, & independens respectu ejusdem, sed hæc implicant; ergo, &c.

Resp. dist. maj. In causis totalibus conc. maj. in partialibus, neg. maj. utramque; nam causæ partiales non debent sic continere suos effectus; habitus verò est causa tantùm partialis, eaque secunda, & minùs principalis actuum sequentium, in quos influit; v. g. species intelligibilis est imperfectior intellectione, in quam influit partialiter cum intellectu; ergo & habitus potest esse in aliquo imperfectior actu, quem causat partialiter cum potentia vitali.

Objic. 1. contra 3. & 4. p. Si habitus causaret etiam actus intensiores, aut excedentes facultatem potentiæ, effectus superaret causam suam etiam æquivocam; sed cons. est falsum, & contra nos, ergo & ant. prob. maj. nam actus intensus ut sex perfectior est habitu ut tria.

Resp. dist. maj. superaret causam partialem, & minùs principalem, conc. maj. & neg. min. nec enim id negavimus, nec falsum est; superaret causam totalem, & principalem, neg. maj. & cons. quando duo trahunt navim, tractio, & motus navis est longè intensior, & superat vires singulorum seorsim, non verò amborum simul. Comparatio fieri debet inter effectum, & causam totalem, aut saltem principalem.

Objic. 2. Si habitus concurreret ad actus excedentes vires potentiæ, esset simpliciter necessarius, non verò tantum secundum quid, & ad meliùs, aut perfectiùs, & faciliùs operandum; sed cons. est contra nos, ut patet ex dictis; ergo habitus non causat actus excedentes vires potentiæ. Prob. maj. nam absolutè potentia non posset producere illos actus sine habitu.

Resp. dist. maj. Esset simpliciter necessarius ad actus tantæ intensionis, conc. maj. & neg. min. ad actus omnes ejusdem speciei, sed remissiores, neg. maj. & cons. nam licèt potentia non posset se sola sine habitu elicere perfectissimos illos actus, quos elicit cum ejus adjutorio, non sequitur, quòd absolutè, & simpliciter sit necessarius; sicut est habitus fidei infusus,

sine

sine quo ne minimus quidem actus fidei supernaturalis elici potest.

Hinc vides, probabilem esse hanc sententiam de concursu effectivo habitus ad actus sequentes, & similes; v. g. habitus justitiæ acquisitus per primos actus illius virtutis concurrit ad sequentes actus ejusdem justitiæ: sed non caret etiam probabilitate sententia id negans, & non tribuens habitui nisi concursum formalem, quatenus inhærens, & informans potentiam, in qua est, inclinat eam, & determinat per modum alicujus ponderis ad similes actus; & ideò argumenta nostra, & alia, quibus suaderi potest sententia nostra erudité, ac subtiliter solvit Doctor locis citatis.

CONCLUSIO II.

Habitus non concurrit activè ad moralitatem actus, nisi quatenus concurrit ad entitatem, seu substantiam ejus physicam. Est Doctoris, & aliorum.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui sic discurrit ad propositum: *Quantum ad istam conditionem accidentalem actus, quæ est bonitas moralis, non oportet aliquem habitum habere aliquam rationem proprii principii activi, nisi in quantum habet rationem principii activi respectu substantiæ actus, qui actus natus est convenire completo dictamini prudentiæ, & ad illum actum inse inclinat habitus aliquis ex natura habitus. Et ex hoc consequenti inclinat ad actum, qui sit conformis rectæ rationi, si recta ratio insit operanti; ergo habitus ut talis non concurrit aliter ad moralitatem, nisi quatenus concurrit ad entitatem actus, qui est natus esse conformis rectæ rationi:* additque, quòd *virtus moralis non addit super substantiam habitus, ut est forma de genere qualitatis, nisi conformitatem habitualem ad rectam rationem: idem enim habitus, qui generatur ex actibus abstinentiæ cum ratione erronea in eliciente, manens cum ratione recta fit virtus abstinentiæ, cum antea non esset habitus virtutis.* Hinc

Prob. 2. ex eodem, quia moralitas in actu præcedit generationem habitus, sicut & substantia actus; ergo moralitas in actu non venit ab habitu. Unde

non

[1] *Collat. o. cit. 1. d. 17. q. 2. P. & Q. cit.*

non est imaginandum, inquit, (1) *quòd potentia, in qua est habitus, sit causa substantiæ actus, & quòd habitus sit causa moralitatis, ita quod substantia actus correspondeat activitati potentiæ, & moralitas correspondeat habitui, sicut quidam imaginantur*. Actus eliciti ex habitu temperantiæ, aut justitiæ sunt quidem materia aptissima ad moralitatem illarum virtutum, si adsint aliæ conditiones ad bonum, v. g. si fiant ex debito fine; sed possunt etiam esse non boni, imò & mali ex malis circumstantiis, ut patet ex dictis, & magis patebit suo loco; ergo moralitas non venit effectivè ab habitu.

Prob. 3. Quia moralitas est relatio conformitatis actus ad rectam rationem; sed relatio non producitur, sed resultat positis fundamento, & termino cum ratione fundandi, & terminandi; ergo moralitas actuum non est effectivè ab habitibus. In tantum ergo habitus concurrunt ad moralitatem, in quantum influunt in substantiam actuum.

Prob. denique, quia sine habitu acquisito, & antecedente ad acquisitionem ullius habitus possunt dici actus moraliter boni, aut mali; ergo moralitas actus non est ab habitu. Confir. nam, ut mox dicebam, ex habitu justitiæ possunt prodire actus mali v. g. si fiant ex malo fine.

Objic. Habitus virtuosus habentem perficit, ejusque opus reddit bonum, ex Phil. est *dispositio perfecti ad optimum, & moderatur passiones*; sed hoc non facit passivè, sed activè; ergo habitus bonus concurrit activè ad moralitatem actus.

Resp. dist. min. Reddit opus bonum eo modo, quo concurrit ad opus quoad entitatem, conc. maj. quasi verò causet directè bonitatem, neg. maj. & conf. habitus virtutis in tantum concurrit, & efficit bonitatem, in quantum concurrit effectivè ad productionem actus, qui de se aptus est conformari regulis morum; & si de facto eliciatur conformiter ad illas, erit moraliter bonus.

CON-

[1] *C. litt. 6. n.* 10.

CONCLUSIO III.

Habitus non efficit directè, & physicè nisi actus potentiæ, cujus est, non verò alios, nisi directivè, & imperativè. Est communis.

Prob.1. ex Scoto (1) sæpius in Logica, & alibi citato; ubi docet habitus, & actus intellectus dici practicos ob directionem actuum voluntatis, & voluntatem imperare aliis potentiis, etiam intellectui; ergo censet habitus unius potentiæ extendi, &concurrere directivè, & imperativè ad actus aliarum: & videtur expresè docere, quòd non est *unius virtutis* (etiam perfectæ) *dirigere hominem circa omnia, sed circa propria objecta*, scilicet quilibet habitus habet propria objecta, extra quæ non extenditur elicitivè.

Prob.2. Habitus non potest elicere nisi actus similes iis, à quibus generatur; sed habitus unius potentiæ non generatur per actus aliarum; ergo nec concurrit ad illos.

Prob. 3. Habitus non efficit actus, nisi prout informat potentiam, quæ est causa principalis elicitiva eorum; ergo non causat actus nisi cum ea, & in eadem potentia, non autem in aliis: v. g. justitia non agit ad actus sibi proprios, nisi prout informat voluntatem; sed voluntas non elicit actus intellectus v. g. aut aulterius potentiæ; ergo neque habitus.

Confir. Quia habitus, sicut neque actus, nec ipsa potentia non exit extra proprium objectum; sed non posset efficere directè actus aliarum potentiarum, nisi exiret extra suum, & potentiæ suæ objectum; ergò non potest directè efficere illarum actus, sed tantùm actus suæ potentiæ, aliarum autem indirectè tantùm.

Objic. Eadem virtus justitiæ, quæ est in voluntate, elicit in aliis potentiis actus electionis mediorum; ergo habitus efficit actus in diversis potentiis, in quibus non inhæret immediatè. Prob. ant. nam intentio finis, & electio mediorum sunt ab eodem habitu virtutis.

Resp. dist. ant. & rationem ejus; si sint de eodem ob-

(1) 3. *d*. 36. *C*. *n*. 9.

objecto, & fine, fiunt ab eodem habitu elicitivè, conc. ant. si sint circa diversa objecta, aut fines, neg. ant. utrumque; nam si media ad finem justitiæ, & eorum applicatio, & usus sint obiecta diversa, & pertineant ad diversas potentias, diriguntur quidem & imperantur à voluntate, & habitu justitiæ, sed non eliciuntur nisi ab illis aliis potentiis, & habitibus, qui insunt illis.

Inst. Habitus religionis, qui est in voluntate, causat actus orationis, qui sunt in intellectu; ergo habitus unius potentiæ causat actus in alia.

Resp. dist. ant. Causat imperativè, & indirectè actus orandi, prout sunt in intellectu, conc. ant. elicitivè, & directè; neg. ant. nec enim oratio, prout est actus intellectus, elicitur nisi ab ipso intellectu cum habitu orandi; sed tamen imperatur à voluntate cum habitu, & ex motivo religionis.

QUÆSTIO IV.

Quomodo desinat, seu corrumpatur habitus.

CErtum est, quòd habitus deperduntur, & *sicut* gradatim intenduntur; & crescunt, sic & gradatim remittuntur, & decrescunt: utrumque docet experientia, & constat etiam ex ratione generica qualitatis, cujus proprietates sunt intendi, & remitti, & suscipere magis, & minùs, & habere contrarium; habitus autem sunt qualitates, ut diximus. Sed quàm facile est, & verum dicere habitus remitti, & tandem penitus desinere, aut corrumpi, tam difficile est decidere, unde, & quomodo id fiat. Quæstio autem procedit de acquisitis, nam certum est infusos non corrumpi, nec remitti effectivè, & physicè nisi per eam causam, quæ dat illis esse, nempe à Deo, à quo habent esse per creationem, ut docent Theologi. Dixi, *effectivè, & physicè*, nam moraliter, & demeritoriè corrumpuntur à nobis per malos actus, & maximè per contrarios illis, ad quos isti habitus elevant, & inclinant.

Quatuor modis, aut principiis aliqua corrumpuntur, aut desinunt 1. à suis contrariis, ut calor à frigore, 2. per corruptionem subjecti, sic moriente homine pereunt scientiæ, artes, aliique habitus ejus: 3. ad

corruptionem, seu desitionem conservantis; sic perit lumen pereunte corpore lucido. 4. ad corruptionem dispositionum naturalium, & necessariarum; sic corrupta omni frigiditate, & humiditate corrumpitur aqua: reducitur autem hic modus ad præcedentem, quia variatio ista dispositionum causat destructionem subjecti. Quæstio non procedit de 2. & 3. modo; certum enim est, quòd destructo animali perit sanitas cum aliis qualitatibus dependentibus à toto ejus composito. Quæstio ergo procedit de causa effectiva; & formali.

CONCLUSIO.

Habitus destruuntur per se formaliter, & effective per actus, & habitus contrarios; otium vero, seu cessatio actuum non destruit eos nisi per accidens, & indirecte. Dico, *per habitus, & actus*; nam actus contrarii causant effectivè habitus contrarios, & isti expellunt formaliter habitus oppositos.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui apertè id supponit dicens, quòd *in vitioso noviter converso ad bonum, cui si recta ratio dictet aliquid oppositum vitio consueto esse eligendum, licèt istud eligat, non tamen delectabiliter; non enim statim in primo actu corruptus est totus actus vitiosus*, &c. Vides ex Scoto actum bonum corrumpere actum vitiosum. Et alibi dicit, [2] quod *Virtus non corrumpitur, nisi multis actibus contrariis: dispositio autem bona corrumpitur uno, vel paucis.*

Prob. 2. Nam eadem est ratio de habitibus, ac de aliis qualitatibus, ut dicebam; sed aliæ qualitates expelluntur, & destruuntur per contrarias; ergo & habitus per contrarios formaliter, effectivè autem, ac virtualiter per actus, quibus generantur isti habitus contrarii: v. g. habitus temperantiæ distruitur formaliter per habitum intemperantiæ, & effectivè, ac virtualiter per actus, quibus generatur iste habitus; ergo sicut per actus temperantiæ generatur similis habitus, ita per actus intemperantiæ generatur similis; & sicut actus temperantiæ opponitur actui intemperantiæ, ita & habitus temperantiæ ex illo generatus, & ad similes actus inclinans, & facilitans potentiam.

[1] 3. d. 33. B. n. 5. [2] d. 36. C. n. 9.

Prob.2.p. experientia: nam dormientes cessant, ab exercitio habituum, & maximè spiritualium, & tamen hos non amittunt. Item quia, ex Scoto, habitus est *qualitas de difficili mobilis;* sed non esset difficulter mobilis, si, cessante actu, quo generatur, moveretur, & desineret esse; ergo non sic debet desinere, saltem facilè, & brevi tempore. Nam fateor, quòd aliqui habitus, qui magis sunt supra, aut citra inclinationem positivam potentiæ, & graviori studio, ac labore acquiruntur, indigent pariter foveri, & si diù cessemus ab illorum exercitio, facile obliterantur, sed non tam citò, & quidem id fit negativè, & indirectè.

Objic. 1. Si quis habeat vitiosum habitum. v. g. intemperantiæ, ut octo, non poterit elicere actum temperantiæ, vel si eliciat, non corrumpet illum habitum; ergo habitus non corrumpitur per actus. Prob. ant. in ipso primo instanti elicitionis actus temperantiæ perseverat totus habitus intemperantiæ; ergo & in 2. instanti, quia si actus non destruxit illum gradum habitus contrarii in primo, neque id poterit in secundo. Prob. ant. quia prius est actum virtutis existere, quàm agere, & destruere habitum oppositum; ergo pro illo instanti, quo ponitur actus, adhuc perseverat totus habitus vitii.

Resp. hanc objectionem esse communem pro omnibus qualitatibus, & formis, & diximus in Physica, quomodo, & quo ordine sibi succedant, ita ut pro nullo instanti reali duæ contrariæ sint simul in eodem subjecto. Diximus ergo, quòd pro instanti, quo nova forma primò introducitur, eo ipso instanti desinit, & primùm non est alia. Unde in forma neg. 1. & 2. ant. & 3. nam sicut causa præcedit natura effectum suum, non tempore; sic actus virtutis remittens habitum vitii existit quidem prius natura, quàm expellatur unus gradus habitus vitiosi, sed non priùs tempore; ergo actus ille virtutis, & gradus ille vitii non sunt simul pro illo instanti reali temporis; & sicut non obstante summa intensione habitus vitiosi potuit voluntas elicere unum actum virtutis in illo instanti temporis, per quem actum cœpit generari habitus virtutis, sic in instantibus sequentibus poterit alios actus similis virtutis elicere,

&

& quidem facilius, & per illos actus virtutis perficietur virtuosus, & magis destruetur vitiosus.

Inst. Sed summus habitus vitiosus ab initio summè resistet; ergo non poterit ab uno debilitari.

Resp. neg. conf. Nam sicut ignis licèt calidus in summo potest debilitari, & remitti per injectionem exiguæ aquæ, à fortiori habitus vitiosus non impediet productionem actus contrarii virtutis; quandoquidem ille habitus non est causa totalis, nec tollit libertatem voluntatis, quæ per consequens potest, licèt non sine difficultate, & resistentia habitus vitiosi elicere habitum contrariæ virtutis.

Inst. In instanti illo priori, quo voluntas eliciebat actum virtutis, erat indifferens ad illum, aut ad actum vitii; ergo in illo priori instanti adhuc existebat totus habitus vitiosus, quia in ipso instanti voluntas poterat elicere actum vitii æquè,ac virtutis; & per consequens adhuc existebat totus habitus vitiosus, à quo ille actus processisset.

Resp. dist. ant. Erat indifferens, & poterat elicere actum vitii in sensu diviso, conc. ant. in sensu composito, neg. ant. & conf. voluntas pro instanti, quo se determinat, & elicit actum, intelligitur potens vel non elicere illum, vel elicere contrarium, quia semper intelligitur ut libera, & ut liberè se determinans, sed in sensu composito actionis, & determinationis non potest intelligi ut indifferens, & indeterminata. Sensus ergo est, quòd si pro illo instanti non se determinasset ad actum virtutis, potuisset se determinare ad actum vitii.

Objic. contra 2.p. experientiam quotidianam, qua constat, habitus destrui per solam cessationem actuum, & id confirmat Arist. [1] dicens, *Habitum ex iisdem actibus augeri, quibus generatur, quod si non fiat ita, corrumpi*, & addit, *diuturnam absentiam non solum operationes, sed etiam amicitias dissolvere per oblivionem*. Et Scotus [2] ipse dicit, quod *quicumque habitus, vel dispositio vitiosa derelinqueretur ex actibus, desineret esse post fluxum temporis, nisi firmaretur per frequentes actus; sicut universaliter omnis dispositio ad habitum desinit esse cessantibus actibus perficientibus habitum*; ergo ex Arist. Scoto, &

O 2 expe-

[1] 2.*Ethic*.3.& *l*.8.*c*.5. [2] 4 *d*. 14.*q*.1.*n*.6.

experientia constat habitus corrumpi per otium, & cessationem actuum, quibus deberent generari, & conservari.

Resp. dist. ant. Corrumpuntur per accidens, & negativè, conc. positivè, & per se, neg. ant. nec enim id docet experientia, nec prętendit Arist. vel Doctor subtilis, Dico, *per accidens;* quia cùm potentiæ numquam sint otiosæ, accidit, ut si non exerceantur in actibus virtutum, vel artium, quas acquisierunt, exerceantur, & agant vitia opposita, quibus priores habitus destruuntur, imò & exercitia, sicut objecta disparata causant oblivionem, & destructionem indirectam: & ita intelligendus est Philos. nam speciebus corruptis, seu deletis ex phantasia, & intellectu, potentiæ appetitivæ non agunt; sic per absentiam longiorem obliteratur amicitia, numquam tamen penitus deletur, ita quin redeunte specie sentiamus majorem aliquam inclinationem ad actus olim habituatos, quàm ante contractos habitus.

Quęri hìc posset de habitibus infusis, & maximè an intendantur per actus, ad quos inclinant, v. g. habitus supernaturalis fidei per actus fidei, & ita de spe, & charitate, & an similiter deperdantur per actus oppositos, & communiter in schola nostra tenetur, eos non intendi, nec remitti physicè, sed moraliter, & meritoriè, vel demeritoriè, sicut à solo Deo primò producuntur. Sed de hoc suo loco.

DISPUTATIO V.

De regula interna morum, seu de conscientia.

MOralitas actuum humanorum attenditur, & mensuratur per regulas morum, quibus si conformentur, boni sunt, si aberrent, mali. Ordo igitur postulat, ut postquam de illorum quidditate, & principiis effectivis egimus, de directivis loquamur, scilicet de regulis, quibus ad rectitudinem efformantur; & quia illæ regulæ sunt partim intra nos ipsos, ut *ratio*, & *conscientia*, partim ab extra veniunt, scilicet à Deo vel à natura, vel à superioribus, ut sunt *leges divinæ, naturales, ac humanæ*.

mana, ab illis incipiemus, quia nec istæ sine illis prosunt, aut serviunt. Ut enim leges obligent, aut dirigant, debent cognosci, & per *rationem*, ac *conscientiam* intimari voluntati, & hæc ideò dicitur regula interna actuum moralium; *lex* verò dicitur externa. Igitur de *ratione*, & *conscientia* disputationem hanc instituimus. Et certè hæc materia scitu adeò necessaria est, ut, qui eam ignorat, non possit actum bonum à malo discernere nec in se, nec in aliis, ideò conscientia dicitur *Pædagogus animæ*, &, ut loquitur Tertull. *hæ sunt naturales tabulæ, in quibus anima naturaliter legit, quæ honesta, & facienda sunt, quæ item inhonesta, & vitanda.*

QUÆSTIO I.

Quid sit recta ratio, conscentia, & synderesis, & quæ ejus officia.

Ubique in moralibus audiuntur nomina *rationis*, aut *rectæ rationis*, aut *conscientiæ*, aut *synderesis*; omnis moralitas per ordinem ad illas explicatur, nec possunt actus humani ab actibus hominis, nec boni, & laudabiles a malis distingui, nisi sciatur quomodo se habeant cum *ratione*, & *conscientia*, aut *synderesi*; hæc enim sæpius pro eodem usurpantur, quamvis nonnihil differant.

Rationis vox æquivoca est, & diversimodè usurpatur. 1. essentia rei cuiusque dicitur *ratio* ejus, ut definitio. 2. sumitur pro ipsa forma substantiali, ut anima hominis. 3. pro ipsa vi, & potentia intellectiva, per quam intelligit, & discurrit. 4. pro ipso actu cognoscendi, aut discurrendi. *Ratio est aspectus mentis, quæ bonum, malumque discernit*, inquit Aug. 5. [1] pro doctrina, qua probatur, vel innititur assertum aliquod. 6. hic sumitur propriè pro *dictamine*, seu *judicio* de aliqua re agenda, & sic coincidit cum *synderesi*, vel *conscientia*: nam homo antequam exeat in actum, habet internum *dictamen* formale, aut virtuale, quo videt illum esse bonum, aut malum, faciendum, aut vitandum, & illud *dictamen* dicitur *ratio*, vel *conscientia*. Et si hoc *dictamen* sit *prudentiale*, id est examinatum pensatis exactè omnibus circumstantiis,

 dicitur

[1] *De spir. & an.*

dicitur *recta ratio*, etiam si non semper attingat veritatem rei, & ideò vocatur etiam *prudentia*. Non malè ab aliquibus *recta ratio* in moralibus, & prout est *recta ratio* vivendi dicitur *originalis forma recte vivendi mente concepta cum notitia omnium conspirantium ad ejus expressionem in moribus*, sicut in artibus *recta ratio artis* describi potest, *Originalis forma rei efficiendæ mente concepta cum notitia omnium conspirantium ad expressionem ejus in materia externa*: sic actus humani si conformentur illi formæ, fiunt rectè. 2. illa *ratio* est vel radicalis, & sic nihil est distinctum, sed est ipsamet natura rationalis ut rationalis: nam eò reducuntur omnes regulæ morum, ità ut quidquid est illi conforme, sit bonum, & honestum, & quidquid illi non convenit, sit malum, & inhonestum, & ut tale debeat judicari : vel est *formalis*, scilicet actus ipse judicii, quo intellectus cognoscit, & judicat aliquid esse agendum, vel omittendum, vel *objectiva*, & est ipsa *lex*, vel *regula* præcipiens, aut prohibens, in qua fundatur illud judicium, & quidem ipsa *lex* ut cognita. Dicitur etiam *actualis*, quia est actus intellectus, quo hìc & nunc judicat esse agendum; aut *habitualis* & tunc significat ipsum lumen intellectus ex aggregatione plurium cognitionum, quibus instructus intellectus paratus est, cum se offeret occasio, dictare quid agendum, vel cavendum.

4. Dici etiam solet *ratio superior*, quando respicit, & dictat de spiritualibus, & æternis; & *ratio inferior*, quæ dictat de temporalibus, & caducis.

3. Similiter *conscientiæ* nomen sumitur multipliciter 1. pro dictamine prædicto, quo cognoscitur quid agendum, aut cavendum, & sic coincidit cum *recta ratione actuali*; & *habituali*. 2. pro notitia, quam quis habet de statu suo morali, an sit reus, vel innocens peccati, & hoc sensu dicebat S.Paulus, [1] *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ*. Sic fratres Joseph: [2] *Non est in nostra conscientia quis posuerit pecuniam in marsupiis nostris*. Et Aug. *Quomodo mala conscientia tota est in desperatione, sic bona conscientia tota est in spe*. Et Cicero, *Conscientia benè actæ vitæ recordatio est jucundissima*. 3. sumitur

[1] *Rom.*7. [2] *Gen.*43.*in ps.*131.

mitur pro ipsa voluntate; ut cùm legimus de sanguine Christi (1) D. quòd *emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis*. Et dicimus de viro probo, quod sit *bonæ*, seu *timoratæ*, *aut scrupulosæ*, *aut strictæ conscientiæ*, ut significetur, quòd talis est voluntatis, ut non velit admittere quidquam, quod habeat vel minimam speciem mali: & è contra de improbo, quòd sit *malæ*, seu *depravatæ*, aut *laxæ conscientiæ*, ut significemus, eum non curare, ut caveat peccatum. Nos hìc loquimur de *conscientia* in 1. sensu, scilicet pro *dictamine* illo rationis de re aliqua facienda, aut cavenda, & sic eam capiunt Patres, & Theologi, & Philosophi, cùm vocant eam *legem intellectus*, ut Damascenus; [2] aut *cordis scientiam*, ut D. Bernardus, [3] Et, *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, testimoniū reddente illis conscientia*.

Synderesis, seu *synteresis* juxta nominis græci etymologiam dicitur [4] quasi *scintilla conscientiæ*, & dicitur ab aliquibus apud Scotum *quædam inclinatio naturalis ad id, quod naturalis lex dictat rationi rectæ*, seu *dictamini rationis*: sed ab aliis communiter dicitur *lumen illud naturale intellectus, quo adhæret principiis generalibus, & practicis morum*, quale est istud, *Omne bonum est amandum*: & respondet illi facultati, quam in speculativis appellamus *habitum principiorum*, quo scilicet intellectus adhæret propositionibus, ac principiis generalibus ex sola terminorum apprehensione notis, quale est istud, *Omne totum est majus sua parte*. His prælibatis.

CONCLUSIO I.

Synderesis est judicium practicum dictans de principiis generalibus morum, conscientia verò est judicium practicum dictans in particulari quid faciendum sit, aut vitandum: Ratio verò est quid commune utrique; sed præcipuè dicitur de conscientia.

Prob. 1. ex Scoto, [5] qui ubique docet, *synderesim* versari circa prima principia practica; sicut habitus, qui dicitur intellectus, est habitus primorum principiorum speculabilium; quibus assentimur ex sola apprensione terminorum, *Non potest synderesis aliud poni*

[1] *Hebr.9.* [2] *4.de fide 23.* [2] *de consc.c.3.* [4. *Rom.15.* [5] *d.39.q.1.B.n.4.*

poni, quàm habitus principiorum, qui ſemper eſt rectus, quia ex ratione terminorum virtute luminis naturalis intellectus ſtatim acquieſcit illis, &c. Et de *conſcientia* dicit,[1] quòd *poteſt poni habitus proprius concluſionis practicæ, ſecundum cujus actum nata eſt conformari electio rectè in agibilibus* &c. Quod æquivalentibus verbis docet in Reportatis. *Si ſynderesis dicit aliquod reſiſtens malo, tantùm erit in intellectu, ut habitus primorum principiorum agibilium*,&c.de *conſcientia* verò; *Sicut intellectus practicus aſſentitur principiis agibilibus, ut ſynderesis, ſic aſſentitur concluſioni practicæ, quam videt neceſſariò ſequi* &c. Et quoad *rectam rationem* ubique ſupponit dictare de iis, quæ debent convenire actui ſpectatis omnibus circumſtantiis,ut cùm dicit, bonitatem moralem eſſe quendam decorem, *qui includit aggregationem porportionis debitæ ad omnia . . . . quæ dicuntur à recta ratione debere convenire actui, ita quod pro omnibus poſſumus dicere, quòd convenientia ad rationem rectam eſt, qua poſita actus eſt bonus*.

Prob.2.quo ad utramque partem; nam per *ſynderesim* nihil aliud intelligunt Philoſophi, & Theologi, quàm hujuſmodi habitum, ſeu cognitionem, ac judicium de principiis generalibus, quibus dictatur in communi, quid bonum ſit,& amandum, quidve malum, & fugiendum, & per *conſcientiam* judicium particulare ex illo generali deductum per diſcurſum formalem, aut virtualem,quo dictatur, quid hic, & nunc ſit agendum, aut cavendum. Unde quoties deliberat homo, & eligit, ac ſe determinat ad aliquam actionem, ſit diſcurrit: *Omne bonum eſt amandum* (Hoc pertinet ad ſynderesim) *ſed Deus eſt bonus etiam hic, & nunc* (hoc judicium eſt ſpeculativum, & pertinet ad ſcientiam,nec enim dictat quid agendum) *ergo Deus eſt amandus hic, & nunc*, iſta concluſio eſt actus conſcientiæ, & quidem *practicè practicus* dictans, quòd hic, & nunc ſit eliciendus amor Dei, & eſt regula proxima actus moralis,

Prob.3. diſcurrendo per particulas definitionis, & 1. ſynderesis dicitur *judicium*, quia licèt non diſcurrat, tamen eſt cum adhæſione intellectus, ſeu affirmatione, aut negatione, & id ponitur loco generis reſpe-

[1] *Ibid.n.5.& 6.*

respectu aliarum cognitionum assertivarum etiam in speculativis, sed per id excluditur simplex apprehensio. Nam licèt voluntas possit ferri in objectum simpliciter apprehensum, non tamen prudenter, nec deliberatè sufficienter ad actum moralem, erit actus hominis, non verò humanus: est autem aliquando *simplex judicium* circa prima principia, quibus homo adhæret ex simplici terminorum apprehensione, aliquando verò est *discursivum*, quando ex illis principiis deducuntur conclusiones generales practicæ, ut si ex hac propositione, *Omne malum est vitandum*, inferas; ergo *omne peccatum est vitandum*. Nam hæc universalis conclusio adhuc pertinet ad synderesim. 2. dicitur *practicum*, & per hoc differt à judiciis speculativis. 3. *dictans de principiis generalibus morum*, & sic differt à *conscientia*, quæ dictat de actibus singularibus. Hinc

Prob. de *conscientia*, quæ dicitur 1. *judicium*, non quidem simplex, ut *synderesis*, sed *compositum*, & *discursivum*, saltem virtualiter, nam versatur circa conclusiones practicas deductas ex principiis generalibus. Ideò dicitur *conscientia*, quasi *concludens scientia*. 2. *practicum*, & quidem *practicè*, & *complete*, nam quædam sunt judicia, quæ dicuntur speculativè, seu incompletè practica, v.g. *proximus est amandus*: Dictat quidem de opere, seu de praxi, sed non satis in particulari, ut sit immediata, & proxima regula actus singularis hic, & nunc eliciendi, debet enim *conscientia* dictare spectatis omnibus circumstantiis, in quibus actus amoris erga proximum sunt eliciendi. Hoc judicium est quidem *practicum*, sed speculativè; & cùm viget præceptum aliquod eliciendi actum talis dilectionis, requiritur aliud judicium magis particulare, quo id dictetur, & istud respectu prioris dicitur *practicè practicum*, & erit proxima, & ultima regula talis actus. Id magis declaratur per 3. particulam (*dictans in particulari*) nam illud prius, *proximus est amandus*, non dictat satis in particulari, & ideò non pertinet propriè ad conscientiam. 4. *quid agendum, aut vitandum*, & per hoc distinguitur à judiciis artium, quæ potiùs dictant quidem de opere, quomodo sit faciendum, quàm quod sit faciendum, aut vitandum.

Prob. denique de recta ratione: nam hæc tam dicitur de *synderesi*, quàm de *conscientia*, ut patet. Imò si rectitudo illa rationis dicatur ob exclusionem erroris, hoc meliùs dicetur de *synderesi*, quia hæc est minùs obnoxia errori; quippè quæ versatur circa prima principia morum, quæ natutali lumine nota sunt, & ideò per se evidentia, & nota. Unde ex S. August.[1] *In naturali judicatorio adsunt quædam regulæ, & semina virtutum & vera, & immutabilia*. Et, ut docet Lombardus, *superior scintilla rationis* (sic vocat synderesim) *bonum semper vult, & malum odit semper*, scilicet ostendit bonum amandum, & malum odiendum; in hoc *dicitur remurmurare voluntatem*, inquit Scotus, [2] *faciendo quantum in se est, ut voluntas remurmuret contra malum*. Attamen *recta ratio* magis communiter, & propriè dicitur de *conscientia*, quia dictat, & regulat actus morales in particulari.

Igitur *recta ratio*, inquit Arriaga, *est judicium invincibile de honestate objecti, cui dum quis se accommodat per amorem, bene oporatur, si verò fugiat illud, non benè agit*, quod si judicium sit de turpitudine objecti, tunc rectè agit, si fugiat illud, & non rectè, sed peccat, si non fugiat. Dicitur autem *invincibile*, quia non requiritur absolutè, ut sit actu conforme legi, aut honestati objectivæ, seu à parte rei, sed sufficit, quòd tale judicetur post diligentem inquisitionem, ita ut sit prudens: nam in moralibus non attenditur quid à parte rei sit in objecto, sed quid de ipso judicetur ab operante post diligentem inquisitionem, qualem exigit prudentia, attentis omnibus circumstantiis. Igitur *ratio*, & *conscientia* dicitur *recta*, non præcisè quia judicat de objecto, prout est in se ex natura rei, sed quia de illo judicat, secundum quod apparet prudenti viro, & ideò vocari etiam solet *prudentia*.

Objic. 1. Conscientia etiam dictat de præteritis, ac de omissionibus; ergo non sufficienter describitur *dictans quid faciendum, aut vitandum*; ant. patet ex dicendis de muneribus, seu de actibus ejus, quorum præcipuus est remordere, & arguere, quæ sunt de præterito.

Resp.

[1] 2. *de lib. arbit. c.* 10. [2] 2. *d.* 39. *cit.*

Resp. neg. conf. nam hoc ipso, & per easdem regulas, quibus iudicat quid faciendum, vel vitandum, iudicia de factis, perseverante in memoria iudicio priori.

Objic. 2. Dantur actus indifferentes; ergo & datur conscientia, quæ dictet de illis; sed huic non convenit definitio nostra; ergo non est sufficiens. prob. min. iudicium de indifferentia actus non est de honestate, nec turpitudine, nec de faciendo, aut vitando; ergo definitio nostra non convenit huic conscientiæ.

Resp. neg. subsumptum, & ant. prob. Nam dictat actum indifferentem posse fieri, aut non fieri, & quidem per easdem regulas, per quas dictat de actibus positivè malis, aut bonis, dictat de bonitate & malitia negativa æquè, ac positiva.

CONCLUSIO II.

Synderesis, & conscientia pertinent ad intellectum, illa autem præcipuè est habitualis, hæc verò actualis, licet possit etiam relinquere habitum. Quoad 1. p. est communior, sed quoad ultimam partem videtur contra Thomistas distinguentes *synderesim* à *conscientia* eò quòd illa sit habitus, hæc verò actus.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui ex professo impugnat Henricum dicentem, quòd synderesis est quoddam pondus in voluntate, quod inclinat ad bonum, & avertit à malo in genere, & quod conscientia in particulari est juxta dictamen rationis, & sic impugnat: quia *si synderesis ponatur aliquid, seu potentia quædam animæ habens actum elicitum*, ut volebat Henricus, [2] & alii, *semper necessario tendentem in actum justum, & resistentem peccato, id non potest poni in voluntate*, in qua nihil est necessariò tendens in bonum, nequidem evidenter ostensum, ut patet ex dictis de libertate voluntatis, ergo *est in intellectu, & si sit, non potest aliud poni, quam habitus principiorum, qui semper est rectus*, &c. *& secundum hoc etiam conscientia potest poni habitus proprius conclusionis practicæ*, &c. & alibi. [3] *De 2. quæst. in quo sit conscientia* O 6 *dico*

[1] *2. d. 39. q. 2. B. n. 4.* [2] *Repor. ibid. n. 6.*
[3] *Ibid. n. 7.*

dico per idem, quòd sicut intellectus practicus assentitur principiis agibilibus, sic assentitur conclusioni practicæ, quam videt necessariò sequi.

Prob.2. ratione ejusdem. *Quia si esset talis habitus, scilicet dictamen conscientiæ in voluntate, esset virtus moralis; & tunc conscientia esset temperantia, vel justitia, quod non conceditur. Ideò dico, quòd conscientia est in intellectu, & si est actualis, est dictamen actuale intellectus, & si est habitualis, est dictamen habituale, & ideo est concors scientiæ rectæ.* Habes igitur in his textibus totam conclusionem.

Prob.2.quoad 1. & 2. p. Nam conscientia est in eodem, ac scientia; sed hæc est in intellectu; ergo & conscientia. Prob. maj. 1. ex Scriptura, [1] quæ scientiam tribuit conscientiæ, ut cum dicit, [2] *Scit enim tua conscientia, quia & tu crebrò maledixisti aliis; sic, & ignorantia non est in conscientia nostra;* id est nescimus. 2. ex SS. Patribus; *Necessarium videtur discutere, quid sit istud, quod conscientiam vocat Apostolus, [3] utrum sit aliqua alia substantia, quàm cor, vel anima; hæc enim & alibi dicitur, quia reprehendat, & non reprehendatur, judicet hominem, & ipsa non judicetur, sicut ait Joannes, si conscientia, inquit, non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum: Arbitror, quod ipse sit spiritus, qui ab Apostolo esse cum anima dicitur, veiut quidam pædagogus, & quidem sociatus, & rector, ut eam de melioribus moneat, vel de culpis castiget, & arguat, de qua etiam dicit Apostolus, quia nemo scit hominum, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est, & ipse est conscientiæ spiritus;* hec non possunt convenire voluntati, ut patet. Sic D. Basilius [4] in nobis esse docet *judicium quoddam naturale, per quod ab iniquis bona facile discernimus,* & hoc est munus conscientiæ. Et D. Damascenus [5] dicit conscientiam nostram esse *lumen quoddam intellectus nostri:* Et, *Conscientia est cordis scientia,* inquit Bernardus, *cor enim & se novit sua conscientia, & multa alia; quando novit se, appellatur conscientia, quando præter se alia, nominatur scientia.*

Prob.

[1] *Eccl.7.* [2] *Gen.43.22.*
[3] *Rom.c.2.* [4] *In Prov.init.Cit.*
[5] *De inter.dono.c.22.*

Prob. 3. ratione: nam actus, & officia, quæ communiter tribuuntur conſcientiæ, non poſſunt competere voluntati, ſed ſoli intellectui; ut ſunt *diſcernere* bonum à malo; *dictare*, quid agendum, vel vitandum, *arguere*, *ligare*. Idem eſt de diverſis ejus diviſionibus; nam dicitur *erronea*, *dubia*, *certa*, *probabilis*, quæ de actibus voluntatis non ſolent dici. Unde *ſynderesis* eſt habitus principiorum, quibus aſſentitur intellectus principiis agibilibus; & *conſcientia* eſt habitus, vel actus, quo aſſentitur concluſioni practicæ, quam videt neceſſariò ſequi ex præmiſſis, & cùm illud dictamen ſit ante electionem, non poteſt eſſe in voluntate, quæ eligit.

Prob. 3. p. 1. ex Scoto, [1] qui dicit, quòd *conſcientia eſt in intellectu, & ſi eſt actualis, eſt dictamen actuale in intellectu, & ſi eſt habitualis, eſt dictamen habituale, & ideo eſt concors ſcientia rectæ*, &c. ergo Scotus admittit conſcientiam habitualem, & ſi Poncius attendiſſet ad hunc Textum, non arguiſſet Cornelium, & alios, quaſi legerint oſcitanter Scotum; nam totus ejus diſcurſus apertè docet, illam poſſe dici habitualem; & in ſcripto Oxonienſi [2] dicit, quòd *conſcientia poteſt poni habitus proprius concluſionis practicæ, ſecundum cujus actum nata eſt conformari electio rectè*.

Prob. 2. Quia ſæpe conſcientia ſumitur pro ipſo intellectu cum habitu, quo juvatur, & facilitatur ad dictandum de agibilibus: nec video, cur non poſſit ex pluribus actibus ſic dictantibus generari habitus conſcientialis inclinans, & facilitans ad ſimiles actus, & ideo experimur, conſcientiam efformatam circa aliquod objectum non poſſe facilè deponi; ergo datur conſcientia habitualis; licet ex ordinario uſu vocis hujus ſignificet actum judicii, ſeu dictaminis. Item conſtat experientia, quòd poſt frequentatos tales actus faciliùs, & delectabiliùs illos elicimus, & illis conformamur, quàm ante; ergo ſignum eſt, poſſe ex pluribus actibus conſcientialibus generari habitum inclinantem, & facilitantem intellectum ad ſimiles.

Prob. 3. Quia ad bonitatem, vel malitiam actus huma-

[1] *Ibid. n. 7.*
[2] *Comment. 2. d. 39. q. 2. n. 12.*

humani non est semper necessarium actuale dictamen, sed sæpè sufficit virtuale, aut etiam habituale, ut multi docent [1] etiam ex nostris; ergo datur conscientia habitualis. ant. patebit ex dicendis suo loco de peccatis, & merito.

Tamen absolutè dixi, quòd conscientia est actualis, quia communiter usurpatur pro judicio, & dictamine actuali, seu pro actu judicii de bonitate, aut malitia rei agendæ, vel omittendæ.

Objicies 1. contra 1. & 2. p. Conscientia in Scriptura dicitur bona, aut mala: *Ego*, inquit Paulus, [2] *in omni conscientia bona conversatus sum*: & de hypocritis, [3] *Qui cauteriatam habent conscientiam*; sed hæc non dicuntur de actibus intellectus; ergo conscientia est in voluntate.

Respondeo dist. maj. dicitur bona, sicut intellectus dicitur bonus, *intellectus bonus omnibus facientibus eum*, scilicet directivè, & objectivè, quatenus dirigit ad bonum, & propter concordiam cum voluntate, cum qua est unum principium totale boni, uno verbo per metaphoram, conc. maj. propriè, quasi bonitas, aut malitia moralis sit formaliter, & præcisè in dictamine, vel habitu conscientiæ, neg. maj. & cons. Dictamen igitur dicitur bonum objectivè, quia dirigit voluntatem in bonum, & hoc sensu idem dicitur de cognitionibus practicis. Sic dicimus de cogitatione aliqua, quòd bona sit, quia proponit bonum opus faciendum, & intellectus dicitur bonus, quia est *unum principium totale boni moralis cum voluntate*, inquit Doctor. [4]

Objic. 2. Pœna, dolor, tristitia, remorsus, stimulus, & gaudium spectant ad appetitum, & voluntatem; sed hæc sunt in conscientia, & synderesi; ergo utraque est in voluntate.

Respondeo dist. min. sunt in conscientia causativè, seu effectivè, conc. min. formaliter, neg. min. nam voluntas dolet, aut gaudet de actu suo præsenti, aut præterito, in quantum synderesis, aut conscientia ostendit illi convenientiam, vel disconvenientiam, bonitatem, aut malitiam ejus, præmium, aut penam, quæ illum sequuntur; & sic illi motus sunt virtualiter,

[1] *Mastr. moral. disp. 4. n. 5.* [2] *Act. 23.*
[3] *2. Tim. 4.* [4] *Ibid. n. 2.*

liter, causaliter, & effectivè ab intellectu ostendente.

Objic. 3. ex SS. Patribus; Synderesis semper vult bonum, & odit malum, contra quod semper remurmurat, & respicit bonum, & malum ut objectum; sed hæc sunt in voluntate; ergo & synderesis. prob. min. nam intellectus respicit ens ut verum, & non magis horret visionem mali, quàm boni.

Respondeo dist. maj semper vult bonum, & remurmurat in malum ostensivè, conc. maj. formaliter, & elicitivè, neg. maj. & cons. nam synderesis, & conscientia murmurant contra malum ostendendo illud voluntati ut odiendum, & fugiendum; voluntas verò formaliter, & elicitivè odit malum, vel amat bonum ut tale, liberè tamen.

Objic. 4. Si conscientia esset notitia formaliter, & in intellectu, sequeretur, quòd qui plus scit de agibilibus, plus haberet conscientiæ; sed cons. est falsum; sæpiùs è contra Doctores sunt iniquiores, & laxioris conscientiæ; ergo conscientia non est in intellectu.

Resp. dist. maj. plus conscientiæ quoad cognitionem boni, & mali moralis, conc. maj. & neg. min. plus probitatis, seu inclinationis, & amoris in bonum morale, neg. maj. & cons. Doctiores semper ex scientia meliùs *vident bona, & meliora, probantque*, sed sæpiùs ex pravitate voluntatis *deteriora sequuntur*.

Objicies contra 2. p. Omnis habitus est vel innatus, vel infusus, vel acquisitus; sed nihil horum dici potest de conscientia; ergo non est habitus. prob. min. 1. non *innatus*, sicut synderesis, & habitus primorum principiorum; alioqui non erraret, nec posset variari, & deponi, ut sæpe contingit. 2. non *infusus* à Deo, quia sæpe est erronea; Deus verò non potest infundere errorem. 3. non *acquisitus*; tum quia propter habitus homo non est dignus laude, nec vituperio, benè verò propter conscientiam; tum quia conscientia contrahitur, vel corrumpitur per unum actum.

Respondeo neg. min. est enim acquisitus; nam, ut dicebamus, potest generari habitus rectè judicandi, & dictandi de bonitate actus per plures actus talis dictaminis, sicut per plures actus ratiocinandi generatur habitus Logices; & sic de aliis scientiis. Ad prob.

patet

patet ex dictis. 1. quo sensu homo sit bonus, & laudabilis propter conscientiam, scilicet quatenus secundum illam benè operatur, non verò quia benè judicat præcisè, & 2. conscientia actualis destruitur per actum contrarium, non verò habitualis.

QUÆSTIO II.

De actibus, & divisionibus conscientiæ.

CONscientia respicit actus humanos vel præteritos, vel futuros, & bonos, & malos; circa præteritos est cognitio, ac judicium, quo judicamus aliquem actum fuisse bonum, aut malum, & sic ab Apostolo [1] considerabatur, cum dicebat, *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ*; & de utroque, cùm dicebat de gentilibus; *Testimonium reddente illis conscientia eorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus de malo, aut etiam defendentibus*, quia bonum agnoscunt se fecisse, non malum, & D. Basil. dum ait, quod intra cordis arcana *tribunal quoddam est constitutum, in quo qualibet agenda velut in trutina librantur*.

Primus igitur, & communis, ac essentialis actus conscientiæ est *judicium*, seu *dictamen* de bonitate, aut malitia actus; nam illud exercet circa præsens, præteritum. 2. circa *futurum* docet, quid faciendum, & vitandum; si dictet, seu respiciat bonum *suadet*, *stimulat*, *excitat*, *impellit*, *& obligat*, seu *ligat* ostendendo, & dictando rationem, & motiva, quibus teneatur ad agendum, & ideo *ligat* imponens obligationem aliquam vel consilii, vel præcepti; si verò dictet de malo, quod videt in objecto, vel actu *retrahit*, proponendo scilicet motiva, propter quæ debet odisse objectum, & abstinere ab actu, & hoc modo etiam *obligat* voluntatem, ita ut peccet, si non abstineat; si dictet de re indifferenti, *instigat negativè*, seu *permissivè*, & hi omnes actus sunt verè practici. 3. circa præteritum bonum *laudat*, aut *defendit*, *testificatur*, *approbat*, *consolatur*; circa malum autem præteritum *remurmurat*, *arguit*, *accusat*, & *condemnat*; & hi omnes actus circa preteritũ, quod judi-

[1] 2. *Cor*. 3. *cit*.

judicat bene, aut male factum, sunt potiùs speculativi; quia considerant quidem opus, sed prout jacet, prout est bonum, aut malum, & de hac conscientia circa præteritum loquitur Apostolus in duobus illis locis: & S. Aug. [1] dicens, *Senti de Augustino quidquid libet; sola me in oculis Dei conscientia non accuset, & quando Deus judex erit, alius testis, quàm conscientia tua non erit*. Et S. Gregorius, *Quem conscientia defendit, & inter accusationes liber est, & liber esse non potest, quamvis sine accusatione, si sola conscientia accuset*, & iterum, *Quid enim si homines laudent, & conscientia nos accuset? Aut quæ debet esse tristitia, si omnes accusent, & sola conscientia nos esse liberos demonstret?* &c. Hic ille *vermis, qui non moritur* in damnatis, sed æternum illos corrodet, & cruciabit. *Peccata mea celare non possum*, inquit Bernard. [2] *quoniam quocumque vado, conscientia mea mecum est secum portans quidquid in ea posui sive bonum, sive malum; servat vivo, restituet defuncto depositum, quod servandum accepit*.

Sola conscientia omnes partes judicii agit, & judicis in tribunali interiori animæ. 1. ut *accusatrix* proponit factum, ut examinetur. 2. examinat, & *judicat*, an benè, aut male factum, & an præmio, vel pœna dignum. *Cogitationibus invicem accusantibus, & defendentibus*, inquit Apost. 3. bonum *defendit*, & laudat, ac remunerat gaudio, & quiete; malum vero *judicat*, *condemnat*, & *punit* horrore, tristitia, & remorsu.

Quoad divisiones autem est 1. *recta*, seu *vera*. 2. *probabilis*, 3. *dubia*. 4. *erronea*, seu *falsa*. 5. *scrupulosa*: quibus opponuntur *obliqua*, 2. *improbabilis*. 3. *certa*. 4. *vera*, & 5. *pacata*. Conscientia *recta* est dictamen rectæ rationis, quòd certò dictat bonum esse, quod revera bonum est, & malum esse, quod revera est malum, & quidem certitudine physica, aut morali, quæ excludit omnem dubitationem, saltem rationabilem; *obliqua* verò judicat aliter de re ac est in se, & dicit bonum malum, & malum bonum. *Probabilis*, seu *opinativa* est judicium prudens, & determinatum de bonitate, aut mali-

[1] 2. *con. Manich.*
[2] *Medit.* 33.

malitia actus cum aliqua formidine rationabili de opposito; ut si judicem me non teneri ad jejunium propter provectiorem ætatem, &, ut diximus in Logica post Philosophum, *probabilia sunt, quæ videntur omnibus, aut pluribus, vel sapientibus omnibus, aut pluribus*. Dico, *judicium prudens*; nam debet inniti rationabili fundamento perpensis omnibus utrimque motivis. *Dubia* est potiùs suspensio judicii, quàm judicium de bonitate, aut malitia actus defectu motivi sufficientis ad determinandum intellectum in alterutram partem, & in hoc differt à *probabili*, quæ adhæret positivè, & determinatè uni parti, licèt cum formidine de opposito. *Scrupulosa* est judicium leve, & absque rationabili fundamento, quo timetur, aut putatur aliquid esse malum, quod revera non est, & huic opponitur *temeraria*, quæ ex nimio affectu, seu ex leviori ratione judicat aliquid bonum, quod bonum revera non est. *Erronea* est judicium, quo aliquis per Syllogismum, seu ratiocinationem falsam, & sophisticam judicat quasi certò rem esse bonam, quæ revera mala est, vel è contra.: & in hoc distinguitur à *probabili*, quæ non adhæret sine formidine uni parti, quæ forte est falsa. *Erronea* vero non timet de opposito, & *probabilis* innititur rationi, seu syllogismo probabili, *erronea* vero improbabili, & falso.

Hanc divisionem amplectimur ut communiter receptam à Philosophis, & Theologis: & ratio est, quia supposita definitione conscientiæ, quòd sit judicium intellectus practici dictans in particulari quid faciendum sit, vel vitandum, & quòd hoc judicium procedat per modum conclusionis deductæ ex principiis practicis, vel intellectus sic judicando attingit veritatem, estque omninò certus, & tunc conscientia est *recta*, seu *certa*, & *vera* saltem practicè, vel 2. non attingit veritatem, quia malè ratiocinatur, & tunc conscientia est *erronea*, vel 3. sic judicat, & concludit ex principiis apparentibus quidem, sed non convincentibus, ideò formidat de opposito, & sic adhæret uni parti, ut etiam nonnihil propendeat in partem contrariam; & est conscientia *opinativa*, seu *probabilis*, vel 4. sic instant, & offeruntur motiva in utramque partem, ut non possit sese determinare

nare in alterutram; sed suspendit judicium de utraque, & est conscientia *dubia*. 5. vel denique agitatur scrupulis, seu levibus motivis, ob quæ timet, ne adsit malum in re bona: & est conscientia *scrupulosa*, nec plures, aut pauciores excogitari possunt diversitates hujusmodi judiciorum, & ita sunt veræ.

Fateor tamen, quod *dubia*, & *scrupulosa* non sunt in rigore verè, & positive species conscientiæ: nam *dubia* potiùs est suspensio, seu negatio judicii practici, quàm judicium; ergo non est positivè conscientia. Idem est de alia; quia cum tanta anxietate, & formidine adhæret uni parti, ut non possit esse sufficiens regula ad agendum, nisi deponatur *scrupulus*: tamen communi divisioni standum est, nec ab ea recedendum sine graviori fundamento.

Quidam addunt *suspicativam*, & *temerariam*. alii *bonam*, & *malam*; alii *quietam*, & *perturbatam*, sed facilè ad præcedentes revocantur. 1. vix differt à *dubia*, quia nulli parti adhæret positivè. 2. ad *erroneam*, quia nulli rationabili fundamento nititur. 3. & 4. ad *rectam*, quæ ideò bona est, quia *vera*, & *prudens*, & *quieta*, quia est *certa*. 5. ad *erroneam*, quia in malum ducit, & 6. ad *scrupulosam*, aut *dubiam*, quia scrupulis, aut dubiis agitatur. Denique dividitur in *speculativam*, qua judicatur in universali aliquid esse bonum, aut malum, & *practicam*, qua judicatur hic, & nunc aliquid esse bonum, aut malum, & dicitur *practice practica*, & proxima regula morum; ergo hæc divisio est bona, & sufficiens.

De singulis dicemus, quid influant in moralitatem actuum humanorum, quomodo, & quando obligent.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

De influxu conscientiæ in actus humanos, & quomodo recta obliget.

Conscientia *recta* capi potest 1. pro dictamine rationis, quod sit sufficiens regula operandi; & sic convenit cum conscientia probabili, quæ est etiam sufficiens, & ideò est recta in hoc sensu. 2. pro *dictamine vero*, quod dictat faciendam rem verè faciendam, & hoc etiam sensu conscientia opinativa est recta; nam quod dictat faciendum, est revera faciendum, & id potest esse verum à parte rei, licèt possit etiam esse falsum; sed 3. & propriè hìc sumitur juxta definitionem allatam in præcedenti pro dictamine vero, & certo, quod excludit dubitationem omnem, aut timorem de opposito. Non disputo de differentia inter *ligare*, & *obligare*, quam aliqui statuunt, pro eodem usurpabo, res enim est de nomine.

CONCLUSIO I.

Conscientia est regula interna morum, adeò ut actus non sit humanus, nec laude, vel vituperio dignus, nisi dictetur, & judicetur bonus, aut malus à conscientia. Est communis, & patet ex dictis de libero, & voluntario.

Prob. Omnis actus moralis est necessariò liber; ergo & necessariò præcognitus secundum bonitatem, aut malitiam, *Nihil enim volitum, quin præcognitum.* Id dicit S. Aug. [1] *à pastoribus decantari in montibus; à Poetis in theatris; ab indoctis in circulis; à doctis in bibliothecis; à magistris in scholis; à Pontificibus in templis; à genere humano in orbe terrarum*, scilicet neminem benè, aut malè agere, nisi velit, & non posse velle, nisi præcognoscat, quia voluntas est potentia de se cæca. Ideò pueris, amentibus, & brutis non imputatur quidquam ad meritum, vel demeritum, ut patet ex dictis de involuntario ex ignorantia invincibili.

Objic.

[1] *De duab. anim. c.* 11.

Objic. 1. Sepiùs peccamus ex ignorantia vincibili, & ex inconsideratione, aut oblivione; sed in his casibus nullum adest dictamen conscientiæ; ergo conscientia non semper dictat actus morales. prob. maj. ex Scriptura, & Patribus, qui sæpe damnant facta ex ignorantia, & maximè ex ignorantia juris.

Resp. neg. min. supposita maj. vel majorem supposita minori; nam alterutra est falsa; falsum est nos peccare, si nulla prorsus adest cognitio bonitatis, aut malitiæ actus, & si adest aliqualis cognitio mali, aut boni, adest dictamen aliquod conscientiæ. Scriptura autem, & Patres loquuntur in casu ignorantiæ vincibilis, & crassæ in qua semper habetur aliqualis cognitio mali.

Objic. 2. Multi peccant sine conscientiæ remorsu; ergo & sine illius dictamine; nam illud est, quod remordet. Ant. patet ex Scriptura, & Patribus de induratis, de consuetudine peccandi, aut vehementia passionis; item de stupidis, & rudioribus, qui nesciunt discernere, aut considerare rationes rerum.

Resp. dist. ant. Sine remorsu ex parte voluntatis, conc. ex parte intellectus, neg. ant. multi peccant sine tristitia illa, quam conscientia peccati solet excitare in voluntate propter istius depravationem ex illis aliis causis, sed non sine cognitione aliqua mali; alioquin non peccarent magis, quàm dormientes, vel amentes. Remorsus ergo importat 1. cognitionem mali in intellectu: & est propriè conscientia. 2. horrorem, & odium, & tristitiam naturalem in voluntate; cognitio illa semper requiritur ad bonum, & malum in actibus, non autem illa tristitia, & horror voluntatis. Hanc verò *si sentis, miser; & si non sentis, miserior*, inquit Aug.

Objic. 3. Quæ sunt mala ex objecto, ita essentialiter sunt mala, ut non possint aliter esse, ut odium Dei; ergo ad hæc peccata non influit conscientia.

Resp. neg. ant. Nam si possit contingere talis actus, v, g. odium Dei sine ulla prorsus cognitione mali, non erit moraliter peccatum: an autem ita possit contingere, non est hujus loci examinare.

CON

CONCLUSIO II.

Conscientia est adeò necessaria regula morum, ut non possimus ab ea discordare sine peccato, & maximè si sit recta; in quo ipse Deus dispensare non potest.

Prob. 1. ex Scoto, [1] quia quærens, an omnis conscientia liget? respondet, quòd *potest esse conscientia de lege divina, vel de actu indifferenti, vel conscientia erronea de actu contra legem divinam. 1. modo ligat, cum conscientia est conformis legi divinæ. 2. modo ligat, quia qui habet conscientiam de actu indifferenti credens, quod sit de necessitate salutis, faciens contrarium contemnit salutem, & faciendo actum in se non peccat, cùm sit ex se indifferens; ligatur ergo ad faciendum, si est conscientia erronea adhuc ligat*, &c. ergo omnis conscientia ligat hominem ad se illi conformandum.

Probatur 2. ex Script. & Patribus citandis pro conscientia erronea; nam à fortiori valent pro ista.

Prob. 3. quoad 1. p. quia actus difformis suæ regulæ internæ, & proximæ est peccatum; sed conscientia est regula interna, & proxima actuum omnium moralium; ergo si ei non conformentur, sunt peccata. Maj. patet ex definitione actus mali, seu peccati: & certè voluntas non potest esse recta, nisi prout suæ regulæ conformatur; ut enim docet D. Thomas, [2] *Bonum cujuslibet mensurati, & regulati consistit in hoc, quod conformetur suæ regulæ; sicut bonum artificiati est, ut sequatur regulam artis*. Hoc maximè verum est de recta ratione.

Prob. 2. p. scilicet quòd Deus dispensare non possit hominem ab obligatione sequendi conscientiam rectam ex Scoto. [3] Deus non potest velle aliquid contrarium legi naturali, & æternæ, nec dispensare in præceptis, *quæ sunt strictè de lege naturæ*; sed dispensaret de lege naturæ strictæ, & æternæ, si dispensaret ab obligatione sequendi conscientiam rectam; ergo id non potest. Prob. min. ipsa conscientia recta est participatio divinæ rationis, & intimatio legis natu-

[1] *Repor.2.d.39.n.30.* [2] *1.2.q.64.ar.3.*
[3] *3.d.37.C.n.6.*

naturalis, & æternæ; ergo non potest dispensari ab obligatione talis conscientiæ sequendæ, quin dispensetur à lege stricta æterna, & naturali.

Prob. 2. Quia si Deus dispensaret in hoc, vel id sciret homo, vel non; si nesciret; ergo non excusaretur à peccato discordans à recta conscientia; quia dispensatio non excusat, nisi sit cognita. 2. si sciret dispensationem; ergo conscientia recta dictaret, quòd possit uti illa; ergo utendo illa dispensatione ageret secundum conscientiam rectam, & proximam suam regulam. Dico (*proximam*) nam sublata dispensatione, & cognitione ejus aliter formasset conscientiam, scilicet dictantem illicitum esse non conformari ejus dictamini.

Objic. Voluntas est recta, quando conformatur conscientiæ erroneæ; sed hæc conscientia non est recta; ergo voluntas potest esse recta, & sine peccato, licèt non conformetur rectæ conscientiæ. min. est evidens ex definitione talis conscientiæ. maj. patebit ex quæst. sequenti.

Resp. dist. min. hæc conscientia non est recta speculativè, conc. min. practicè, neg. min. Rectitudo judicii duplex est. 1. *speculativa*, quando est conforme rei in se, & de illa enuntiat secundum veritatem; uno verbo tunc est *speculativè* recta, quando est vera; *practicè* verò est recta, quando prudenter dirigit voluntatem, dictando scilicet de re, prout apparet post exactam inquisitionem veritatis, licèt de facto, & à parte rei aliter se habeat, & erret, sed invincibiliter. Conscientia igitur erronea quando sic dirigit, est recta *practicè*, sed non *speculativè*: unde inferes, quòd ut voluntas sit recta, & non peccet, sufficit, ut sit conformis conscientiæ, ac dictamini, seu rectæ rationi practicæ, seu ut faciat, quod ratio prudenter dicta faciendum.

Inst. Eadem conscientia esset simul recta, & non recta; sed hoc implicat; ergo &c.

Respondeo dist. maj. recta, & non recta sub diverso respectu, conc. maj. & neg. min. sub eodem respectu, neg. maj. & cons. est *recta* practicè, quia rectè, & prudenter dictat, scilicet sicut illi apparet dictandum post diligens examen; non *recta* verò speculativè, quia non assequitur veritatem, sed judicat ho-

nestum id, quod revera non est, vel judicat vetitum quod est indifferens, aut honestum.

Quæres 1. *An dictamen illud conscientiæ debeat esse actualiter præsens, dum voluntas agit. 2. an sufficiat, quod præcesserit, & sit virtuale, aut habituale, ut quis dicatur agere secundum, vel contra conscientiam.*

Resp. sufficere, quòd præcesserit, & virtualiter, aut habitualiter perseveret. Ratio est, quia sufficit ut dirigat voluntatem, ne cæco modo agat. Unde si heri judicabam mihi hodie jejunandum, & in virtute hujus dictaminis hodie jejunem, licèt actu non cogitem de jejunio, nemo negabit id sufficere ad bonitatem jejunii.

Quæres 2. *An committatur speciale peccatum, quando discordatur à conscientia, & an peccetur dupliciter, sc. contra legem, & simul contra speciale præceptum sequendi dictamen conscientiæ, item an mortaliter, vel venialiter.*

Resp. non peccari nisi contra virtutem, aut legem, & illud peccatum esse mortale, aut veniale secundum qualitatem materiæ, aut circumstantiarum, v. g. si conscientia, & recta ratio dictat huic pauperi dandam hic, & nunc eleemosynam ex precepto charitatis, si non des, peccas contra legem charitatis, & si necessitas pauperis dictetur ut gravis, peccatum erit mortale; si levis, erit veniale. Ratio est 1. quia qui agit contra dictamen conscientiæ, ideo peccat, quia facit id, quod judicat vitandum, vel omittit, quod judicat faciendum; ergo illi imputatur malitia, quam agnoscit in actu, vel omissione, & tanta, quantam agnoscit. 2. quia conscientia non obligat virtute propria, sed aliena, scilicet virtute legis naturalis, aut positivæ divinæ, vel humanæ, sicut præco, vel nuntius legislatoris; ergo non facit per se, ut contra eam peccetur speciali peccato distincto ab eo, quod proponitur in objecto, v. g. si proponatur inesse malitiam furti, erit peccatum furti.

Dices. Peccat contra duas regulas; ergo dupliciter peccat. prob. ant. peccat contra legem de sequenda conscientia, & contra præceptum charitatis in casu posito; ergo contra duas leges.

Resp. dist. ant. contra duas regulas connexas, & subor-

subordinatas, ac partiales, quæ unam integrant, conc. ant. contra duas disspartitas, neg. ant. & conſ. nam ſicut lex non obligat niſi ut cognita, & applicata voluntati per dictamen conſcientiæ, ita non peccatur contra eandem legem, niſi cognita obligatione; & ſic peccari non poteſt contra legem, niſi diſcordando à dictamine illo; ſi verò ex malitia vellet quis violare legem, & adhuc non ſequi dictamen, duplex eſſet peccatum; ſed hoc per accidens eſt, non ex natura rei.

Quæres 3. *Si conſcientia dictat eſſe malum ſimplex, & in genere non cogitando de ulla malitia ſpeciali, quale erit peccatum?*

Reſp. Peccatum illud non pertinere ad ullam ſpeciem vitii, ſicut nec bonum ad ullam virtutem; peccabitur contra ſynderesim dictantem in genere de bono faciendo, & malo vitando, ſed peccatum erit mortale. Ratio eſt, quia qui faceret id, quod confusè, & in communi cognoſcit eſſe malum, neſciens, an ſit grave, aut leve, exponit ſe periculo peccandi graviter; ergo & graviter peccat. Conſ. patet ex axiomate ab omnibus recepto, quod qui ſe exponit probabili periculo graviter peccandi, peccat mortaliter; nam oſtendit ſe non curare grave peccatum magis, quam leve, & ſe eſſe diſpoſitum ad utrumque. Et Sapiens docet, quòd *qui amat periculum, in illo peribit*. Prob. ergo ant. nam tunc ille certus eſt ſe peccare, & neſcit an peccet mortaliter, vel venialiter: ergo ſcit actum ſuum poſſe eſſe mortalem; ergo ut talem vult illum, aut ſaltem ſe exponit periculo faciendi rem graviter malam.

Dices. Sicut peccat in genere mali præcisè ab omni vitio ſpeciali, ita & in genere communi peccato veniali, & mortali; ergo non peccat mortaliter. Prob. conſ. non poteſt ineſſe plus malitiæ, quàm potentiæ, ſeu voluntatis, & cognitionis; ſed in cognitione, & voluntate non eſt malitia mortalis, ſed malitia *ut ſic*; ergo & in actu. Prob. min. nam voluntas ſe continet intra limites malitiæ communis, & abſtrahentis à mortali, & veniali, ſicut illi repræſentatur à conſcientia.

Reſp. neg. parit. & conſ. & diſparitas eſt, quia volitio mali, quod poteſt eſſe, & agnoſcitur poſſe eſſe mor-

tale, vult virtualiter mortale ob rationem allatam; sicut si conscientia proponeret actum posse habere malitiam furti, aut sacrilegii, utramque contraheret, quia utriusque periculo se exponeret, & ad utramque esset dispositus.

Inst. ergo Rustici, & idiotæ, qui nesciunt distinguere inter mortale, & veniale, semper peccarent mortaliter; sed hoc videtur durum, & absurdum, & contra omnes; ergo potest peccati venialiter in eo casu.

Resp. dist. maj. Si aliquo modo suspicentur, quod peccatum possit esse mortale, seu grave, conc. maj. & neg. min. nec enim durum, vel absurdum est, nec contra rationabiliter philosophantes, si nullo modo suspicentur de gravitate peccati, neg. maj. & cons. & ratio negati clara est ex principiis moralibus allatis.

Quæres 4. *An obligatio operandi secundum conscientiam sit de lege naturali, an positiva.*

Resp. eam esse de lege positiva, si quod judicat faciendum, aut vitandum, præcipiatur, aut vetetur lege positiva; si verò lege naturali, talis erit obligatio illa. Ratio est, quia conscientia non habet ex se vim ligandi, sed ex lege, quam proponit; ergo qualis erit lex obligans, talis erit & obligatio sequendi conscientiam; unde si conscientia judicat hic, & nunc dandam esse eleemosynam huic pauperi ex lege naturali, teneberis dare ex eadem lege; si proponat eam obligationem ex lege divina, eadem erit in te ad dandam eleemosynam; sed præter hanc obligationem moralem, adest alia naturalis, & physica orta ex cæcitate voluntatis, & alia generalis, & moralis, qua tenetur amplecti, quod illi proponitur ut bonum, & fugere, quod proponitur ut malum.

QUÆSTIO IV.

De conscientia erronea, an, & quomodo obliget.

NON distinguo hic inter *ligare*, & *obligare*, ut volunt aliqui, & gratis, ni fallor; nec id placet turbæ Philosophorum, & Theologorum, qui his verbis utuntur indifferenter, & pro eodem: sed necessaria est distinctio conscientiæ errantis *vincibiliter*, & *invincibiliter*. I. est, quæ potuit vincere errorem,

&

& assequi veritatem facta debita diligentia ad istam assequendam, & illam deponendam. 2. verò, quæ facta debita diligentia, ea scilicet, quam solet adhibere vir prudens in negotiis magni momenti, non potuit aliter judicare de bonitate, aut malitia rei; & id accidit vel quia non venit in mentem ulla dubitatio; vel quia si venit, facta omni diligentia debita, visum est rem ita esse, licèt revera non sit. 1. dicitur *crassa*; & adhuc duplex est, *affectata*, qua quis negligit inquirere veritatem, ne teneatur ei se conformare, v. g. non vis ire ad missam parochialem, ne audias jejunii obligationem, vel adire confessarium, ne te doceat obligationem restituendi, quia non velles jejunare, aut restituere, & non *affectata*, quæ negligit quidem inquirere scientiam, & veritatem, sed absque propensione in actum oppositum scientiæ, aut veritati, v. g. non adis Ecclesiam, ubi annunciantur festa, & jejunia, & id facis, non quia inclinaris ad non jejunandum, aut non feriandum, sed ex pigritia, vel amore venationis, &c. & tamen ex illo errore sequitur violatio jejunii, & festi; utraque est culpabilis, quia in utraque advertis tibi deesse lumen, & cognitionem aliquam ad rectè agendum, & negligis eam quærere, cum deberes, sed prior longè pejor est.

Porrò de *crassa affectata* non est dubium, quin non solùm liceat, imò debeat voluntas ab ea discordare, aut saltem eam deponere; nam oritur ex ipsa voluntate peccandi, & ipsamet peccatum est, aut effectus peccati; restat difficultas de *non affectata*, & quæritur, an voluntas debeat ejus dictamen sequi, ita ut peccet non se illi conformando; & id à fortiori quæritur de *invincibili*.

Rursus conscientia *erronea* potest dictare de re facienda, vel omittenda, & illicita sub præcepto, & cum obligatione sub pœnam peccati, aut de re indifferenti, vel bona, sed absque obligatione, & quam potest facere, vel omittere sine peccato. De ista non est difficultas, sed de priori; certum enim est, nos non teneri facere omnia, quæ licent, & bona judicantur; imò potiùs ea conscientia dispensat ab obligatione illam sequendi: quæstio igitur procedit de *erronea invincibili*, & de *vincibili* non *affectata*,

quæ proponit aliquid ut bonum, & ut faciendum, vel ut malum, & ut vitandum, & id sub obligatione peccati, an voluntas peccet, si non sequatur eam.

CONCLUSIO.

Conscientia invincibiliter erronea obligat voluntatem, ita ut hæc peccet, si se illi non conformet: errans autem vincibiliter deponenda est, alioqui peccatur. Est communis quoad primam partem, non adeò quoad secundam.

Prob. 1. ex Scoto [1] citato. *Si est conscientia erronea adhuc ligat; sed non tenetur ad faciendum illud, nec ejus contrarium, sed ad deponendum errorem, quia sive faciat, sive non faciat stante conscientia peccat mortaliter* (in materia gravi, & ubi agitur de lege divina, nam de hoc casu loquitur) Idem docet alibi [2] de ministro sacramenti, qui putans erroneè baptismum acceleraturum mortem pueri, debet deponere errorem, aut non baptizare.

Prob. 2. ex Script. docente, numquam licitum esse agere contra conscientiam, quam vocat fidem. *Scio*, inquit Apost. [3] *& confido in Domino Jesu, quia nihil commune* (id est immundum) *per ipsum, nisi ei, qui existimat* (in conscientia, & quidem erronea) *quid commune esse; tu fidem habes* (scilicet credis cibos omnes esse immundos) *penes temetipsum habe coram Deo. Beatus, qui non judicat semetipsum in eo, quod probat* (quia conscientia non reprehendit ipsum) *qui autem discernit*, (se non debere manducare judicans, vel dubitans) *si manducaverit damnatus est, quia non ex fide*; (non agit juxta conscientiam, licèt erronea sit) *omne autem, quod non est ex fide* (id est ex conscientia) *peccatum est*: sic exponunt communiter Glossa, [4] & interpretes, ut colligitur ex SS. Canonibus c. *litteras*, &c. *inquisitioni*, & alibi. Vides, D. Paulum ibi loqui tam de illo, qui ex conscientia erronea existimat, aliquos cibos esse immundos, quàm de alio, qui ex vera conscientia omnes credit mundos, & licitos; & cibos illi priori docet esse vetitos, non

[1] 2. *Repor. d. 39. n. 10.*
[2] 4. *d. 5. q. 3. A. n. 2. & in Repor. ibid.* [3] *Rom. 14.*
[4] *De reptii. spol. & c. fin. de præscript.*

non isti, licèt hic coram illo debeat ab eis abstinere, ne illi sit scandalo. Idem confirmat de illis, qui ex errore putant idolothyta esse immunda; nam si contra dictamen talis conscientiæ comedant eas carnes, peccant, *conscientia ipsorum cùm sit infirma, polluitur*. Sic qui ex errore adhuc circumciderentur, credentes eam legem adhuc vigere, ad hanc tenerentur. [1] *Testificor omni homini circumcidenti se, quia debitor est universæ legis faciendæ* (scilicet ob conscientiam, quamvis erroneam, etenim verè esset erronea; quia *in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium*.

Prob. 3. Quia conscientia est regula proxima actionum moralium; nam leges divinæ, & naturales, & humanæ non sunt regulæ, nisi ut cognitæ, & ut intimatæ voluntati per conscientiam; ergo ut istæ actiones sint rectæ, debent illi concordare. Prob. cons. ut actio sit recta debet concordare suæ regulæ: sed conscientia etiam erronea est regula actionum moralium; ergo istæ debent illi concordare. Prob. min. conscientia invincibiliter erronea est prudentialis; dictat agendum, aut non agendum post exactum veritatis examen, & absque dubitatione de opposito, vel suspicione erroris, qui tamen de facto inest; ergo est sufficiens regula moralium actionum. Ant. patet ex ipsa definitione talis conscientiæ, & ignorantiæ, quæ ideò dicitur inculpabilis, & recta, & prudentialis. Unde Jacob dum accessit ad Lyam, quam invincibiliter putavit esse uxorem suam Rachelem, excusatur à culpa adulterii.

Confir. Tenemur conformari conscientiæ, quæ practicè recta est, & moraliter certa: sed talis conscientia est practicè recta: ergo, &c. Prob. min. ex communi sententia: per conscientiam practicè rectam intelligimus eam, quæ dictat secundum majorem apparentiam veritatis post districtum examen, licet veritatem à parte rei existentem non assequatur: sed talis est conscientia hæc: ergo est practicè recta. Ant. pat. alioqui enim numquam possemus agere ex conscientia probabili, sed semper requirerentur conclusiones demonstrativæ, quod nullus admittet eo maximè, quia conscientia propriè dictat de singularibus,

[1] 1.*Cor*.1.

de quibus non habetur scientia.

Confir. denique: nam quoties voluntas fertur in obiectum sibi repræsentatum ut bonum, & honestum, verè amat honestum; ergo & honestè agit, & è contra si non amet illud non agit honestè, sed peccat.

Prob.2.p.Nam, ut dicebamus ex Scoto qui habet conscientiam, quæ per errorem vincibiliter dictat se debere circumcidi, non potest nec circumcidi, nec omittere circumcisionem sine peccato; ergo debet deponere illam conscientiam, & ad hoc obligatur. Prob. ant. 1. non potest circumcidi sine peccato, quia faceret contra legem Euangelicam, à qua *non se absolvit per errorem suum culpabilem; nullus se absolvere potest per peccatum suum, qualis est hic error, quia est culpabilis, quia est ignorantia dispositionis, & quidem prava, & aliqualiter voluntariæ, non negationis*, inquit Doctor, [1] *ideo non excusat, sed accusat*. 2. si omittit, facit contra conscientiam suam, qua judicat se debere circumcidi ex lege antiqua divina; ergo licèt à parte rei non teneatur, nec debeat, adhuc tamen in sua voluntate peccat, quia vult omissionem præcepti, ad quod ipse judicat se obligari sub peccato; ergo cùm remaneat perplexus inter duo peccata mortalia, quorum alterum evitare non potest, nisi deponat conscientiam, tenetur eam deponere.

Confir. Quia talis error, & conscientia est culpabilis, quia est voluntaria saltem negativè, & quisque tenetur quærere veritatem, & eruditionem de his, quæ urgent ad salutem; ergo tenetur deponere illam ut culpabilem.

Addit Scotus, quòd si hæc conscientia est de præcepto negativo, ut *non occides*, statim absque omni mora peccat, si non eam deponat, quia præcepta negativa obligant semper, & pro semper, si est de præcepto positivo, ut *memento ut sabbatha sanctifices*, debet eam deponere pro tempore, quo illud præceptum urget; nam peccat, si non adimpleat pro tempore, pro quo tenetur; tamèn potest stare per aliquod tempus posito aliquo casu, & si non peccet, non tenetur statim deponere errorem contrarium.

Objic.contra 1.p.Conscientia erronea etiam invincibilis potest judicare bonum, & præceptum id, quod re-

[1] *Ibid.*

revera est malum, & prohibitum; sed tunc ea conscientia non obligat; ergo conscientia invincibiliter erronea non obligat. Prob. min. nemo potest ad malum obligari; sed quod talis conscientia proponit, est absolutè malum; ergo ad id non potest obligare.

Resp. neg. min. & dist. maj. prob. ad malum cognitum, & judicatum malum, conc. maj. & neg. min. ad malum materialiter, & quod judicatur bonum judicio prudenti moraliter, neg. maj. & cons. nam in casu posito homicidium v. g. aut circumcisio per conscientiam invincibiliter erroneam proponitur voluntati ut bonum, & judicio moraliter prudenti, & recto, & licèt à parte rei falso.

Inst. Discordare à conscientia dictante contra legem est concordare cum lege Dei; sed tenemur concordare cum lege Dei; ergo & discordare à conscientia erronea. Prob. maj. conscientia erronea judicat hoc homicidium verbi gratia esse bonum, & lex Dei hoc vetat; ergo tenemur vitare hoc homicidium, quod dictat conscientia erronea, & concordare cum lege Dei.

Resp. eodem modo dist. maj. est discordare à lege Dei materialiter, conc. maj. & neg. min. formaliter, & cognita ut tali, neg. maj. & cons. nam tunc homicidium proponitur, & practicatur velut conforme legi Dei, & formaliter, ac in judicio conscientiæ tale est, licèt materialiter sit illi contrarium; lege autem naturali, & divina tenemur agere, & concordare non tam cum legibus, quales sunt à parte rei, & materialiter, quàm quales sunt formaliter, & practicè in conscientia post debitum veritatis examen.

Objic. 2. Si quis invincibiliter putaret Dei amorem esse malum, peccaret amando illum; quia faceret contra conscientiam erroneam invincibiliter; sed consequens est falsum, & absurdum; ergo non tenemur sequi conscientiam erroneam invincibiliter. Probat. min. implicat enim Deum diligi super omnia, & illum inde offendi.

Resp neg. suppositum maj. supponit enim, quòd homo cognoscens, & amans Deum super omnia possit invincibiliter credere illum non esse amandum, quod contingere non potest, sicut nec quòd odium Dei sit bonum; hæc enim evidenter adeò repugnant,

ut homini ratione utenti non possint venire in mentem, saltem inculpabiliter; si verò per impossibile supponatur talis ignorantia, neganda erit min. non enim magis repugnat admittere peccatum illud, quàm talem ignorantiam; *ex absurdo enim sequitur absurdum*.

Inst. contra hanc 2. respons. ergo charitas etiam supernaturalis, & Deus ipse concurreret ad peccatum; sed hoc implicat; ergo &c. prob. seq. non enim potest amari Deus super omnia sine auxilio supernaturali gratiæ.

Resp. neg. seq. & prob. ejus in ea suppositione: nam ille amor si supponatur possibilis, non erit ex gratia, nec ex charitate infusa, & supernaturali; non posset esse, nisi purè naturalis.

Objic. 3. Conscientia est inferior Deo: ergo non potest dispensare ab obedientia debita legi Dei, nec à fortiori permittere, vel obligare ad contrarium, v. gr. ad mendacium, quod ex errore posset judicare esse præceptum; quia hoc esset contrarium legi Dei prohibentis mendacium velut per se, & ex objecto malum. Prob. ant. Inferior non potest obligare contra legem superioris.

Resp. neg. ant. & dist. prob. contra legem superioris cognitam, conc. ant. contra legem ignoratam invincibiliter, neg. ant. imò tunc mendacium proponeretur ab intellectu, & diceretur, & eligeretur à voluntate, ut præceptum per legem Dei.

Inst. Ergo leges Dei essent contrariæ, & præciperent contraria; una præciperet mendacium, alia prohiberet illud, quod dici non potest.

Resp. neg. seq. Nam à parte rei, & secundum veritatem lex vera Dei prohibet mendacium, & numquam præcipit; secundum existimationem erroneam præciperet illud, & numquam prohiberet, saltem in eo casu; v. g. cum agitur de salvanda vita propria, vel amici.

Obic. contra 2. p. In casu conscientiæ vincibiliter errantis sufficit non operari contra illam; ergo non est necesse semper deponere illam; & sic licèt non obliget positivè ad faciendum, quod dictat, obligat tamen negativè ad non faciendum contra dictamen, v. g. si dictat mentiendum hic, & nunc pro amico, non

te-

teneor quidem mentiri positivè, sed teneor ad non dicendum veritatem contra illum: sufficit, ut taceam: & in hoc differt ab errante invincibiliter, quia hæc obligat positivè, & negativè: *crassa* verò obligat tantùm negativè: sic explicant aliqui obligationem conscientiæ errantis.

Resp. neg. ant. Quia si non mentiar, dum conscientia dictat id esse necessarium ex præcepto, pecco, & teneor positivè mentiri, nisi deponam errorem illum; omitto enim actum, quem puto graviter præceptum: & si taceam, facio contra illud præceptum existimatum urgere. Præterea ille eror est culpabilis: & sive agam positive, sive negativè, semper teneor deponere illum, ut vitem periculum peccati.

Objic. 2. Saltem hæc conscientia obligat, quamdiù durat error: quia hic non potest statim deponi: ergo conscientia vincibiliter erronea pro aliquo tempore obligat, sicut invincibilis; sic enim explicant alii hanc difficultatem.

Resp. neg. conf. nam si pro eo tempore, quo voluntas agit, non possit error deponi, tunc est invincibilis & ruit fundamentum: si deponi potest, peccatur: quia ipsemet error est culpabilis: & actus inde sequens est voluntarius indirectè, scilicet in causa, seu in errore crasso, & vincibili: & quidem hoc ipso quod non curas deponere errorem per inquisitionem exactam veritatis, peccas contra virtutem, in cujus materia versatur error, quia te exponis voluntariè periculo peccandi contra illam.

Quæres 1. *Si non deponatur conscientia vincibiliter errans, an gravius peccetur agendo contra illius dictamen, an sequendo illud*; v.g. si ex errore judico mentiendum esse hìc, & nunc in judicio ad salvandam vitam innocentis, si mentior, pecco contra veritatem: si non mentior, pecco contra charitatem, quodnam eorum gravius est?

Resp. hanc gravitatis mensuram petendam ex materia, ex legibus, & ex circumstantiis: v. g. in exemplo, & casu allato, qui sequitur eam conscientiam, & mentitur, facit quidem peccatum in materia mendacii officiosi, quod fortè est veniale: at si non mentiatur, peccat contra charitatem, & justitiam, &

quidem graviter; è contra verò potest contingere, ut gravius sit peccatum sequi eam conscientiam, ut si dictet esse furandum, ut dare possis eleemosynam, si te conformes huic conscientiæ, & fureris, peccas mortaliter; & eleemosynam omittens non peccares, nisi venialiter.

Quæres 2. *quomodo, & quando conscientia erronea sit deponenda.*

Resp. 1. Jam constare ex Scoto, quòd sit deponenda statim, si agatur de præceptis negativis, quia hæc obligant ad semper omittendum, quod prohibetur, & quòd pro positivis sufficit eam deponere, quando urget obligatio ea adimplendi.

Resp. 2. eam deponi posse per debitam applicationem in quærenda veritate, vel apud te attentè considerando materias, & leges, & circumstantias, & rationes, & principia morum, vel consulendo libros, aut peritos juxta præceptum Sapientis, [1] *Qui agunt omnia consilio, reguntur sapientia*, Et, [2] *Sine consilio nihil facies.*

Quidam censent, id fieri posse ex solo imperio voluntatis; sed malè, nam conscientia non mutatur in intellectu, nisi mutatis motivis, aut saltem illis melius intellectis; ad id autem obligat non ipsa conscientia erronea; non enim judicat seipsam, sed alia recta; & verè fundata in jure naturali; vel positivo non peccandi, nec se exponendi periculo peccandi.

QUÆSTIO V.

De conscientia scrupulosa, an, & quomodo obliget.

SCrupulus dicitur à *scrupo*, qui est lapillus in calceo pedem non tam vulnerans, quàm affligens: nam *scrupulus* conscientiam vexat; & hoc sensu loquitur ipsa Scriptura: [3] *Non erit tibi in singultum, & in scrupulum cordis, quòd effuderis sanguinem innoxium.* & Cicero; *Hunc mihi ex animo scrupulum evelle, qui me dies, noctesque stimulat, ac affligit.* Conscientia igitur scrupolosa pungit, ac vexat animum; nam licet

[1] Prov. 12. [2] Eccl. 32.
[3] 1. Reg. 25.

cet per iudicium determinatum propendeat in unam partem, scilicet quòd actio bona, aut licita sit (& per hoc distinguitur à conscientia dubia, quæ pendet in æquilibrio) tamen ex levibus quibusdam motivis suspicatur, & timet, an insit aliquid mali, aut peccati: ut si quis timeat, ne peccaverit, quia videt se paleas calcasse in modum crucis jacentes. Dico, *ex levibus*, & sic distinguitur à *probabili*, quæ determinatè adhæret uni parti, & ex gravibus motivis timet de opposita: *scrupulosus* verò etiam sine ratione peccatum timet inesse rei, in qua nullum est; & ideò timor vanus est; quia ex inani rationum umbra nascitur, quæ animam obnubilat.

Vulgus confundit hanc conscientiam cum *synderesi*, aut etiam cum aliis, ita ut homines timoratæ conscientiæ, & qui exactè sequuntur dictamen *synderesis*, vocet scrupulosos; sed abutitur vocibus; nam, ut diximus, *synderesis* non errat, sicut ista, quæ ex levi umbra rationis suspicatur malum, & *trepidat timore, ubi non est timor*: igitur *conscientia scrupulosa est quædam apprehensio, vel judicium imperfectum, & erroneum ex levissimis, aut vanis motivis de malitia rei alioqui bonæ;* unde in aliquo convenit cum errante, & dubia, & probabili. Dicitur 1. *apprehensio*, vel *judicium*: quia sæpe in sola apprehensione simplici sistit: aliquando judicat positivè rem posse esse malam, 2. *imperfectum*, & sine firma intellectus adhæsione; imò stat sæpe cum judicio firmiori de bonitate rei, ideò vocatur *suspicio* quædam, quæ ex D. Thoma, [1] est opinio mali ex levibus signis: & præter actum intellectus includit etiam timorem, & anxietatem voluntatis: & per hoc differt à *dubia*, quæ non judicat, sed hæret suspensa. 3. *erroneum*, quia apprehendit, aut judicat, aut suspicatur malum in re bona: & in hoc convenit cum *erronea*. 4. *ex levissimis, aut vanis motivis*: & in hoc differt ab *erronea*, quæ nititur quidem falsis, sed valdè apparentibus motivis, propter quæ invincibiliter adhæret judicio falso. Differt etiam per idem à *probabili*, quæ rationalibus motivis nititur. 5. *de malitia rei alioqui bonæ*: nam hæc conscientia ordinariè non dicitur de præsumptione, & judicio, quo res mala præsumitur bona,

[1] 2.2.q.40.a.1.

sed è contra. Quæritur ergo, an hęc conscientia sit certa regula morum.

CONCLUSIO

NOn tenetur homo sequi judicium conscientiæ scrupulosæ: imò sæpius tenetur contrarium agere, semper verò tenetur deponere.

Prob. 1. tota conclusio ex dictis de conscientia erronea, crassa, & vincibili: nam, ut dicebamus, hæc non est regula sequenda, sed deponenda; ergo & illa. 2. ex dicendis de conscientia probabili; nam in hac debemus conformari judicio probabili, aut probabiliori, relicto minus probabili, ergo à fortiori relinqui debet judicium scrupulosum, quod est minùs probabile, imò non est probabile, sed levissimum, & erroneum; ergo non est regula sequenda in moralibus.

Prob. specialiter quoad 1. & 2. p. quia scrupulus consistit in simplici apprehensione, vel judicio non probabili, sed levissimo de malitia, quæ verè non inest, & stat cum judicio probabiliori de honestate actus; sed in tali concursu non tenemur sequi judicium improbabilius, sed contrarium agere, si est probabilius; ergo non tenemur judicium sequi scrupulosum, imò tenemur contrarium agere, si sit in re præcepti; ergo, &c.

Confir. Nam sæpe confessarii, & superiores ut curent scrupulosos, ex obedientia præcipiunt, ut contrarium agant, & ad id tenentur subditi, v. gr. qui propter scrupulum nollent communicare in Paschate, possunt ad id cogi per superiores, & hoc etiam in aliis casibus potest contingere in remedium contra scrupulos, ut docent communiter Patres spirituales, & Doctores.

Prob. 2. p. Quia licèt absolutè possimus agere contra scrupulos, tamen melius, & tutius est illos deponere; & sic vitamus omne prorsus periculum; & cum minori perturbatione facimus opera bona, nec ulla ex scrupulis oritur utilitas; ergo semper debent deponi: & ideò Patres, & Doctores suggerunt regulas, & remedia, quibus deponi possint, & velut infirmitates curari, ut mox dicemus.

Objic.

Objic. 1. Scotus docet eum, qui crederet baptismum accelerare mortem infantis, esse debere perplexum de homicidio spirituali, aut corporali, & non debere baptizare contra illam conscientiam, licet erroneam; quia committeret homicidium, vel dimittenda est conscientia erronea, quæ fuit causa perplexitatis, & implendum est præceptum de baptismo conferendo in casu necessitatis; sed hæc conscientia eo modo, quo eam explicat, est scruplosa; ergo ex Scoto non licet agere contra illam. Prob. min. nam verisimile est, quòd aspersio aquæ modicæ nullo modo noceat, inquit; & *apparet etiam satis rationabiliter, quòd illa præsumptio est irrationabilis*, &c. ergo talis conscientia est purè scrupulosa; & tamen, ex Scoto, necesse est dimittere illam.

Resp. neg. min. & conf. prob. Nam ex textu apparet, Scotum [1] loqui de conscientia saltem vincibiliter erronea, non autem de scrupulosa; *Si autem habeat quis conscientiam erroneam credens baptismum esse causam accelerationis mortis baptizati, stante conscientia ejus, committit homicidium*. Vides, quòd ille minister non suspicatur, non timet, sed positivè credit infantem periclitari.

Objic. Alipuando scrupuli ita vexant, & perturbant hominem, ut non possit formare judicium determinatum de honestate ejus; ergo tunc non poterit agere contra scrupulosam conscientiam; ergo falsa est quoad eam partem conclusio.

Resp. neg. 2. conf. non enim dicimus, id semper fieri posse, sed aliquando, & in casu objectionis; conscientia tunc esset potius erronea invincibiliter, quàm scrupulosa; quandoquidem agens non posset formare judicium determinatum de honestate.

Objic. 3. ex SS. Canonibus. [3] Scrupulosus monachus, qui timet, se invalidè promotum ad subdiaconatum, prohibetur ascendere ad superiores ordines ex eo, *quod conscientiam habuerit nimis scrupulosam, in difficultatem hujusmodi fuerit collapsus, quã utique non evadet, nisi deponat errorem*; ergo non licet agere cõtra conscientiã scrupulosã: idẽ colligitur ex alio capite [3] ubi

[1] 4. *d*. 5. *q*. 3. *n*. 2. & *Repor. ibid. n.* 10.
[2] *C. per tuas de Simo.*
[3] *C. Inquisitioni de sent. exco.*

ubi deciditur eamdem conscientiam de matrimonii validitate deponendam, aut abstinendum ab usu matrimonii, *conscientia levis, & temeraria credulitatis explosa*.

Resp. neg. conf. neque enim in his Canonibus agebatur de conscientia purè scrupulosa, sed de erronea, & crassa, inquit, *Ex nimia credulitate collapsus erat ille monachus*, initio quidem ex nimio scrupulo, sed evasit in erroneam; ideo dicit Pontifex, quòd nisi deponat errorem (non dicit scruplum) *non evadet gehennam*. *Ideo conscientia erronea deponenda est*, inquit glossa, *quia qui fecit contra conscientiam ædificat in gehennam*: coniux verò dicitur posse petere, & reddere debitum, *si habet credulitatem hujusmodi ex credulitate levi, & temeraria, quam explodere debet*, seu contemnere, & quidem *ad sui pastoris consilium*, ut patet ex ipso textu.

Causæ scrupulorum sunt vel *naturales*, vel *spirituales*: *naturales* duæ, *intrinseca*, *& extrinseca*; *intrinseca* est temperamentum flegmaticum, melancholicum, & frigidum à natura, sive à morbo, cibis, jejuniis, studijs, vigiliis; nam humores frigidi movent à circumferentia ad centrum, causantque pavores, & timores, atrosque vapores, quibus animus agitatur, constringitur, anxiatur; spiritus animales restringuntur, & quasi suffocantur: melancholia nutrit spirius animales atros, crassos, & tardos, qui apparentiam augent phantasmatum, quæ deferunt, sunt enim velut conspicilla, quibus, phantasmata conspiciuntur; & sic leves, & minimæ apparentiæ mali videntur ingentes: ita, quia ex ejusdem humoris copia, & crassitie illa phantasmata scrupulorum subjecta magis intenduntur, subjectantur in phantasia crassiori, & sic phantasma de sola mali suspicione, vel umbra fortissimè movet, & vexat. Inde fit, quòd aliqui sunt scrupulosi in aliqua tantùm materia; quod accidit, quia unus sinus phantasiæ, in quo servantur species talis materiæ, magis infectus est illo humore. Alii sunt scrupulosi in omnibus, & id venit ex tota complexione. 2. Ignorantia etiam causat occasionaliter scrupulos, & maximè si cum superbia, & amore proprio uniatur; quia illa non permittit resolvere difficultates, quæ ex humore, vel aliunde occurrunt;

runt; nec iste consulere, vel audire peritos, vel eorum stare consiliis. 3. Inter causas externas 1. sunt alii scrupulosi, qui similes mores inspirant. 2. Dæmon vel inducendo tenebras, vel excitando humores, & vapores melancholicos in cerebro, vel inficiendo spiritus animales, vel immittendo species, ut impediat bona opera sub prætextu pietatis, & virtutis, ut ingerat tædium rerum spiritualium; ut deterreat à bono vero, & solido, & inducat relaxationes, desperationes, inobedientias, hypocrisim, &c. 3. Deus ipse etiam sæpe immittit scrupulos modis, & motivis, & ad fines providentiæ suæ adorandæ, & maximè ad humiliationem, & emendationem peccatorum, ad exercitium patientiæ, & obedientiæ, &c.

Remedia scrupulorum plura suggerunt SS. Patres, & Theologi, & Doctores animarum. 1. si ex temperamento, & infirmitate corporali, curandi sunt medicamentis, & maximè purgantibus melancholiam, & atram bilem; & ad hoc consulendi sunt medici. 2. Indulgendum etiam honestis recreationibus. 3. fugiendi sunt alii melancholici, & scrupulosi, & hilariores frequentandi. 4. moderanda studia, & speculationes, jejunia, vigiliæ, & hujusmodi tollendæ causæ. 5. si ex ignorantia, consulendi sunt periti, & cum humilitate, & obedientia illis credendum, quod etiam ipsis doctioribus, qui sæpe huic morbo sunt obnoxii, pernecessarium est, monente Spiritu Sancto, *Quanto major es scientia, humilia te in omnibus*; & sæpe, ut dicebam, Deus permittit, ut scrupuli hos divexent, ut se se aliis subjiciant. 6. contra Dæmoniacos scrupulos valet oratio. 7. si veniant à Deo, humilitas eum placabit, & patientia opus perfectum habebit.

Ad scrupulos autem amovendos, & scrupulosos curandos non mediocris adhibenda diligentia; quia non spernenda inde veniunt incommoda; licèt enim possit homo operari non depositis scrupulis, hi tamen turbant, vexantque mentem: anxietatem, tristitiamque ingerunt: nebulis offuscant; corporis, & animi vires debilitant; pusillanimitatem inferunt, ita ut nec ad spiritualia, nec ad temporalia benè valeat homo; efficiunt ut via salutis, & perfectionis horrida, & impossibilis appareat; & inde sæpius in amen-

mentiam, aut diſperationem incidunt plures; ideoque in iis extirpandis debet prudens Confeſſarius, & director incumbere, ſicut in corporibus curandis peritus medicus, obſtando principiis, & præſentibus malis adhibendo medelam ſalutarem, ne invaleſcentibus morbis remedia tarda fiant inutilia.

Regulas plures, & optimas ſuggerunt Patres, & Theologi Confeſſario, ut morbos iſtos periculoſos curet, nobis hæc ſufficiant.

QUÆSTIO VI.

De conſcientia dubia.

JAm diximus conſcientiam dici *dubiam* eam, quæ inter duas opiniones oppoſitas manet ſuſpenſa, & anceps, ita ut neutri adhæreat poſitive, nec propendeat magis ad unam, quam ad aliam propter rationes utrinque moventes æqualiter, & tunc dicitur *dubia poſitivè*: vel quia non habet rationes ullas, quibus moveatur ad aſſenſum alterutrius: & ſic eſt *dubia negativè*, per id differt ab aliis conſcientiis, quæ omnes habent judicium aliquod poſitivum, aut ſaltem propenſionem poſitivam in aliquam partem, ut patet non ſolum *de recta*, & *vera*, ſed etiam *de erronea*, & *ſcrupuloſa*, & patebit de *probabili*, & *opinativa*, quæ ex probabili motivo amplectitur unam partem, licet timeat de veritate alterius. In iſtam autem intellectus ſuſpendit aſſenſum ſive per puram negationem actus, ſive per actum poſitivum reflexum, ſive negativum ex defectu rationum, ac motivorum, ſive ex æqualitate rationum pro utraque militantium.

Poteſt autem eſſe dubia *ſpeculativè*, aut *practicè*; dicitur dubia *ſpeculativè*, quando quis extra occaſionem agendi conſiderat rem, an ſit licita, vel illicita, nec ſe determinat pro ulla parte. Dicitur dubia *practicè*, quando id conſiderat in occaſione agendi hic, & nunc penſatis omnibus circumſtantiis; vel de facto verſatur in ipſo exercitio operationis, & non judicat, an benè, aut malè agat, vel egerit, verbi gratia in ſchola diſputamus, an liceat clericis occidere injuſtum invaſorem, dubium erit *ſpeculativum*, ſi neu-

tram

tram partem eligimus: si autem id examinaremus in occasione invasionis actualis, aut proximè imminentis, & hæreremus suspensi inter affirmantem, & negantem sententiam, esset dubium practicum.

Rursus dubium est vel *juris*, vel *facti*, illud respicit legem, an sit, vel obliget; ut si quis dubitet, an existat præceptum obligans ad audiendam hodie missam, vel ad jejunandum; istud verò respicit actum, v. g. an audieris missam, vel jejunaveris, ex quo jejunio pendet judicium de bonitate, vel malitia alterius operis, v. g. si dubitetur, an peccaveris cum Berta, oritur dubium de validitate matrimonii tui cum Paula sorore ejus. Aliqui distinguunt dubium *completum*, & *incompletum*; illud dicunt esse de actu interno, & bonitate, & malitia formali, istud verò de actu externo, & bonitate, & malitia materiali, & objectiva; & juxta has distinctiones dubiorum sequitur distinctio conscientiæ dubiæ *practicè*, & *speculativè*, in dubium *juris*, & *facti*, & *completè*, ac *incompletè*.

CONCLUSIO.

Conscientia practicè dubia non est regula bona actuum humanorum; sed illicitum est ex illa operari; non ita est de dubia speculativè.

Prob. 1. ex Scoto [1] objiciente, quòd *multa in actibus humanis sunt dubia, utrum sint peccata mortalia*, sic respondet, *à talibus, tanquam à periculosis, debet homo sibi cavere, & custodire, nedum se exponit periculo, incidat in peccatum*. Et alibi dicit, quòd *jurans de illo, de quo est dubius, id est, quod non magis assentitur uni parti, quàm alteri peccat mortaliter*: & alibi, [2] *Quando in moralibus sunt altercationes de aliquo peccato, quando sit mortale, si unus peritus dicat, quòd licet sic mercari, & alius dicat, quod non licet, tutius est non sic procedere, nec sic, sed expectare, donec veritas pateat aliunde.*

Prob. 2. ratione ejusdem. Qui operatur in dubio practico, exponit se voluntariè periculo peccandi, & imprudenter agit; & ideò contra rectam rationem; ergo

[1] *q.2. prol.F.n.15.3.d.39.n.8.*
[2] *d.35.q.2.E.n.8.*

ergo peccat, & quidem pro qualitate, & specie peccati in materia, de qua dubitat: patet ant. nescit enim an actio, quam eligit, bona sit, an mala. Prob. cons. 1. ex Scriptura, [1] *Qui amat periculum, peribit in illo*: Et, [2] *Omne, quod non est ex fide*, seu ex conscientia recta, *peccatum est*; non dicit *contra fidem*, sed *ex fide*; quia non solùm peccat, qui agit contra conscientiam, sed etiam, qui non agit ex conscientia. 2. quia sic agens consentit aliquo modo in peccatum, quasi dicat, *sive hoc sit peccatum, sive non, non curo, volo sic agere*; sicut ille vellet displicere amico, qui diceret, *sive hoc tibi displiceat, sive non, volo id facere*: ergo nisi deponat dubium, & judicet, saltem probabiliter, id non esse peccatum, peccabit, si faciat.

Prob. 2. p. de conscientia speculativa, quia hæc non est propriè conscientia; quia non dictat in particulari, nec practicè, quid sit agendum hìc, & nunc; ideò stante dubio speculativo potest formari judicium practicum de bonitate, aut malitia rei ex aliqua circumstantia; ergo non obstante dubio speculativo licitum est operari, si videlicet superveniat dictamen practicè determinatum; verbi gratia dubitas speculativè de agro, an sit tuus, nescis quo titulo possideas, & non obstante hoc dubio, potes licitè retinere illum, si ita formes tibi conscientiam juxta hanc regulam; *in dubiis melior est conditio possidentis*. sic parochus dubitat, an infans in extremo vitæ periculo sit baptizandus, quia est una parte timet accelerare mortem corporis per aspersionem aquæ, & committere homicidium corporale, & incurrere irregularitatem; ex alia verò timet, ne causet mortem æternam animæ pueri, quam requiret Deus de manu ejus, sed tandem judicat hic, & nunc esse baptizandum ex hac regula, *ex duobus malis minus eligendum*; non obstantibus ergo motivis dubii speculativi formatur conscientia practica, secundum quam licitè agis; quia sæpe occurrunt aliquæ circumstantiæ, quibus consideratis ratio dictat aliter, quàm ex principiis generalibus practicis, secundum quæ conscientia est dubia; uno verbo, illud dubium speculativum non est propriè conscientia, sed potiùs pertinet ad synderesim; quia non dictat practicè, & in particulari quid sit

[1] *Eccl.* 3. [2] *Rom.* 14.

sit agendum, vel non agendum, sistit in sola cognitione veritatis, & ideò non est proxima, sed remota regula morum.

Objic. contra 1. p. Non est peccatum, nisi sit voluntarium, sed qui agit in dubio peccati non vult peccatum; ergo non peccat. Prob. min. qui sic agit non cognoscit malum, & ideò non vult; illud non ageret, si sciret determinatè, quod est peccatum; ergo non vult peccatum.

Resp. neg. min. vel sic distin. non vult directè, & explicitè peccatum, conc. min. non vult indirectè, & implicitè, neg. min. & cons. prob. nam vult periculum, & non curat facere, quod potest, & debet ad illud vitandum; si applicaret intellectum ad inquirendam veritatem, & deponendum dubium, ex illa cognitione determinata veritatis deterreretur voluntas à peccato, quod illi proponeretur in actione, quam eligit: & in hoc casu eadem est ratio, ac de conscientia vincibiliter erronea, & crassa.

Inst. Qui sic agit, non agit contra conscientiam: ergo non peccat, quia non caret debita rectitudine. Probat. ant. non agit contra ullum judicium practicum de malitia actus, quia nullum tale præcessit: ergo, &c.

Resp. dist. ant. & prob. ejus: non agit contra conscientiam explicitam, nec præcessit judicium explicitum dictans contrarium, conc. ant. contra judicium implicitum, ex quo apparet non licere sic agere, neg. ant. nam homo habet hanc cognitionem universalem, quòd qui se periculo exponit peccati, peccat; & quòd agens sine ullo dictamine practico de bonitate, aut malitia actus exponit sè illi periculo: unde sequitur, quòd sic agens peccat.

Objic. 2. Saltem sic agens non peccabit mortaliter; ergo in hoc puncto falsa est conclusio: prob. ant. plus peccat qui agit contra conscientiam certam, quàm qui contra dubiam; sed ille non plus peccat, quàm mortaliter in materia gravi; ergo ille non peccat nisi venialiter.

Resp. neg. ant. & dist. maj. prob. plus peccat in eadem materia, & genere peccati. conc. maj. in diverso genere, & materia, neg. maj. & cons. datur peccatum mortale gravius, & levius; & sic in genere,

&

& materia peccati mortalis gravius peccant agens contra conscientiam certam, quàm qui in dubio, cæteris paribus; sed erit peccatum mortale utrobique, quia exponens se periculo peccati mortalis vult aliquo modo sic peccare.

Objic. cum P. Poncio. Qui habet conscientiam practicam de non malitia actus, si faciat non peccat, quamvis timeat probabiliter de malitia: ergo à fortiori non peccat agens cum conscientia dubia de bonitate, licèt dubitans de malitia. Prob. conf. judicium minùs probabile de non malitia cum judicio probabiliori de malitia non magis excusat, quàm dubium practicum de utroque: sed secundum multos illud judicium practicum, & minùs probabile de non malitia actus excusat hominem à peccato: ergo & dubium practicum, & maximè si sit inculpabile.

Resp. neg. conf. & maj. prob. & disparitas est, quia qui agit ex conscientia probabili, format sibi judicium practicè practicum, & prudenter perpensis omnibus, quòd sibi licet sic agere, sed in dubio id non facit: alioqui mutaretur casus, & quæstio: imò in *casu* dubii judicat se esse suspensum, & quòd se exponit periculo faciendi malum, ideò temerè operatur.

Inst. Qui melius, & positivè cognoscit malitiam actus, magis peccat: sed qui timet probabiliter de malitia actionis, quam elicit, magis positivè eam cognoscit: ergo magis peccat, quàm dubitans. Prob. min. quia iste non habet rationem probabilem sibi ostendentem malitiam, sicut ille.

Resp. dist. maj. Si non magis determinatè judicet de bonitate opposita, conc. maj. si magis determinatè judicet de bonitate opposita, neg. maj. & conf. hoc autem facit agens ex conscientia probabili, non autem agens ex dubia.

Objic. contra 2. p. Impossibile est dubitare speculativè de bonitate actus, & non practicè: sed, per nos, non licet agere in dubio practico; ergo nec in speculativo. Prob. maj. quia conscientia particularis, & practica continetur in speculativa, & universali, v. g. *in festo hodierno non licet pulsare*, continetur in ista: *in die festo non licet pulsare*; ergo si hæc universalis est dubia, illa particularis non erit certa.

Resp. dist. maj. & ant. prob. præcisis circumstantiis,

& actu secundum se considerato, conc. maj. & ant. suppositis circumstantiis, neg. maj. & ant. & conseq. nam, ut dicebamus, conscientia speculativa considerat actum secundum bonitatem, aut malitiam objectivam, & secundum se præcisè à circumstantiis; & sic potest hæc propositio universalis esse dubia: *in die festo non est pulsandum*; sed in his circumstantiis, & hic, & nunc possum aliter judicare, & dicere: *In hoc die festo possum pulsare*, aut è contra.

Porrò quia conscientia non mutatur pro arbitrio voluntatis, sed pondere alicujus rationis efficacioris, quo trahitur in alteram partem ad deponendam dubiam, regulas quasdam tradunt Philosophi, & Theologi. Sic loquitur Doctor: [1] *Universaliter in omnibus dubiis quantum ad materiam, & formam sunt tres maximæ. 1. est ista; si possibilitas adest, via tutissima est eligenda, 2. si non adest possibilitas, tenenda est proxima viæ tutissimæ, 3. est ista, cessante impossibilitate, cautè est supplendum, quod impossibilitas prohibebat.*

Igitur quando laborat, & distrahitur quis in duas partes oppositas, & timet peccatum, estque perplexus, debet quærere veritatem diligenter apud se discurrendo, vel in libris, vel apud peritos, & maximè apud Deum per orationes. & si post debitam moraliter diligentiam perseveret dubium, poterit alteram partem eligere juxta prædictas regulas, & alias, secundum quas do ex Eminentissimo Laurea nostro sequentes conclusiones.

CONCLUSIO. II.

IN *omnibus dubiis tutior pars est eligenda.*

Prob. 1. ex Scoto mox citato, qui sic universaliter loquitur.

Prob. 2. ex SS. Canonibus, [2] qui id expressis verbis asserunt in diversis materiis, ut Cap. *juvenis 1. de sponsalibus*; & penult. & Cap. *illud de clerico excom.* & Cap. *significasti*, & Cap. *ad audientiam* ibid. & ibid. Glossa. 2. *de homicidio*; dicunt enim, quod in

[1] 4. *d.* 3. *q.* 2. K. *n.* 10.
[2] *Ibid.*

in dubiis *semitam debeamus eligere tutiorem*, & specialiter circa incursum censurarum, *qui dubitat an incurrerit, debet tenere se incurrisse:* dicit enim Pontifex Innoc. III. quòd si sacerdos per solam famam audit se fuisse excommunicatum, debet se habere ut talem: *quia tamen in dubiis via tutior est eligenda, si de lata in eum sententia dubitaret, debuerat potiùs se abstinere, quam Sacramenta Ecclesiastica pertractare*. Item cum dubitatetur, an clericus habendus esset irregularis propter homicidium, quia vir quidam, quem vulneraverat, mortuus erat, & dubitabatur, an mortuus esset ex illo vulnere, respondet Clemens III. [1] *Quia utrum ratione vulneris decessisset dubitabatur, vestræ discretioni duximus respondendum, quod cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere Presbytero memorato, ut in sacris ordinibus non ministret*. Et sic de clerico, qui in pugna pro fide dubitabat se occidisse aliquem, respondet prædictus. Innoc. III. *Cum pro eo, quod aliquos percussisti, irregularitatem metuas incurrisse, mandamus, ut, si de interfectione cujusquam in illo conflictu tua conscientia te remordet, à ministerio altaris abstineas reverenter* (pende rationem) *cum sit consultius eb ejusmodi dubium abstinere, quam temerè celebrare*.

3. in materia, & forma Sacramentorum, & maximè cum agitur de illorum valore, id à fortiori verum est; quia agitur de salute animarum; v. g. in dubio, an aliquis sit baptizatus, SS. Canones volunt baptizari, saltem sub conditione, *si non es baptizatus, ego te baptizo*, ex Concilio Carthaginensi V. c.6. ex Africano: & in Canone, *de quibus*, de bapt. & cap. *parvulos*, de Cons. dist. 4. & cap. *placuit*: & Cap. *cum itaque*, & Cap. *si nulla* ibid. & Cap. *veniens ad Apostolicum*: ubi eum, de quo dubitabatur, an esset baptizatus, quando fuit ordinatus Sacerdos, statuitur eum debere baptizari, & ordines iterandos. *Nos circa latorem præsentium in hoc dubitabili casu quod tutius est sequentes mandamus, quatenus ipsum per singulos ordines usque ad sacerdotium promoveri procures*.

4. Similiter in dubio matrimonii statuitur, quòd ille conjux, qui dubitat de valore sui matrimonii, potest reddere debitum alteri conjugi petenti, sed ipse in

[1] *C. ad audientiam cit.*

se in dubio petere debitum non potest; [1] *Debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet*: sic mulier nupta secundo viro, & dubitans de morte primi *ei, qui sibi nupsit, debitum non deneget postulanti, quod à se tamen noverit nullatenus exigendum*. Sic cùm juvenis quidã sponsalia contraxisset cum puella septenni, & postea matrimonium contraxisset cum consanguinea illius in impedimento publicæ honestatis petitum est à Papa Eugenio I. [2] quid agendum? & iste respondit, *Quia in his, quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus, tum propter honestatem Ecclesiæ; quia ipsa conjux illius fuisse dicitur, imò propter prædictam dubitationem mandamus, quatenus ipsius puellæ consobrinam, quam postmodum duxit, dividas ab eodem*. Vides regulam assertam, & in praxi observatam, scilicet in dubio de validitate matrimonii sequendam partem tutiorem propter dubitationem, licèt aliunde adsit regula, quòd *in dubiis concludendum in favorem matrimonii ut valeat*. Idem statuitur alibi. [3]

5. In dubio consecrationis Ecclesiæ, vel altaris: nam Canones jubent, ea consecrari, quia id tutius est. *De Ecclesiarum consecratione quoties dubitatur; nec certa scriptura, nec certi testes existunt, à quibus consecratio sciatur, absque ulla dubitatione scitote eas esse consecrandas*. Id statuit Felix I, Ep. 1. c.1.& 2. & habetur Cap. *solemnitates*: & habetur ex Concilio Carthag.V.& in Concilio Meldensi Cap.8.ibid.cit.19. *Ecclesia, vel altaria, quæ ambigua sunt de conseratione, consecrentur*.

Probatur denique conclusio, quia in omni materia debemus semper vitare non solum peccatum, sed etiam periculum ejus; sed non potest meliùs vitari, quàm eligendo partem tutiorem; ergo debet eligi.

CON-

[1] C. *Inquisitioni. de sent. &c.*
[2] C. *juvenis de sponsal.*
[3] C. *Dominus de 2. nupt.*

CONCLUSIO III.

QUando *in materia justitiæ, imò & in aliis omnibus post diligentem inquisitionem veritatis, remanet dubitatio sive quoad jus, sive quo ad factum, melior est conditio possidentis: seu possessio est sufficiens motivum ad judicandum in favorem possidentis, quamvis judex hæreat anceps inter rationes utriusque partis quoad proprietatem, & speculativè*. Ita communiter.

Prob. 1. p. 1. Quia id statuitur inter regulas juris, quòd *in pari causa melior est conditio possidentis*. Et ex legibus [1] *non teneris restituere, quod possides, nisi constet id esse alterius*; ergo & quandiu id non constabit, ut non constat, quandiu rationes utrimque militantes reddunt proprietatem dubiam; ergo in dubio pars possidentis est melior, & pro illo judicandum.

Prob. 2. p. 1. Quia possessio est titulus communis omnibus virtutibus; v. g. in materia religionis si non constet de obligatione regulæ, monachus est in possessione suæ libertatis. Et certè eadem ratio militat in aliis materiis; nam dum pares rationes sunt inter religionem, & monachum, iste pensatis omnibus est in possessione suæ libertatis æquè ac in materia restitutionis; ergo tam ex illa regula potest absolvi iste ab obligatione jejunandi, quàm in aliis ab obligatione restituendi. Denique pars, quæ possessioni favet, est tutior; ergo ex præcedenti conclusione pars illa est amplectenda.

Objic. Si dubitatur an Petrus sit servus Joannis, debet judicari in favorem Petri, licèt possessio faveat Joanni; ergo hæc regula falsa est etiam in materia justitiæ; ergo & in aliis, & quidem à fortiori.

Resp. dist. conf. Si alio jure, & regula id statuatur, conc. conf. si non statuatur aliter, neg. conf. Nam in casu posito debet sic judicari ex alia regula, scilicet quòd *in dubiis est favendum reo*, qualis est Petrus in hac hypothesi. Ideò judicandum pro ejus libertate, sicut in aliis dubiis, ubi agitur de peccato vitando, vel de validitate sacramenti, & cætera.

Sta-

[1] *in 6. Reg. 64.*

Statuitur legibus ecclesiasticis, ut tutior pars eligatur. Præterea id statuitur, [1] *tum propter conditionem ipsius miserab. em, tum propter causam absolutionis, quæ in re dubia est securior, & favorabilior*, quia jus suæ possessionis est certum; ergo facit, ut rationes aliæ, quæ ex se æquiponderant cum rationibus agentis, reddant causam dubiam, & reddatur hinc pars defendentis tutior, & certior.

CONCLUSIO IV.

Quando dubium versatur inter duo extrema, quæ mala sunt, nec potest alterum vitari, valet hæc regula; ex duobus malis minus est eligendum; si verò essent æqualiter mala, potest eligi alterutrum.

Prob. 1. p. Quia sic vitamus peccatum; nec enim in lege Christiana potest quis esse perplexus, ut diximus ex Scoto, & quando eligitur minus malum ad vitandum majus malum, non solum illa electio mala non est, sed etiam bona ex circumstantiis, quia eligitur, non ut malum, sed ut bonum, scilicet quatenus est impeditivum gravioris mali.

Prob.2.p.Quia non potest homo necessitari ad peccatum; sed nisi posset sine peccato eligere alterutram partem, esset perplexus, & necessitaretur ad peccandum, quia necessitaretur ad alterutram partem; ergo posset eligere alterutrum sine peccato. prob. maj. nam ibi non est peccatum, ubi non est libertas.

Confirmatur. Nam qui ad tales reduceretur angustias, (quod rarissimè contingere potest) si post diligens examen deponere non possit dubium, istud erit invincibile, & æquivalebit ignorantiæ invincibili, v. g. quis in die festo assistit agonizanti, instat hora Missæ, & dubitat invincibiliter se peccare mortaliter, si relinquat infirmum in extrema necessitate, & etiam si omittat audire sacrum; si vincere non possit dubium post examen, potest sine peccato alterutram partem eligere.

Multa, quæ ad præsentem quæstionem pertinere possent, videbuntur in sequenti; nam plurimum connexionis habent inter se *dubium*, & *probabilitas*, licèt essentialiter differant.

QUÆSTIO VII.

De conscientia probabili, sive opinativa, & primò an, & quid sit.

HÆc quæstio est hodie famosissima in moralibus; & in ea digladiantur acriter Philosophi, & Theologi, quorum aliqui ferventius invehuntur in *probabilitates*, velut laxitatis perniciosissimæ, ac morum corruptelæ fontes; alii sustinent, ac defendunt earum usum, fortè etiam paulo immoderatiùs, quàm par esset, adeo ut opportunum duxerit S. sedes Apostolica inter eos judicium, ac mentem suam explicare, aliquas propositiones condemnando, & prohibendo velut scandalosas, & in praxi perniciosas, ut constat ex Decreto Innocentii XI. 11. Martii 1679. quarum 1. sic habet. *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti relicta tutiori*, &c. 2. *probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem*. 3. *generatim dùm probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus*. 4. *ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili*, &c. Et novissimè Alexander VIII. 17. Decembris 1690. alio Decreto hanc, quæ est 3. inter 31. damnatas, sic exprimit: *Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam*. His & aliis principiis ab Ecclesia declaratis firmiter inhærere volumus; absit, ut ab eis scienter per unguem aberremus: rem quantò brevius licuerit expediemus, & ex integris voluminibus, quæ de hac materia extant, necessaria seligemus.

Probabile in Scriptura idem sonat aliquando, ac *laudabile*; ut cùm dicitur, *Eris probabilis in conspectu omnium virorum*, id est *commendabilis*, inquit Lyranus. Sic D. Paulus [1] ad Timotheum scribit: [2] *Cura autem te ipsum probabilem exhibere Deo*, id est *approbabilem*, seu *laudabilem*, & in hoc sensu propositio, seu opinio dicetur probabilis, quia tam ratio-

[1] *Eccl.* 42. [2] 2. *Tim.* 15.

rationabilibus motivis innititur, ut mereatur approbationem, tanquam vera. Cicero [1] dicit, *Probabile esse id, quod fere fieri solet, aut quod in opinione positum est, quod habet in se ad hoc quandam similitudinem, sive id falsum, sive verum sit*. Apud Plinium, [2] significa t id, quod *probari potest*: Apud Arist. *probabilia sunt, quæ videntur omnibus, aut pluribus, aut sapientibus, & his vel omnibus, vel pluribus, & maximè notis, & præcipuis*. Philosophi autem, & Theelogi opiniones, seu propositiones vocant *probabiles* eas, quæ apparent veræ, non quidem evidenter, sed rationabiliter, ita ut nitantur gravioribus, & rationabilibus fundamentis; contrariæ verò aut nullis, aut levibus: Opinionem verò descripsimus *assensum determinatum alterius partis contradictionis cum formidine de opposito*. Dicitur 1. *determinatus*, & sic differt à *dubio*, in quo intellectus hęret suspensus inter utramque partem; & à *suscipione*, quia licèt suspicans magis propendeat in unam partem, quia tamen nititur levioribus motivis, leviter etiam assentitur, adeò ut vix censeatur determinatus assensus; opinans verò movetur urgentoribus rationibus, & ideo assensus dicitur positivè determinatus. 2. *cum formidine de opposito*; per id differt à scientia, quæ est certa; nam licèt opinio adhæreat determinatè uni parti, adhæsio tamen non est adeo fixa, quin timeatur de opposito, tum quia objectum potest aliter se habere, estque contingens; tum quia rationes, quibus intellectus movetur, non sunt omninò evidentes & possent etiam aliter se habere, licet adeo graves, & urgentes sint, ut de præsenti, & actualiter nullæ appareant verisimiliores, & *formido* non est actualis, sed aptitudinalis: si enim assensus esset semper cum actuali formidine de opposito, non posset esse regula sufficiens, & prudens agendi, qui enim actu timet de opposito, non est moraliter certus se bene agere; ergo exponit se periculo male agendi, & hoc ipso peccat, ut constat ex dictis.

2. Probabilitas est *intrinseca*, si petatur ex rationibus, seu motivis sumptis ex natura, & parte objecti, vel *extrinseca*, si motiva sint extra natu-

[1] *de inncent.*
[2] *Ep.* 137.

ram objecti, v.g. ex authoritate dicentium.[1] *Non enim minùs inhærendum est expertis, & senioribus, vel prudentum opinionibus, atque sententiis sine demonstratione loquentium, quàm demonstrationibus ipsis, veluti enim oculum experientiam habentes, principia discernunt:* aliquando verò utraque concurrit in opinantibus, quia scilicet moventur & ratione, & auctoritate. Prima est pro doctis, qui veritatem norunt quærere, & examinare per sua principia. 2. verò pro rudioribus, & idiotis, qui non sunt capaces veritatis inquirendæ per sua principia, sed eam accipiunt à doctoribus. Hinc patet quòd opinio dicitur *improbabilis*, quæ caret utraque illa probabilitate *intrinseca*, & *extrinseca*, scilicet non nititur ulla ratione gravi, nec auctoritate sapientum.

3. Proprietates probabilitatis sunt 1. *majoritas*, & *minoritas*; nam suscipit magis, & minus. 2. *communitas*, & *communioritas*. 3. *certitudo*, & *securitas*: illa est *probabilior intrinsecè*, quæ solidioribus, vel apparentioribus nititur fundamentis, *extrinsecè verò*, quæ pluribus, iisque gravioribus auctoritatibus doctorum. Dico, *apparentioribus fundamentis*, unde fit, ut quæ uni est probabilior, possit esse alteri minùs probabilis, quia secundum dispositiones varias opinantium, perspicaciores plus vident in ratiocinationibus, & melius penetrant vim, aut debilitatem fundamentorum, & ita hæc probabilitatis minoritas, & majoritas multum pendet à dispositione opinantium; nam fieri potest, ut eadem ratio plus moveat unum, quàm alium, ideò reddat opinionem probabiliorem uni, quàm alteri.

4. Dicitur *tuta*, & *tutior*, tutum verò idem est, ac securum, & hoc modo dicitur de opinione, & conscientia, quando est *secura*, aut *securior*, immunis, aut immunior à peccato, & à periculo peccati, sicut locus est tutus, aut tutior, in quo sumus securiores à periculo malorum. Sic opiniones sunt *tutæ*, aut *tutiores*, pro ut reddunt actiones, quas dictant, magis securas à periculo peccati.

5. Similiter dicitur & *certa*, *incerta*, aut *certior*; est *certa*, quando intellectus illi adhæret sine formidine de opposito, & si fortiùs adhæreat, & cum minori for-

[1] 6. *Ethic.* 14.

formidine, dicitur certior, & hujus latitudinis in certitudine habes exempla in Scriptura, ut cùm Davidi [1] Saul dicebat: *Scio, quod certissime regnaturus sis in Israel*. Sic adolescens ad Lysiam tribunum de Paulo. (2) *Quasi aliquid certius cognituri de illo*. Et Felix Præses. *certissime sciens de via hac*.

Igitur *certitudo formalis* est adhæsio firma intellectus alicui propositioni absque formidine, & inde objectum denominatur *certum*, quia illi datur talis assensus, & quia illa adhæsio potest esse firma, & firmior, & cum minori, aut nulla prorsus formidine. ideò patitur *magis*, & *minus*, & quandam latitudinem. Est autem duplex, *physica*, & *moralis*. *Certitudo physica* venit ex objecti evidentia, qua necessitatur intellectus ad ei assentiendum ut fit in *per se notis*, vel in conclusionibus demonstrativis, ut cùm dicitur, *Omne totum est majus sua parte*; quia hinc abest omnis formido erroris sive libera, sive subreptitia, id est quæ possit insurgere contra voluntatem. *Moralis* verò est, qua intellectus assentitur propositioni post adhibitam omnem moraliter possibilem diligentiam ad inveniendam veritatem, in quo examine videt se niti rationabili motivo, & nihil videt convincens in contrarium. Dico, *convincens*, licèt enim videat aliquas rationes, tamen non convincunt, nec impediunt, ne putet se posse firmiter adhærere illi parti, quam amplectitur, & agere conformiter ad illud judicium:

Hinc habes, quòd opinio *tuta, probabilis*, & *moraliter certa* idem sunt, & sic de *de tutiori*, *certiori*, & *probabiliori*.

Communis est ea, quæ à pluribus, & ad minùs septem Doctoribus, seu Auctoribus, iisque gravibus, & post exactum examen recipitur, & docetur, *Communior* verò, quæ universaliùs tenetur, & docetur. Quot autem, & quales requirantur ad probabilitatem extrinsecam, an unus, aut alter sufficiat, videbitur brevi.

Opinio alia est *formalis*, alia *objectiva*. 1. est actus ipse opinandi, quo intellectus assentitur propositioni cum formidine aliqua de opposito. 2. est ipsa propositio, cui assentitur, & adhæret, v.g. cùm dicitur, *Luna*

Q 3 *est*

[1] 1.Reg.24. [2] act. 23.Ibid.24.

est major terra, assensus, quem præbeo illi propositioni, est opinio formalis, ipsa verò propositio est opinio objectiva.

Denique alia est *conscientia opinativa*, seu *probabilis speculativa* (ut diximus de aliis) quando talis judicatur præcisè secundum veritatem rei, vel falsitatem etiam in re practica, sed in generali, & sine ordine ad opus: alia *practica*, quando talis judicatur in ordine ad operationem hìc, & nunc eliciendam conformiter ad dictamen ejus, & hoc accidit 1. si propositio concipiatur, & judicetur vera, aut falsa ob rationes, quæ non sufficiunt ad physicam certitudinem, sed absque reflexione, vel attentione ad illam insufficientiam, & hæc probabilitas est purè *objectiva*, & *physica*, & *speculativa*, & si talis propositio in se sit vera, pertinet ad conscientiam rectam, seu veram, si autem sit falsa, pertinebit ad *erroneam*. 2. si advertatur quidem debilitas, & insufficientia motivi illius, non autem si advertatur ad possibilitatem partis oppositæ, nec judicetur, quòd sit probabilis. 3. si advertatur ad insufficientiam motivi pro certitudine, & judicetur, quòd pars opposita potest esse vera, & istud judicium potest esse æquale, aut levius illo, quod formatur de probabilitate prioris. De probabilitate illa 1. seu *objectiva*, & *physica* non agimus hìc, sed de 2. & 3.

CONCLUSIO I.

P*Robabilitas objectiva est dignitas propositionis, secundum quam meretur assensum intellectus cum aliqua formidine saltem aptitudinali, seu radicali de opposito, & hanc dignitatem habet vel à ratione, in qua fundatur, ut in probabilitate intrinseca, quæ præcipua est, vel ab auctoritate doctorum, ut in probabilitate extrinseca, vel ab utraque*. Est communis, saltem in re.

Prob. 1. ex Scoto [1] docente, quòd *suspicioni, & opinioni potest subesse falsum*, & quòd *actui credulitatis* (qualis est actus opinionis formalis in probabilitate extrinseca acquisitæ ex naturalibus) *potest subesse falsum*, & quòd *fides acquisita est super opinione, quæ adhæ-*

[1] *Quodl.* 17. *I. n.* 10.

adhæret parti uni contradictionis cum formidine alterius, & quòd *sit infra scientiam, quæ est ex evidentia objecti;* ergo ex Scoto [1] opinio ratione probabilitatis dicit adhæsionem intellectus ex ratione, vel credulitate alterius dicto cum formidine de oppositi veritate.

Prob. 2. Quia non potest meliùs explicari probabilitas secundum communem acceptionem, & in sensu, in quo de illa hic agimus, nam sicut apud omnes constat, quòd propositio probabilis, seu opinabilis ea est, cui assentimur cum formidine de opposito, ita probabilitas, ob quam illi assentimur, non potest meliùs explicari, quam per illam dignitatem, per quam meretur, vel obtinet talem assensum; & illa dignitas non potest aliunde venire, quàm ex ratione, & apparentia veritatis, vel ex auctoritate doctorum, à quibus asseritur.

Prob. 3. ex Arist. [2] *Probabilia sunt, quæ videntur omnibus, aut pluribus, aut sapientibus*, non enim sic videntur sine rationabilibus motivis, alioqui non essent sapientes, nec prudentes, dum sine ratione judicarent: idiotæ verò, & simplices, ac rudiores assentiuntur illis propositionibus immediatè quidem, & explicitè ob auctoritatem sapientum, & doctorum, qui eas proponunt, & asserunt; sed mediatè, & implicitè ob rationem, quæ istos movit ad sic docendum. [3] Ideò enim *non minùs inhærendum est expertis, & senioribus, vel prudentum opinionibus, atque sententiis sine demonstratione, quàm demonstrationibus ipsis* [ecce rationem] *veluti enim oculum experientiâ habentes principia discernunt.* Vides probabilitatem extrinsecam, & obligationem illi assentiendi venire ab intrinseca, scilicet à principiis, quæ discernunt sapientes, dum docent illas propositiones.

Prob. 4. ex SS. Canonibus, & Patribus. Nam in cap. *ego solis*, August. [4] profitetur se assentiri quidem assertis doctorum Ecclesiæ, ac scriptorum sacrorum, sed propter rationes probabiles, vel auctoritates scriptorum canonicorum, *Alios*, inquit, *ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque polleant, non ideò verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios doctores, vel canonicas, vel probabiles ratio-*

[1] 3. 23. *E. n.* 5. [2] 1. *Topic. c.* 1.
[3] 6. *Ethic.* 13. [4] *Disp.* 9.

nes, quòd à verò non abhorreant, perſuadere potuerunt. Et cap. 1. *de homicidio* [1] jubetur judicium fieri, *ſi probabilibus conſtiterit argumentis:* & cap. *inquiſitioni* Conjux, dubitans, an liceat ſibi reddere debitum alteri conſorti, jubetur reddere, *ſi ex credulitate probabili, & diſcreta, quamvis non evidenti, & manifeſta credat adeſſe impedimentum dirimens, non autem petere*, & ibidem dicitur, (2) quòd ex conſilio paſtoris, exploſo ſcrupulo, poterit etiam petere; ergo probabilitas ſumitur tunc *ex ratione diſcreta, & apparenti*, licèt non evidenti, & ex conſilio paſtoris, ſeu auctoritate.

Prob. *de probabilitate intrinſeca*, quod ſit præcipua: id enim patet ex Canonibus, & Patribus citatis, & aliis. Nam cap. *capellanus* Clemens III. decernit, eam ſententiam ſequenda, *quæ melior, & ſubtiliori nititur ratione*, & in præcitatis textibus apparet, quòd S. Auguſt. præcipuè aſſentitur dictis ſcriptorum, *quia per probabiles rationes perſuadere poſſunt, quòd à verò non abhorreat id, quod dicunt*. Et certè auctoritas dicentis non convincit intellectum, ſicut ratio.

Prob. *de extrinſeca* 1. ex Ariſt. cit. dicente, *Non minùs credendum eſſe expertis, & ſenioribus, & prudentum dictis ſine demonſtratione, quàm demonſtrationibus ipſis*, non quòd auctoritas æquivaleat rationi, & demonſtrationi, ſed quia ſeniores non loquuntur, nec aſſerunt, niſi quæ ex ratione didicerunt. 2. ex Scriptura docente; (3) *Ne deſpicias narrationem presbyterorum, & in proverbiis eorum converſare: ipſi enim didicerunt à Patribus ſuis*, &c. Et Moyſes [4] monet, *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, & majores tuos*, &c. 3. ex Aug. *Abſit*, inquit, *ut ſcire nos negamus, quæ teſtimonio didicimus aliorum, alioqui neſciremus eſſe oceanum, neſciremus eſſe terras, atque urbes, quæ fama celeberrima commendat*. 4. inde Scotus [5] colligit, quòd *credere poſſumus teſtimonio aliorum etiam tam firmiter, ut illud credere dicatur apud eum* [Aug.] *ſcire*.

Prob. *de formidine*, & de hoc conveniunt omnes, ſaltem de *aptitudinali*, ſeu *radicali*, nam hæc eſt eſſen-

[1] *in 6.* [2] *De ſent. excom.* [3] *Eccl. 8. 9.*
[4] *Deuter. 32.* [5] *Quod. 14. F. n. 6.*

essentialis opinioni, seu probabilitati, & per hoc maximè differt à scientia, quæ cum sit certa metaphysiè, aut physicè, expellit omnem prorsus formidinem. Et ratio est 1. quia cùm objectum opinionis sit contingens, & ideò possit aliter se habere, & motivum assensus sit inevidens, inde est, quòd intellectus non plenè certus sit de veritate, & licèt actus non advertat reflexè ad inevidentiam, vel contingentiam; tamen ex natura proportionis, aut medii, quo eam cognoscit, potest illi causare suspicionem quandam deceptionis, & falsitatis, vel erroris, saltem probabilis; per hoc, inquam, differt scientia ab opinione, scil. quoad objectum, & quoad medium, & modum tendendi in objectum: nam 1. scientia est de objecto necessario, quod aliter esse non potest. 2. tendit in illud per medium item necessariò, & evidenter connexum: opinio verò est 1. de objecto contingenti, & quod ex genere suo potest aliter se habere; & 2. per medium contingenter connexum, & inevidenter; & propter illam contingentiam objecti, & inevidentiam medii oritur, quòd intellectus potest falli circa utrumque. Ideòque assentitur uni parti cum formidine, saltem aptitudinali partis oppositæ. v. g. *Omnis mater diligit filium suum*, sic assentior propositioni huic, ut merito timeam de opposita; quia fieri potest ex natura rei, ut aliqua non diligat, licèt de facto, & verè omnes diligerent.

Dico, *aptitudinalem*, seu *radicalem*: nam sæpe tam firmiter assentimur opinionibus aliquibus, quam ulli conclusioni scientificæ, ac demonstrativæ: v. g. Scotista Franciscanus verus tam firmiter assentitur, & adhæret propositionibus, *Conceptio Mariæ Deiparæ fuit immaculata*, & tam parum de ejus falsitate formidat, quàm si esset evidentissima, vel definita, quamvis de facto non sit de articulis fidei, sed opinio probabilissima, & receptissima in tota Ecclesia. *Formido* igitur *actualis* de opposito non est essentia, vel proprietas opinionis, vel probabilitatis, benè verò *aptitudinalis*, seu *radicalis*. Id maximè verum est 1. de rudibus, & idiotis, qui credunt doctoribus, ac pastoribus suis firmiter, & sine ulla prorsus actuali formidine. 2. de illis, qui addicti sũt uni scholæ, & jurãt in verba magistri principis scholæ suæ, v. Scotistis,

& Thomiſtis, quis ſic firmiter adhærent rationibus & opinionibus ſuis, quaſi eſſent demonſtrativæ. 3. ex obſtinatione quadam, qua fit, ut non ſolum non timeant de oppoſito, ſed potiùs credant illud eſſe impoſſibile, & tales ſunt hæretici in ſuis erroribus.

Formido igitur, quæ reperitur in probabilitate, aut illam comitatur, eſt timor quidam, ne contraria opinio ſit, aut poſſit eſſe vera, & per conſequens ne illa, quam tenemus, ſit falſa, quia in ea concipitur periculum aliquale peccati. Unde tria concurrunt in ea formidine. 1. ne contraria opinio ſit vera. 2. ne noſtra ſit falſa, & 3. ne in noſtra ſit periculum peccandi; hæc valde notanda ſunt ad intelligentiam totius præſentis materiæ.

Objic. 1. præcipuè contra hanc partem. Poteſt haberi opinio, & probabilitas de propoſitione neceſſaria ſed tunc nulla erit formido, nequidem aptitudinalis, quia non poterit aliter ſe habere; ergo male definitur probabilitas per illam formidinem. Prob. maj. poſſum aſſentiri huic *homo eſt rationalis*, vel huic, *Deus eſt*, ex motivo revelationis humanæ, v. g. quia Petrus hoc dixit; ſed ille erit aſſenſus tantùm probabilis, quia erit ex medio contingenti, & fallibili, licet propoſitiones objectivæ, & in ſe ſint neceſſariæ; ergo poteſt haberi aſſēſus probabilis de re neceſſaria.

Reſpondeo diſt. maj. de propoſitione cognita ut contingenti, conc. maj. cognita ut neceſſaria, neg. maj. & min. & ſimiliter dico ad conſeq. prob. Nam cum Petrus dicit, *Deus eſt*, ſi aſſentior ex motivo illo, quia Petrus dixit, propoſitio illa non poteſt eſſe firmior, quàm ratio aſſentiendi, quæ eſt fallibilis de ſe, licèt objectum illius ſit neceſſariò verum, nec cognoſco illam veritatem ut neceſſariam, quia non mihi proponitur ſub motivo neceſſariæ veritatis. Uno verbo propoſitio ipſa materialiter, & à parte rei eſt neceſſaria, non poteſt ei ſubeſſe falſum; ſed formaliter, & prout proponitur, & ex medio, ſc. ex revelatione humana fit contingens, & poteſt eſſe non vera.

Inſt. Quando ſic proponitur, non adverto ad fallibilitatem medii, ſed attendo ad ſolam propoſitionem in ſe; ſed in ſe eſt neceſſaria; ergo aſſenſus eſt ſine formidine.

Reſp.

Resp. dist. conf. sine formidine actuali, conc. conf. sine aptitudinali, seu radicali, neg. conf. nam sicut motivum, & ratio assentiendi est fallibilis, ideo dat, aut dare potest, quantum est de se occasionem formidandi.

Inst. 2. Potest augeri probabilitas non aucta formidine; ergo hæc non est de illius essentia; nam non potest augeri rationalitas sine risibilitate. Prob. ant. qua proportione occurrunt nova motiva probabilitatis, opinio fit probabilior, eò minùs timetur de falsitate, & minuitur formido.

Resp. dist. ant. utrumque, non aucta, sed potius diminuta formidine actuali, conc. ant. aptitudinali, neg. ant. utrumque; nam sicut singula nova motiva habent suam contingentiam, & fallibilitatem objectivam, & materialem, sic singula nata sunt causare suam formidinem formalem in intellectu, licèt de facto, & actualiter non semper causent.

Objic. 2. Formido non potest esse cum certitudine scientiæ; sed actus opinativus potest esse cum scientia, quæ certitudinem habet; ergo opinio non est semper cùm formidine illa. Prob. min. nam probabilitas, non destruit scientiã, imò se se mutuò juvant, ideò sępe conclusiones easdem probamus mediis necessariis, & contingentibus, & sic fecit Arist. ipse, illa autem generant scientiam; & ista opinionem, sed id fieri non posset, si essent incompatibilia; ergo &c.

Resp. dist. maj. formido actualis cum certitudine, seu scientia actuali, conc. maj. una habitualis, vel aptitudinalis cum alia actuali, aut è contra, neg. maj. & conf. sicut enim intellectus non potest simul & semel unum, vel duos actus habere, qui sint opinio, & scientia (saltem de eadem re) ita nec certitudinem actualem cum incertitudine, seu formidine actuali.

Objic. 3. Probabilitas est cum certitudine; ergo est sine formidine. Prob. ant. nam sine certitudine non operatur prudenter.

Resp. dist. ant. & prob. ejus, cum certitudine morali, conc. ant. cum certitudine physica, neg. ant. & conf. sed de hoc infrà.

CONCLUSIO II.

Auctoritas Doctorum facit aliquam probabilitatem: sed unius, non etiam plurium sine ratione loquentium non est sufficiens, si verò unus loquatur ex valida ratione, facit probabilitatem etiam contra plurimos non ita loquentes, nisi obstet definitio, vel communis sensus Ecclesiæ.

Prob. 1. p. ex dictis in præcedenti de probabilitate extrinseca.

Prob. 2. p. 1. ex constitutione Alexandri VII. damnantis hanc propositionem, quæ est 27. inter 28. quas reprobavit. *Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat rejectam esse à Sede Apostolica, tanquam improbabilem*; ergo unius Doctoris auctoritas non facit probabilitatem, quæ fundare possit conscientiam, saltem si agatur de peccato mortali. Fuit etiam damnata in pluribus Universalitatibus.

Prob. 3. ex jure civili, & canonico, quibus statuitur hæc regula receptissima, *Unius dicto non creditur, & vox unius vox nullius*, adeò ut in re gravi unus testis numquam sufficiat, quantacumque dignitate fulgeat ex Concil. Later. III. [1] & ex cap. *licet universis*, & cap. *licet ex quadam*, & cap. *veniens*; ergo longè minùs debet valere in materia gravi morum, ubi agitur de salute animæ. Item ex testibus citatis ex Aug. & cap. *ego solis*, & ex Clem. I. de sum. Trin. §. *ad hoc*. Hi enim Canones[2] cum Philosopho loquuntur semper de senioribus, & sapientibus in numero plurali, & id maximè verum est, si sine valida ratione loquantur.

Prob. 3. p. Nam si nequidem plures loquentes sine ratione faciunt opinionem satis probabilem ad formandam conscientiam, multo minùs faciet unus. prob. min. 1. ex cap. *novimus*, & aliis, ex quibus apparet, quòd multitudo Doctorum subscribentium opinioni reddit quidem illam communiorem, & fortè probabiliorem in aliquo gradu probabilitatis, sed non sufficientem ad formandam conscientiam secluso rationis fundamento, sine qua non censentur loqui debere, & cap. cit. *Ego solis*. D. August. potestatur D. Hieronymo, se non admittere ut verum id; quod asse-

[1] *Prop.* 7. [2] 1. *q.* 2. *cap. testes*.

asserunt alii Doctores, *nisi quia per alios auctores*, scilicet Canonicos scriptores, *vel probabiles rationes quòd à vero non abhorreant, persuadere potuerunt*: ubi glossa notat; *Non est considerandum qui dicant, quia veritas à quolibet prolata præferenda est, & ratio æquivalet canoni*; ergo multitudo Doctorum non fundat conscientiam, nisi quatenus cum rationis fundamento loquuntur.

Dico, *licèt multitudo opinantium faciat aliquem gradum probabilitatis, & quidem augeat*, quod patet ex concl. præcedenti, & maximè ex Script. [1] jubente, *Ne despicias narrationem præsbyterorum, & ne te prætereat narratio seniorum*, Et ex Arist. (2) *probabilia sunt, quæ videntur multis*, &c. sed ratio talium præceptorũ est quia presbyter, nec sapientes, nec seniores non censentur opinari sine solido fundamẽto ex Scriptura, vel ratione. Idẽ habetur ex cap. *novimus*.

Prob. 2 eadem 3. p. Nam de facto videmus opiniones, quæ suo tempore fuerunt communiores, scilicet à pluribus, & majori parte Doctorum assertæ, fuisse derelictas, & imò & reprobatas: sic opinio de baptismo collato ab hæreticis, quæ in usu communis erat apud omnes Africanos.

Prob. 4. Quia unus secundum se, licèt non faciat probabilitatem sufficientem solus, facit tamen aliquem gradum, & probationem semiplenam; ergo si accedat ratio valida, faciet sufficientem ad formandam conscientiam: patet ant. nam Moyses contentus erat uno; *Interroga patrem tuum, & annuntiabit*; & similiter ratio facit propabilitatem; ergo multò magis facit, si ab auctore gravi approbatur.

Prob. 2. ex jure civili, [3] quo statuitur, *Sed neque ex auctorum numero, quod melius, & æquius est, judicatote, cùm possit unius forsan, & deterioris sententia & meliores, & majores aliqua in parte superare*. Id confir. ex ipsa experientia; constat enim, multas opiniones à singularibus Doctoribus assertas evasisse probabilissimas: v. g. plures ab August. ab Alensi, à SS. Bonaventura, & S. Thoma, à Scoto, Henrico, Okamo, & aliis. Sic inter Philosophos Plato fundavit Scholam Academicorum; Aristoteles Peripateticorum: Zeno

[1] *Proverb. 3.* [2] *De verb. signific.*
[3] *L. 1. §. sed neque C. de jur. vet.*

Zeno Stoicorum, &c. Volunt autem aliqui, ut ille ſingularis Doctor ſic ſtabiliat ſuam opinionem validis rationibus, & reſpondeat adverſariis, ut ſuam reddat aut certam, aut probabiliorem; ſed puto ſufficere, ut ſuam reddat poſitivè, & Scholaſticè probabilem.

Dixi, *niſi adſit in contrarium definitio, vel communis ſenſus Eccleſiæ*; certè enim de definitione Eccleſiæ nullus dubitat, quin ſit unus ex potioribus locis Theologicis, nec ab eo diſſentire licet ſine temeritatis, & erroris, & hæreſis [1] nota. Nam quidquid in ea tenetur *aut auctoritas eſt ſcripturarum*, ait Auguſt. *aut traditio univerſalis, ſed auctoritate tota conſtringitur*, &c. *palam eſt, quòd in re dubia ad fidem valeat auctoritas Eccleſiæ Catholicæ*; ergo ſemper ſtandum Eccleſiæ non ſolum definitioni, ſed etiam ſenſui communi. Auctoritas igitur Eccleſiæ licèt non adduceret rationes ullas ſuæ doctrinæ, habet ſuperioritatem, ac juriſdictionem Scripturarum ſuper alia loca Theologica, & prævalet omnibus: non ſolet autem loqui ſine rationibus in decidendis dubiis, & quæſtionibus circa fidem, & mores, ut videre eſt in Conciliis. Certè ſi auctoritas pura Doctorum facit aliquam probabilitatem, auctoritas, & conſenſus totius Eccleſiæ facere certitudinem debet, quia Deus non permittit eam errare.

CONCLUSIO III.

Secluſo conſenſu illo, vel definitione totius Eccleſiæ, probabilitas intrinſeca præfertur extrinſecæ, & in iſta auctoritas multorum, ſi ſint graves, & claſſici prævalet uni, aut paucis; & hoc præciſe ob rationum firmitatem, quibus nituntur.

Prob. 1. p. Quia argumentum, ſeu locus ex auctoritate eſt omnium debiliſſimus; ergo probabilitas intrinſeca prævalet extrinſecæ, quæ eſt ab auctoritate.

Prob. 2. Illud medium prævalet, quod fortiùs trahit, & convincit intellectum, quia cum ſit agens ex determinatione naturæ, ut lapis ad deſcenſum, & ignis ad aſcenſum, non poteſt reſiſtere lumini veritatis apparentis in aliquo medio: ſed lumen veritatis magis

[1] *C. Catholica. c. ſeq.*

magis apparet per rationem, quàm per auctoritatem; ergo probabilitas intrinseca, quæ est ex ratione, prævalet extrinsecæ. Prob. min. quia ratio illuminat intellectum; in eo veritas per se ipsam apparet, & in auctoritate non apparet per se ipsam, nec in lumine, sed in obscuritate. Ideo intellectus etiam in his, quæ sunt de fide divina, eget auxilio, & concursu voluntatis, quem vocant *piam affectionem*, ut assentiatur revelatis. S. August. cit. protestatur, se nolle assentiri aliis scriptoribus, nisi appareat ratio in illorum dictis.

Prob. 3. ex SS.Canonibus cap. de *veritate* ex Aug. [1] dicitur *nemo consuetudinem rationi, & veritati præponat*, quia consuetudinem ratio, & veritas semper excludit. Item ex S. Cypriano idem Aug. & Canon. (2) *Hoc planè verum est, quia ratio, & veritas consuetudini præponenda est*, &c. *Nam consuetudo sine veritate*, seu ratione, *vetustas erroris est*: & Imperator ibidem, *relatio consuetudinis, ususque longævi non vilis auctoritas, verum non usque adeo sui valitura momento, ut aut rationem vincat, aut legem*; sed auctoritas dicentium ostendit consuetudinem, & usum, ratio verò ostendit veritatem;ergo hæc prævalet. Prob. min. ut consuetudo nihil aliud est, quàm frequentia usus plurium, & longi temporis sine ratione, sic existimatio alicujus dicti à pluribus sine ratione; ergo &c.

Prob. 2. p. 1. ex August. qui hunc ordinem præscribit; *Tenebit hunc modum in scripturis Canonicis, ut eas, quæ ab omnibus recipiuntur Ecclesiis, præponat eis, quas quædam non recipiunt; in eis verò, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures gravioresque accipiunt*; ergo pluralitas Doctorum (3) graviorum cæteris paribus, prævalet paucitati.

Dico, *cæteris paribus, & graviorum*; nec enim attenditur ad turbam eorum, qui sicut oves, aut grues alios catervatim, & sine delectu sequuntur, & sunt potiùs compilatores, & exscriptores, quàm scriptores, & paginas implent citationibus, & numerum solum augent, & sunt *doctorati*, non *Doctores*. Præcipiebat Deus per Moysem, *Non sequeris turbam*

[1] *d.* 8. [2] *C. consuetud. d.* 4.
[3] *De Doctr. Christ. c.* 8.

turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut à vero devies. Per *turbam intelligit populum*, inquit Glossa, [1] *non Doctores, qui licet pauciores sint, sunt tamen sanioris consilii*. Ideo notat Navarrus, [2] *censeri communiorem opinionem approbatam à sex, vel septem auctoribus classicis rem ex professo tractantibus & Scholasticè, quàm à 50. qui sola ferè aliorum ducerentur auctoritate*.

Igitur Doctores, qui dant probabilitatem extrinsecam opinioni, quæ sufficiat ad formandam conscientiam, debent esse *classici, præcipui, maximè noti*, & *existimati* in Ecclesia, quia illi sunt verè sapientes, & seniores, quos jubemur consulere in dubiis, juxta illud, ubi dicitur Moysi, (3) ut *eligat presbyteros*, id est seniores: unde in proverbiis dicitur, *Gloria senum canicies*, quæ sapientiam designat. Non ergo propter decrepitam senectutem, sed propter sapientiã *presbyteri* nominantur: & cap. cit. *in Canonicis*, jubetur præponi opiniones, *quas plures, gravioresque accipiunt*; ergo non sola pluralitas, sed & gravitas attendenda est.

Objic. Legem Theodosii relatam à Baronio [4] jubentis, *Ubi diversæ sententiæ proferuntur, potiùs numerus vincat auctorũ, vel si numerus æqualis sit, ejus partis præcedat auctoritas, in qua excellentis ingenii vir Papinianus emicat, qui ut singulos vincit, ita* cedit duobus; ergo semper numerus major asserentium unam opinionem facit probabiliorem absolutè.

Resp. dist. cons. cæteris paribus, & maximè in paritate gravitatis rationum, conc. cons. si aliqua alia disparitas adsit, v. g. in pondere rationum, neg. cons. neque enim de hoc casu loquitur, aut loqui potuit Imperator. Id constat ex illa regula, *Doctori sine ratione, aut lege loquenti non est credendum, quia Doctores sunt testes juris, non facti*; ergo illis solis non est credendum in facto opinionis, si sine ratione loquantur.

Porrò graviores censentur illi, quorum frequentiores sunt lecturæ, & approbationes in scholis, & auditoriis, & qui ex professo disputantes veritatem quærunt. Rationes utrimque perpendentes suam mentem solidè stabiliunt, & firmant. Ideo illi licèt numero inferiores pondere, & merito sunt superiores: quia verisi-

[1] *Exod.* 23. 2. [2] *Man. c.* 27. *n.* 289.
[3] *c. Porrò. d.* 84. [4] *An.* 435.

risimilius assequuti sunt veritatem, quàm alii, licèt plures, qui incidenter, & perfectoriè, aut in aliorum fide subscribunt opinionibus. *Classici* verò dicuntur, quorum auctoritas in scholis est approbata, & qui scholasticè scribunt de rebus.

CONCLUSIO IV.

INter auctores 1. *longe præstant SS. Patres, & Doctores Ecclesiæ cæteris omnibus*. 2. *Antiquiores præferendi modernis, cæteris paribus*. 3. *classici, qui rex professo, & scholasticè tractant aliis, qui velut per transennam, & ex occasione, seu incidenter*. 4. *denique practici, & morales in moralibus præferuntur scholasticis, seu speculativis*.

Prob. 1. p. ex Concil. Romano (1) sub Gelasio Papa, ubi recipiuntur, & commendantur SS. Patrum opera, post libros Canonicos, & acta Conciliorum; c. *Sancta Romana*: & cap. *Gloriosus Deus*, ubi Bonifacius VIII. eosdem SS. Patres sic commendat. *Horum Doctorum perlucida, & salutaria documenta illustrarunt Ecclesiam, decorarunt virtutibus, & moribus informarunt eorum fœcunda facundia cœlestis, insigni gratia, influente scripturarum ænigmata reserat, solvit nodos, obscura dilucidat, dubiaque declarat*. Et certè patet ex actis Conciliorum, quòd ipsa mater Ecclesia illos SS. Patres consulit in dubiis, ac difficultatibus tam circa mores, quam circa fidem.

Prob. 2. p. ex Scriptura. (2) *Sapientiam enim omnium antiquorum exquiret sapiens*. Et, *In antiquis est sapientia & in multo tempore prudentia*: & cap. *domino sancto* S. Isidorus (3) docet, quòd *quotiescumq; in gestis Conciliorum discors sententia invenitur, illius Concilii, magis teneatur sententia cujus aut antiquior, aut potior extat auctoritas*. Vides inter ipsa Concilia Ecclesiastica reperiri prælationẽ ratione antiquitatis, & auctoritatis, quantò magis inter auctores Sanctos, & antiquos præ recentioribus? & c. *Conquestus*. Nicolaus Papa (4) vetat, ne Metropolitanus in suffraganei Paro-

[1] *D.* 15. *De Reliq. & vener. SS.*
[2] *Eccl.* 39. [3] *dist.* 50. 28.
[4] 9. q. 3. 8.

Parochia *sine hujus Consilio quidquam agat*, *cùm hoc nec antiquitas* [*cui patres sanxerunt reverentiam*] *habeas*, &c.

Confir. ex Script. de Roboam, qui relicto Consilio senum adhibuit *adolescentes*, *qui secum nutriti fuerant*, & horum consilium sequutus est, quod ruinæ, ac dejectionis ejus occasio fuit.

Prob. denique. Nam nisi rationes graviores urgeant pro novis, nihil juvat, nec excusat ab antiquis discedere. Imò vel inde sunt antiquæ sententiæ probabiliores, quòd diutiùs examinatæ nihil occurrit, per quod potuerint infirmari; ergo ex ipsa vetustate, cæteris paribus, sunt probabiliores eorum opiniones.

Dico, *cæteris paribus*, semper enim ad rationes attendendum est, & quæ videntur firmiores, ac solidiores, sunt præferendæ, à quocumque afferantur sive à juniori, sive ab antiquiori. *Patet omnibus veritas, nondum est tota occupata omnibus prima est, non sit minor in tempore, non distrahitur à multitudine, non excludit venientes, multum ex illa posteris relictum est*, ait Cassiod. [1] Non igitur novitas in opinionibus vitium est, modo sint veræ, & in ratione fundatæ: novitatis convicium omni ævo fuit objectum etiam principibus scholarum. *Novitatis studium convitium est primum in Socratem conjectum*, inquit Themistius, *deinde in Platonem*, *deinceps in Aristot. ac Theophrastum*, & id notat Seneca: *Multum restat adhuc operis, multumque restabit, neque ulli nato post mille sæcula præcluditur occasio aliquid adhuc adjiciendi: sed & si omnia à veteribus inventa sunt, hoc semper novum erit, usus, & inventorum ab illis scientia, & dispositio, multum egerunt, qui ante nos fuerunt, sed non perierunt*. Certè plurimæ veterum etiam summorum Theologorum opiniones fuerunt ex noviter detectis rationibus antiquatæ.

Prob. 2. p. Quia de facto tales communiter citari solent in scholis, & alibi ad firmandas opiniones tam de moribus, quàm de fide, & quia opinionum probabilitas præcipua petitur à ratione, Doctores Classici, & qui materias ex professo examinarunt, melius rationes, & motiva penetrarunt, & suas opiniones solidiùs firmarunt, quàm qui ex occasione tantum, & inci-

[1] *Ep. 65.*

incidenter loquuntur, quamvis etiam nec desint prioribus contradictores, ut patet de ipsis Principibus scholæ, ut de Scoto, & D. Thoma, Durando, Henrico, OKamo, & aliis.

Prob. denique de moralibus, & practicis præ scholasticis, seu speculativis: nam illi magis sunt experti, & *cuilibet experto in sua arte credendum est*; ergo sicut in speculativis, & scholasticis consulendi sunt speculativi, sic in moralibus practici, unde Glossa [1] in cap. *ut veterum*, notat, quòd *magis Augustino credendum est in disputationibus; Hieronymo in historiis, & translationibus; Gregorius verò in moralibus præponitur, quia non omnes in omnibus, sed certi per certa*. Sic in vulnere an sit mortale, magis creditur Chirurgo, quàm Medico.

Quæres *de responsis SS. Congregationum S. Rom. Ecclesiæ Cardinalium, an sint leges, an verò tantùm opiniones.*

Resp non esse leges, sed opiniones gravissimas, quæ obligant consulentes, & sic non tollunt probabilitatem omnem contrariæ opinionis.

Ratio est, quia si essent leges deberent omnibus intimari, & promulgari, lex enim non obligat nisi promulgata, talia autem responsa non promulgantur omnibus, sed mittuntur partibus consulentibus, seu oratoribus, velut sententiæ judiciales, à quibus non licet recedere illos inter, & propter, & ad quos loquuntur, sunt enim tribunalia, & ipsi Cardinales sunt judices, & sapientes ad interpretandas Ecclesiæ leges; sicut in jure civili [2] *responsa prudentum sunt sententiæ, & opiniones eorum, quibus permissum erat de jure respondere. Nam antiquitus statutum erat, ut essent, qui jura publicè interpretarentur, quibus à Cæsare* (sicut istis à Papa) *jus respondendi datum est, qui jureconsulti appellantur, quorum omnium sententiæ, & opiniones eam auctoritatem tenebant, ut judici rececedere ab eorum responsis non liceret.*

Ex dictis collige 1. ad probabilitatem requiri 1. rationem ad minùs unam firmam, quæ reddat propositionem moraliter certam. 2. ut non contineat errorem, saltem vincibilem, & hæc conditio sequitur ex

[1] *dist.* 9. [2] *Instit. tit. de jure nat. §. responsa.*

ex 1. nam error non potest fundari in ratione firma. 3. ut non sit antiquata, nec condemnata, ut de pluribus accidit, quæ per Ecclesiæ reprobationes factæ sunt improbabiles, ut de confessione, & absolutione sacramentali per scripturam inter absentes, &c.

Collige 2. quòd opinio *tuta*, & *probabilis* differunt; nam *tuta* præcisè est ea, cui non subest periculum peccati, saltem materialis, sive illa sit probabilis, vel non; hæc verò dicitur ea, quæ nititur rationibus moraliter certis cum aliqua formidine de opposito: *tutior* est illa, quæ magis distat à periculo peccati. Dico, *peccati materialis*; nam probabilis debet etiam esse tuta, seu certa moraliter, quod absit peccatum in eo, quod suadet, aut vetat. *Probabilior* est ea, quæ firmioribus, & apparentoribus nititur rationibus, aut gravioribus auctoritatibus. Dico, *vel apparentioribus*, quia quæ efficaciùs movent, & fortiores apparent uni, possunt minùs movere alium, & sic opinio, quæ est illi *probabilior*, est minùs isti; & quæ est *probabilior*, non est semper *tutior*: v. g. invenisti pecuniam in via, quam putas probabiliter esse illi, qui ultimo transiit, restituendam, & probabilius quod non, sed quod tua sit; tutior eris, si restituas: credis probabiliter valde non esse jejunandum in vigilia S. Bartholomæi in Diœcesi Gratianopolitana; & tamen habes aliquam rationem putandi, quòd jejunandum est, tutior eris à peccato, si jejunes.

Collige 3. quòd opinio *singularis* est, si ab uno, vel altero Doctore asseratur sine gravi fundamento contra *communem*; *communis* verò, quæ solidis rationibus asseritur à septem, aut pluribus doctoribus classicis, seu magnæ notæ: *communior* est, quæ plures, & graviores habet auctores, *communissima*, quæ nullum ferè habet contradictorem. *Ratio* autem dicitur *efficacior* 1. si est secundum jus naturale, quàm secundum jus positivum, 2. si secundum jus divinum, quàm si secundum humanum. 3. si secundum æquitatem, quàm si secundum rigorem. 4. si est secundum mentem, de qua constat, quàm secundum verba. 5. si stet verbis, quàm si verisimilitudini. 6. si est juxta regulas juris, quàm si ex specialitate quadam. 7. si inclinet ad benignita-

tem

tem, & favorem, & ut res valeat; v. g. si favet juramento, matrimonio, testamento, immunitati Ecclesiæ, &c. quàm si ad rigiditatem. 8. denique si magis cavet periculum animæ.

QUÆSTIO VIII.

An, & quæ probabilitas sufficiat ad formandam conscientiam rectam, & maximè in concursu opinionum oppositarum.

Quæstio procedit 1. de opinione probabili absolutè, & secundum se præcisè à concursu alterius opinionis probabilis, aut probabilioris. 2. de opinione pr babili in concursu alterius probabilioris, aut tutioris, vel æquè probabilis, & quidem procedit de probabilitate non speculativa, sed practica, & quidem proximè.

CONCLUSIO I.

Conscientia probabilis absolutè, & in se est sufficiens regula moraliter operandi in concursu vero probabilioris non semper sufficit. Est communissima quoad 1. partem, & communior quoad 2.

Prob. 1. ex Scoto cit. (1) in præcedentibus, qui docet in materia sacramenti Eucharistiæ probabiliorem eligendam, & quòd *universaliter in omnibus dubiis, si possibilitas adest, via tutissima est eligenda, si deest possibilitas, via tutissimæ proxima, & cessante possibilitate cautè est supplendum, quod impossibilitas prohibebat*, quod si licitum est in dubiis, à fortiori in probabilibus; sed conscientia probabilis in se absolutè, & in præciso concursu, & aliquando in concursu probabilioris, non verò semper est tuta, & tutissima, quantùm fieri potest moraliter ergo eligi potest opinio probabilis, & super ea potest formari conscientia recta, modo sit tuta. Quod docet [2] *eligi tutissimam*, hoc dicit in materia Sacramentorũ, non autem in purè moralibus, ubi non exigitur tantus rigor. Id patet ex aliis textibus de restitutione, ubi detentorem rei alienæ, & mulierem à debito restitutionis eximit per aliquot vias, ob rationes purè probabiles, ut legenti patebit, & maximè cùm dicit, hanc non teneri monere filium spurium, ut dimittat partem suam hæredi-

[1] 4.*d.*11.*q.*6.*A.n.*2.*&* *d.*3.*q.*2.*K.n.*10.
[2] *d.*15.*KK.n.*38.

hæreditatis, quia probabiliter iste non credet illi, aut si credat, adhuc non est probabile, quòd propter hoc dimittere velit illi hæreditatem; *quia pauci inveniuntur, ità perfecti, ut propter justitiam servandam in foro Dei dimittant magnas possessiones, quas possunt tenere jure exteriori*. Hæc ratio, ut vides, est purè probabilis, & contrarium est valde probabile, & tutius, & de facto plures sunt timentes Deum, qui non retinent, quod possent in foro exteriori detinere.

Prob. 2. quoad 1. partem, quia si non liceret operari ex conscientia probabili, ferè semper essemus perplexi, & rarissimè possemus agere; sed consequens est inconveniens, & nullus admittet; ergo licitè operamur ex conscientia probabili, & ipsa est regula sufficiens. prob. maj. quia rarissimè habemus dictamina demonstrativè certa, & evidentia metaphysicè, aut physicè; ergo rarissimè liceret agere, & sæpissime perplexi hæsitaremus. Prob. ant. ex Philos. *Certitudo in omnibus non est eodem modo perquirenda; satis ergo fuerit de his, & ex his loquentes crasso modo, ac veluti per figuram veritatem ostendere, & secundum ea, quæ plurimum fieri solent; de his rebus transigere*. Et ratio id probat evidenter, quia syllogismi omnes practici, quorum conclusiones sunt dictamina practica conscientiæ, fundantur ad minùs in una præmissâ purè contingenti; ergo non possunt habere certitudinem, nec evidentiam physicam scientiæ.

Prob. 2. eadem pars ex jure Canonico, & SS. Patribus. Nam ex cap. *ego solis* sæpe citato patet, quòd assentimur dictis SS. Patrum, & Doctorum Ecclesiæ vel ex motivis fidei, quia hæc probant ex *scripturis canonicis, vel per rationes probabiles*; & cap. *inquisitioni*, ubi Papa docet, conjugem posse reddere debitum alteri conjugi petenti, *cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili, & discreta, quamvis non evidenti, & manifesta*: & cap. *constitutis* potest puniri suspensione Archiepiscopus *ex præsumptione verisimili de delicto*: & cap. *excommunicamus*, [1] jubentur purgare se, *qui inventi fuerint sola suspicione hæresis notabiles, alioqui anathematis gladio feriantur*, ubi notatur, [2] quòd ad hoc sufficit,

[1] *De sent. excomm.* [2] *De testib.*

cit, quòd sit *probabilis præsumptio*, seu suspicio, inquit Glossa, &c. ergo Pontifices ipsi putarunt conscientiam fundatam in præsumptione, vel suspicione probabili sufficere ad agendum moraliter, & quidem in rebus gravissimis.

Confir. quia Ecclesia permittit multa multis ex conscientia probabili, etiam in materia sacramentorum; ergo &c. prob. ant. permittit Græcis consecrationem in pane fermentato; ut consecrentur sacerdotes, licèt non recipiant omnes quatuor minores ordines, & non reputent subdiaconatum inter sacros, & non adhibeant unctiones easdem cum latinis, nec iisdem materiis, v. g. in Chrismate.

Prob. 3. ex Script. nam Machabæi [1] potiùs elegerunt pati mortem ab hostibus, quàm aggressi defendere se, & bellare in die sabbathi, ne illud violarent; sed alii, mutata conscientia ex aliis rationibus, die sabbathi præliarunt dicentes; *Si omnes fecerimus sicut fratres nostri, & non pugnaverimus, gentes disperdent nos à terra: & decreverunt, omnis homo quicumque venerit in bello die sabbathorum, pugnemus adversus eum, & non moriemur omnes, sicut fratres nostri mortui sunt*: Ecce quod probabile visum est primis, non ita visum est secundis, & singuli fecerunt juxta dictamen conscientiæ sibi probabilis, & quidem primi juxta *tutiorem*, isti juxta *minus tutam*, saltem materialiter: Idem dicendum de SS. Apostolis Petro, & Paulo, quorum ille coram gentilibus edebat de idolotitis, & coram Judæis non edebat; iste verò simulationem illam improbat, [2] *& restitit in faciem Petro*; ergo uterque egit secundum probabilem conscientiam, & utraque recta fuit, donec in Concilio Hierosolimitano sancitum est, legalia non esse observanda, ut legitur in actis: [3] Sic in historiis sacris Ecclesiæ constat plures opiniones fuisse probabiles; & ut tales in usu apud multos etiam insignes admodum pietate, & doctrina Patres, quas deinde abrogaverunt posteri, ut de Celestino 3 [4] qui putavit matrimonium dissolvi per hæresim unius conjugum; & Concil. Trid. (5) aliter statuit: de celebratione Paschatis, quod S. Polycarpus volebat celebrari more

[1] 1. *Machab.* 2. [2] *Gal.* 2.
[3] *Act.* 15. 28. [4] *C. quanto de divort.* [5] *ss.* 24. *c.* 5.

re Judaico, ſcilicet 14. Lunæ Martii, & ita docebat Aſiaticos; in occidente verò ex decreto Pii Primi celebratur prima Dominica poſt 15. Lunam Martii, quod deinde Papa Victor juſſit [1] obſervari per totum orbem: ergo opinio Polycarpi fuit ad ſummum probabilis, & tamen eam ſequebatur. Inter S. Auguſtinum, & Hieronymum plura diſputabantur; ille putabat reprehenſionem factam D. Petro à D. Paulo fuiſſe ſinceram; iſte vero ſimulatam: iſte dicebat arborem, ſub qua quieſcebat Jonas egreſſus de ventri Ceti fuiſſe cucurbitam; Auguſtinus verò hederam. S. Chryſoſt. defendebat Origenem, Epiphanius tam acriter impugnabat, ut communionem Chryſoſtomi vitaret; ergo aliquæ horum Sanctiſſimorum, & Doctiſſimorum Eccleſiæ Patrum opiniones erant tantùm, & ad ſummum probabiles. Denique Alexander VIII. cit. videtur id decidere, cùm hanc propoſitionem damnat. *Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam*. Et alii Pontifices, qui damnant alias adductas, ab initio videntur approbare uſum probabilitatis abſolutè, & ſaltem extra concurſum probabilioris.

Prob. 4. ratione. Conſcientia formata ex opinione probabili eſt verè prudens; ergo & recta: conſ. eſt certa; idem enim eſt conſcientia prudens, & recta, & quæ operatur prudenter, operatur rectè. Prob. ant. opinio innixa dicto ſapientum, & gravi rationi eſt verè prudens; ſed talis eſt opinio probabilis; ergo eſt prudens. Prob. min. ex dictis, quia probabilitas vera in hoc conſiſtit, & niſi nitatur dicto ſapientum, & rationibus gravibus, non eſt verè probabilis, ut patet ex definit. Ariſtotelis.

Confirm. quia ex omnium ſenſu conſcientia ex opinione probabiliori eſt recta; ergo & ex probabili: nam in hoc conveniunt probabilis, & probabilior, quòd nituntur ambæ dicto ſapientum, & rationibus gravibus, & probabilior conſiderata in ſe abſolutè non eſt niſi probabilis; dicitur tantùm probabilior comparativè ad aliam, utraque eſt cum formidine de oppoſito, nec aliter differunt, niſi ſecundum magis, & minus.

Objic.

[1] *cap. noſſe. & cap. Paſchæ. & cap. celebritatem.*

Objic. Prudentia est *habitus cum recta ratione activus*; sed conscientia tantùm probabilis non est agens ex recta ratione; ergo non est prudentia. Prob. min. quod est probabile tantùm potest esse falsum; ergo conscientia probabilis tantùm, non èst agens cum recta ratione, quia rectæ rationi non subest falsitas. ant. prob. ex ipsa definitione probabilitatis; est enim inseparabilis à formidine de falsitate unius, & de veritate partis contrariæ.

Resp. neg min. & dist. ant. prob. potest subesse falsum physicè, & est cum formidine aptitudinali, & radicali falsitatis, conc. ant. falsum moraliter, & est cum formidine actuali, neg. ant. & conf. Ratio distinctionis, & negati patet ex dictis; nam conscientia probabilis habet certitudinem moralem de rectitudine, & veritate opinionis, in qua fundatur; quia hæc nititur dictis sapientum, vel rationibus examinatis accuratè, & gravibus, nec aliud exigit rectitudo prudentiæ.

Inst. Prudentia agit cum certitudine; sed conscientia ex opinione probabili non est cum certitudine, sed potiùs habet annexam incertitudinem, scilicet formidinem illam; ergo non est prudentia.

Resp. ut priùs dist. maj. cum certitudine morali, conc. maj. & neg. min. cum certitudine physica, vel mathematica, neg. maj. & conf. opinio verè probabilis habet omnem certitudinem, quæ humano modo, & in hujusmodi agibilibus haberi potest.

Objicies 2. ex Script. jubemur agere secundum *dictamen verax, & consilium stabile*: sed conscientia probabilis nō est *dictamen verax*, nec *consiliū stabile*; quia potest ei subesse falsum; & est de re contingenti, quæ potest esse, aut nòn esse; ergo conscientia probabilis non sufficit ad agendum juxta regulas divinas.

Resp. neg. min. in sensu prędicto: nam conscientiæ probabilis dictamen est verum practicè, & moraliter, licet possit esse falsum speculativè, & physicè; & *consilium illud stabile* est matura, & prudens consultatio, & deliberatio, quales sunt in conscienia probabili, ut sæpe dictum est; hoc fatendum est omnibus; nam hæc sunt essentialiter in omni opinione, quantumvis probabilissima, & tamen certum est, hanc esse sufficientem ad formandam conscientiam, ut patet ex propositione damnata ab Alexandro VIII.

CONCLUSIO II.

IN concursu duarum opinionum æqualiter probabilium intellectus prudentis hæret anceps, si vero sint inæqualiter probabiles, assentitur probabiliori, & secundum hanc debet formari conscientia, de voluntate autem an possit eligere vel alteram æqualium, vel minus probabilem prudenter, & licitè, probabilius est, non posse, saltem semper. Hanc ex Scotistis docet [1] Card. Laurea.

Prob. 1. ex Scoto jam citato, [2] & maximè cùm decidit, non posse sacerdotem in consecratione uti Amydo, quia *cùm hæc pars negativa sit probabilior, non sine peccato aliquis se exponit tali dubio*. Nam sic loquens ostendit satis clarè, ni fallor, quòd qui sequeretur opinionem minùs probabilem de sufficientia Amydi ad consecrationem Eucharisticam, peccati periculo se exponeret. Nec obstat, quòd loquatur de *dubio*. nam vox *dubium* ibi non sumitur in rigore, nec de *dubio* formali, sed materiali.

Prob. 2. ex eodem: nam docet,[3] quòd in moralibus *quando sunt altercationes de aliquo peccato, quando primò est mortale, ut si unus peritus in scientia dicat, quòd non licet sic mercari, & alius dicat, quòd licet, tutius est non procedere sic, nec sic, sed expectare quoad usque veritas pateat aliunde*; ergo ex Scoto intellectus manet dubius inter duas opiniones æquè probabiles, nec potest uni assentiri potiùs, quàm alteri, sed vel utrique, vel neutri.

Prob. 3. Quia intellectus non est potentia electiva, sed naturaliter agens, nec potest judicare de rebus aliter, ac apparent ipsi; ergo si duæ propositiones contradictoriæ apparent ipsi æqualiter probabiles, non potest assentiri uni præ alia, nec assentiri utrique; ergo debet manere anceps, & dubius. ant. patet ex dictis de anima, & de libertate. prob. cons. nam in hac suppositione intellectus videns æqualitatem motivorum, nihil aliud potest dictare voluntati, nisi quod apparentia veritatis est pro utraque parte contradictionis, & sic non adhæret uni præ alia, sed manet in

[1] 10. *de virtut. d.* 11. *n.* 242. [2] 4. *d.* 11. *q. cit.*
[3] 3. *d.* 25. *q.* 1*D. n.* 7.

in æquilibrio, & anceps, una illarum est quidem vera, & alia falsa, sed non videt quænam sit falsa; ergo non potest dictare unam esse eligendam præ alia, non potest etiam assentiri utrique, alioqui admitteret duo contradictoria, admitteret unam, eandemque actionem esse, & non esse peccatum, quod implicat contradictionem: v. g. hæ duæ propositiones: *Pictura est opus servile, & illicita in die festo*, &, *Pictura non est opus servile, nec illicita in die festo*: Si proponantur intellectui motiva æqualiter fortia pro utraque, judicat quidem utramque esse probabilem; sed non inclinatur in unam præ alia, quantùm est ex se, scit alterutram esse falsam, sed non potest id sentire de prima potius, quàm de 2. ergo manet dubius; ergo non potest dictare voluntati unam præ alia esse eligendam, ut licitè agat, nisi posset velle illam decipere, quod dici non potest; sed, si sit prudens, dictabit potiùs abstinendum ab utroque, quoties in alterutra parte est peccatum, nisi velit eligere tutiorem, quæ est *non pingere*. Hoc certè mihi videtur evidens; voluntas autem potest quidem pro sua libertate non sequi dictamen, sed non faceret prudenter, nec licite, quia se exponeret periculo peccandi, ut diximus de conscientia dubia, vel erronea vincibiliter, & crassè.

Tamen, ut verum fatear (& id putant multi) casus talis æqualitatis in probabilitate est valde metaphysicus, & moraliter rarissimus, si non impossibilis.

Prob. 2. p. ex constitutionibus Apostolicis, quibus hæ propositiones reprobantur sub Innoc. XI. 1. *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi*, &c. 2. *probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem minus probabilem*. 3. *generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus*. Hinc enim sequitur evidenter, non licere semper sequi minùs probabilem relicta probabiliori, & tutiori, nec sufficere minimam, & levem probabilitatem.

Prob.2. Eadem p. ex praxi, & legibus Ecclesiæ, quæ sequitur, & suadet semper probabiliorem: ideo cap. [1] *Capellanus*, agens de tempore nuptiarum decernit secundum opinionem, *quæ meliori, & subtiliori nititur ratione*, & cùm auctoritates sunt æquales, suspendit judicium, & jubet *consuetudinem consulendam* cap. *cum sint*; nam Alexander III. [2] ait, *Non est nobis facile semper hoc dare responsum, cum auctoritates Patrum etiam sint diversæ, & ideo in hujusmodi dubitatione ad consuetudinem duximus recurrendum*: & cap. *novimus* Innocentius III. [3] judicat secundum opinionem, quæ à pluribus est approbata circa degradationem clerici: idem patet ex cap. *majores*, ubi ob contrarias, & æquales rationes, seu auctoritates circa infusionem habituum supernaturalium in baptismo res manet indecisa, sed postea in Concil. Vien.[4] deciditur pars affirmativa *ob majorem probabilitatem*, quæ dicit tam parvulis, quàm adultis conferri in baptismo informantem gratiam, & virtutes, *tanquam probabiliorem, sacro approbante Concilio duximus eligendam*: item cap. *suborta*, adjudicatur Episcopo Meldensi [5] jurisdictio in monasterium Stabatense, *quia cognovimus efficaciores Episcopi rationes*, alios textus habes citatos tum ex SS. Canonibus, tum ex juris peritis, tum ex SS. Patribus apud Card. nostrum Lauream.

Prob. 3. ratione. Conscientia probabilis est prudens; ergo dictamen eius debet esse verum, & certum saltem moraliter; sed non potest esse verum, & moraliter certum, si fundetur in opinione minus probabili, dum adest probabilior; ergo nec prudens. prob. subsumpt. 1. *de veritate*; intellectus est agens naturale, ut diximus, & non potest judicare vera duo contradictoria simul, ergo debet necessariò existimare verum, quod probabilius est, non autem quod minus. prob. cons. potentia necessaria, & cognitiva sic determinatur ab objecto, ut non possit judicare de illo, nisi secundum quod se illi repræsentat sed objectum, quod apparet probabilius, se repræsentat ut verum præ illo, quod apparet minùs pro-

[1] *De feriis*. [2] *De decimis*.
[3] *De ver. signif.* [4] *De S. Trini.*
[5] *De Bapt.*

probabile; veritas enim consistit in indivisibili, & non suscipit magis, & minus; ergo, quod apparet probabilius, debet judicari verum, & minùs probabile ut falsum.

Sed quidquid sit *de veritate* prob. *de certitudine morali*. 1. quia intellectus manet dubius inter propositiones æquè probabiles, ut probatum est; ergo multò minus poterit dictare in favorem minus probabilis in præsentia probabilioris. prob. conf. si æqualitas rationum, vel auctoritatis pro parte affirmativa v. g. impedit, ne intellectus assentiatur negativæ, & vicissim, multò magis id impediet major vis, & efficacior eorumdem motivorum; sed æqualitas id impedit; ergo magis id impediet majoritas rationis. Certè si gravitas ponderis ut tria impedit, ne bilanx inclinet in dexteram, multò magis id impediet gravitas ut quatuor, vel quinque.

Confir. Nam ex communiori sententia timor actualis de falsitate opinionis, quæ dictatur sequenda, impediret securitatem, seu certitudinem moralem, quæ requiritur ad dictamen prudentiale, ideo solùm admittimus aptitudinem; sed formido falsitatis opinionis tantùm probabilis in concursu probabilioris esset actualis, & longè major, quàm securitas, seu certitudo, quæ est in opinione probabili; ergo dictamen, seu conscientia dictans hanc esse sequendam non esset prudens; imo nec id videtur in potestate intellectus; nam trahitur à majori luce, & certitudine, sicut bilanx à majori pondere, & à majori probabilitate: unde Arist. docet. quòd 1. *existimare non est in nobis: necesse enim est aut falsari, aut verisari*, hoc est, inquit commentator, *necesse est verum, aut falsum dicere*. Quod si intellectus non possit dictare sequendam esse minus probabilem; ergo nec voluntas eam sequi prudenter, nec licitè, quia ex dictis patet, eam debere conformari dictamini conscientiæ.

Dices hinc probari, quòd per assensum directum, & judicium speculativum non potest intellectus judicare utramque partem esse veram, benè verò per reflexum, & practicum, quasi diceret; ex hoc motivo pars affirmativa apparet vera, & ideo licita; ex alio verò pars negativa magis apparet vera; sed hoc posterius judicium non tollit veritatem, & rectitudinem

præcedentis, nec per consequens impedit, quin judicare possit sequendam esse primam partem per dictamen reflexum, & practicè practicum, quia fundatur in opinione verè probabili, & per consequens moraliter certa, nec alia certitudo requiritur, ut prudenter agat.

Contra. Ut judicium reflexum, & dictamen practicum sit rectum, fundatur in judicio recto, & speculativo; sed istud inclinat in probabiliorem, & quidem necessariò, & ex natura tam objecti, quàm intellectus; ergo & illud. prob. maj. judicium practicum, & reflexum debet esse verum, si non metaphysicè, & de re, qualis est in se, saltem qualis apparet in mediis, ut dictum est, sed non erit verum practicè, nisi sit conforme directo, & speculativo; ergo nec rectum; ergo debet esse juxta probabiliorem opinionē. Sit casus: quæritur de aliquo contractu, an sit licitus? afferuntur mihi rationes pro utraque parte, sed, quæ probant illicitatem, mihi apparent fortiores, & tales eas judico speculativè; aliæ pro licitate apparent quidem probabiles, sed non adeò; potest ne intellectus judicare, quòd hic, & nunc talis contractus est licitus, nisi velit se exponere probabiliori periculo peccandi per contractum illicitum? quis me liberaret à peccato homicidii: si diceret mihi oculus, vel intellectus, animal, quod movetur, & apparet in sylva, probabiliter est lepus; sed probabilius est esse hominem, & formata mihi conscientia ex priori judico, quod hic, & nunc possum explodere catapultam, nullus, ut puto, negabit quin si hominem occidam, quamvis probabiliter putaverim esse leporem, peccaverim peccato homicidii; ergo idem est de homine in casibus, ubi agitur de salute animæ propriæ, vel alienæ, reus erit mortis ejus spiritalis, si faciat, quæ probabiliùs apparent illicita.

Confir. Quia ut homo agat prudenter, debet adhibere omnem moraliter possibilem diligentiam, ut caveat periculum peccandi; sed qui sequeretur opinionem probabilem abjecta probabiliori, non adhiberet talem diligentiam in periculo peccandi; ergo non ageret prudenter. Prob. min. ille non adhibet omnem moraliter possibilem diligentiam ad vitandum periculum animæ, & peccati, qui contemnit

me-

medium non dico certius, sed etiam certum ad illud vitandum, sed hoc contemneret iste; ergo &c. prob. min. nam, ut patet ex dictis, opinio probabilior est certa, & minus probabilis est incerta; ergo &c. prob. ant. minus probabilis in præsentia, & concursu probabilioris est cum gravi, & actuali formidine falsitatis, nec potest intellectus utramque perpendens assentiri firmiter isti; ergo respectu illius, scilicet minus probabilis, est incertus.

Probatur deniq; ex confesso majoris partis adversariorum, & ex decretis Apostolicis, quæ citavimus. Non licet sequi minus probabilem, cum agitur de valore Sacramenti, nec in judiciis, nec in conciliis, nec in bellis inferendis; ergo neque id licebit in aliis occasionibus, ubi agitur de vitando peccato. ant. patet experientia eorum, qui legunt auctores sustinentes posse eligi minus probabilem; hi enim omnes excipiunt casus illos. Prob. conf. Nam ratio, cur judex v. g. non possit judicare secundum partem minus probabilem est, quia auctoritas hæc datur illi, ut judicet secundum allegata, & probata, & quia agitur de damno tertii, cui fit injuria, si, cum habeat rationes efficaciores, non vincat. Idem est de medico, qui vocatur, & conducitur, ut adhibeat efficaciora, & probabiliora media. Idem est de Consiliario, seu advocato; sed hæ rationes faciunt à fortiori pro casibus omnibus, in quibus agitur de vitando peccato, quod est summum detrimentum animæ, & cui detrimenta illa omnia temporalia non possunt comparari; ergo si in illis non licet agere juxta minùs probabilem, multò minùs in istis. prob. min. nam præceptum charitatis, & justitiæ non magis obligat circa proximum, quàm circa se ipsum, & animam, & Deum, de cujus offensa vitanda agitur; nec minùs verum est, Deum velle, ut efficacioribus, & certioribus mediis vitemus offensam ejus, quàm quod respublica, vel ægrotus, vel litigans velit, ut judex, medicus, & advocatus utantur melioribus rationibus in judiciis, in medicamentis, & consiliis ad vitanda mala in bonis fortunæ, aut corporis; idem est de litigantibus, & Regibus in bellis inferendis.

Confir. Quia si admittatur semel ea libertas eligen-

di minùs probabilem partem relicta probabiliori, nulla ferè in moralibus erit certa regula agendorum, quia vix occurrit aliquid faciendum, aut vitandum, de quo non sint rationes aliquales utrimque, ut patet experientia; de omnibus enim disputatur. Dici posset Adamum, & Evam egisse juxta opinionem minùs probabilem, sed tamen quæ potuit eis videri probabilis, cùm fructum vetitum comederunt: sic & Saul posset excusari, cùm pepercit Amalecitis, & sic de cæteris: sic possent excusari scelera horrendissima, & manifestissima, & opiniones perniciosissimę subsisterēt, donec decretis positivis per Ecclesiam prohiberentur.

Objicies 1. Per nos debet formari conscientia ex opinione probabiliori; sed, quod eligi possit minus probabilis, est opinio probabilior; ergo ita est dicendum. Prob. min. illa est probabilior, quam tenent longè plures Doctores etiam classici, & ipse Scotus; sed hanc tenent longè plures, & ipse Scotus: ergo &c. prob. min. experientia, quæ facilè patebit legenti auctores, maximè recentes, nam ex 20. vix reperies duos, qui nobiscum sentiant. Inter Scotistas unum habemus Cardinalem Lauream, quem viderim; sed Mastrius, Poncius, Vulpes citantur, & stant contra nos. Faber verò loquitur sempet de probabiliori, & tuta. prob. de Scoto, [1] qui putat, *furantem in extrema necessitate ad restitutionem non teneri in pinguiori fortuna, & cum id potest commodè*; nam contraria opinio est tutior, & probabilior: & alibi docet, [2] quòd in dubiis circa mores an aliquid sit peccatum, locum habet labor Doctorum; ergo censet eligi posse opinionem, modò sit probabilis, & licet sit minus tuta.

Resp. neg. min. 1. 2. & 3. argum. quia si pensetur probabilitas extrinseca, opinio nostra longè probabilior est si non numero, saltem gravitate Doctorum; & maximè si attendatur ad constitutiones apostolicas, & sacros canones, in quibus fundatur assertio nostra. 2. quia pro nobis stant meliores rationes, & pars nostra longè tutior est.

Ad Scotum autem patet, eum apertè nobis favere ex textibus citatis pro assertione, & isti non urgent; nam falsum est in casu, de quo loquitur, quòd resti-tutio-

[1] 4.*d*.15.*q*.2.*KK*. [2] *q*.2.*prol*.*E*.

tutionis obligatio sit probabilior, ut patet ex ratione ab ipso allegata. 2. locus potiùs est pro nobis; nam ibi docet potius abstinendum ab actibus, de quibus non est certum, an sint liciti, aut peccata, *Suppositis opinionibus doctorum, & expositorum; nam à talibus tanquam à periculosis debet homo sibi cavere, & abstinere;* ergo multo magis debet abstinere à sequenda via minùs probabili, dum adest probabilior; quia pars minùs probabilis evadit periculosior, si sit pro parte negativa, quod mihi apparet evidens.

Inst. Ecclesia ipsa licèt unam ex probabilibus eligat, non tamen improbat aliam; imò declarat se nullum ei præjudicium inferre velle, ut patet cap. *cum Marthæ*, ubi Pontifex putat quidem aquam in calice converti in sanguinem, sed non improbat opinionem docentem, quòd non convertitur, sed remanet aqua; quia *nec inconveniens creditur, aut absurdum, si aqua in corpore Christi esse credatur, cum legatur de ipsius latere fluxisse*. 2. indecisam, & examini relinquit distinctionem valde, & mediocriter bonorum, & malorum inter defunctos in ordine ad suffragia Ecclesiæ, nec obligat ad probabiliorem. 3. cùm agitur de Immaculata Conceptione B. V. Deiparæ, approbat Ecclesia affirmativam, quæ est omnium Franciscanorum post Doctorem[1] subtilẽ huius opinionis piissimæ defensorem acerrimum, sed non prohibet contrariam, licèt minùs probabilem, & quæ est communior inter PP. Dominicanos; relinquit eam in suis terminis, ut patet ex Bullis plurium SS. Pontificum. cap. *litteras*. Innocentius III. refert sententias Clementis, & Lucii prædecessorum suorum contrarias circa restitutionem uxoris, quæ prætextu impedimenti recesserat à viro suo; [2] *Nos autem*, inquit, *nullam de prædictis sententiis reprobamus; nec cuiquam earum præjudicium volumus ex nostra responsione generari*; ergo licèt altera, quam sequitur, esset probabilior, licebat eligere contrariam, licèt minùs probabilem; ergo ex consensu SS. Pontificum, & ex SS. Canonibus potest eligi minùs probabilis.

Resp. neg. ant. Nam ex Canonibus, & constitutionibus à nobis citatis constat, Ecclesiam semper eligere probabiliorem: & id 1. patet ex ipsomet cap. *cum*

R 5 *Mar-*

[1] *Ibid. fin.* [2] *De restit. spol.*

Marihæ; ubi Pontifex dicit, quòd inter prædictas opiniones *illa probabilior judicatur, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem converti*, & hodie est de fide, quòd in calice non est alia substantia post consecrationem, quàm sanguinis Christi. 2. textus nihil probat, nisi quòd non vult Episcopum eligere, nisi post districtum examen, in quo apparebit, quid sit probabilius. Ex 3. nihil potest concludi, nisi quod ex prudentia Pontifices noluerunt probabilissimam, & receptissimam de Immaculata Conceptione opinionem definire, licèt eam amplectantur, & invitent fideles omnes ad eam amplectendam. Imò Alex VII. prohibet contrariam prædicari, & hinc nihil infertur contra assertionem, in qua loquimur de conscientia probabili circa opiniones, in quibus agitur de licitate, aut illicitate actus, & de vitando peccato. 5. denique Innocentius III. noluit condemnare suos prædecessores, qui probabiliorem quique & respectivè sententiam sequuti sunt, contentus eam præscribere, quæ sibi etiam visa est probabilior.

Inst. 2. Saltem hinc habetur, nullum esse præceptum divinum, aut humanum de sequenda probabiliori; quandoquidem SS. Canones relinquunt libertatem circa utrasque; ergo nulla est obligatio sequendi probabiliorem. Prob. ant. tum ex citatis textibus; tum quia neque ex Scriptura constat de præcepto divino, neque ex ullo canone, vel costitutione Ecclesiastica constat de humano.

Resp. neg. ant. & prob. ejus, 1. quia id præcipitur à natura, quæ inclinat, & determinat intellectum ad assentiendum objecto, quod verius apparet, & in majori lumine, & refugit naturaliter majus errandi periculum, quod sine dubio majus est in minus probabili. 2. præceptum divinum constat ex loco cit. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile*; numquam enim *verbum verax*, nec *consilium stabile* reperitur in dictamine minus probabili coram probabiliori, in quo veritas magis elucet, & stabilior apparet, & 3. lex Ecclesiastica satis colligitur ex Canonibus citatis.

Inst. 3. Canones à nobis citati, ut cap. *inquisitioni*, & cap. *ego solis*, non requirunt nisi *probabilem credulitatem*, vel *rationes probabiles*; sed hæc reperiuntur in

in minùs probabili; ergo Ecclesia non solùm præcipit quæri probabiliorem, sed etiam probat sequelam probabilis.

Respondeo dist. ant. Si non adsint, nec possint haberi probabiliores, conc. ant. si adsint, & possint haberi, neg. ant. & conf. nam tunc probabiles sufficiunt, cum post diligentiam moralem non potest haberi major certitudo, qualis non habetur, dum adest, vel adesse potest probabilior, quæ sola tunc est absolutè probabilis.

Objic. 2. ex Arist. [1] *Non est necessarium in unoquoque genere certitudinem exigere; simile quippe videtur esse à Mathematico persuasionem recipere, & ab Oratore quærere demonstrationem*: ergo ex Philosopho non debet quæri in moralibus nisi probabilitas: sed hæc reperitur in minùs probabili; ergo hæc sufficit.

Resp. neg. subsumptum. Nam ex Philosophi textu exigitur certitudo, *quam rei natura recipit*: ergo si recipit majorem, quàm in minùs probabili, scilicet recipit eam, quæ in probabiliori micat, hanc exigit: ergo ex Philosopho exigitur sequela probabilioris, quando habetur.

Inst. Docet idem, quòd *moralia debent crassa minerva pertractari*: ergo sufficit probabilis sive sola, sive cum alia æque, ac plus probabilis, quia apparet satis vera.

Resp. dist. ant. Crassa, id est sine sophisticis difficultatibus, & non quærenda est physica evidentia, & certitudo, conc. ant. sine prudenti consultatione, & inquisitione veritatis, neg. ant. hæc autem non esset in eo, qui habens majorem evidentiam, & certitudinem moralem hæreret in minori.

Objic. 3. Ad rectè formandam conscientiam sufficit, quòd opinio sit moraliter certa, & ad hoc sufficit, quòd sit probabilis: sed opinio minùs probabilis est certa moraliter, & verè probabilis: ergo sufficit ad formandam conscientiam. Maj. patet ex conclus. 1. prob. min. non enim amittit suam probabilitatem per concursum probabilioris, alioqui non esset necesse hìc disputare, & malè sic proponeretur. Præterea omne comparativum non tollit positivum.

Resp. neg. min. & ant. prob. nam hoc ipso quod

[1] 1. *Ethic.* 3.

habeo motivum efficacius, & evidentius, aut certius credendi hunc contractum esse illicitum, non possum dicere probabiliter, quòd sit licitus ob rationes leviores, & incertiores, non possum esse certus contrà certitudinem; ergo à fortiori nec contra majorem certitudinem, evadit enim ex ea præsentia incertior, & obscurior, & ideò intellectus, qui ei assentiebatur prudenter, quando sola apparebat, non potest ampliùs prudenter ei assentiri videns eam adeò incertam coram certiori, nec est digna, quæ approbetur in comparatione dignioris, quia ejus fundamentum levitat.

Inst. Non tenemur ad id, quod est perfectius, & melius; sufficit perfectum, & bonum, alioqui jugum Christi non esset suave, nec onus leve; ergo licèt conscientia probabilior sit melior, & perfectior, sufficit probabilis. Prob. ant. nam difficillimum est discernere inter probabilem, & probabiliorem; ergo &c.

Resp. neg. conf. Nam ut dicebamus, probabilis ex præsentia, & concursu probabilioris non est bona, nec perfecta, sicut nec verè probabilis, nec volumus, ut homo distinguat probabiliorem à minùs probabili, sed ut sequatur eam, quam judicat probabiliorem post diligentem, & moraliter sufficientem, seu prudentem veritatis inquisitionem, sive à parte rei hæc sit probabilior, & verior, sive non.

Objicies 4. Ideò rejiceretur minùs probabilis, quia esset cum formidine falsitatis; sed hæc formido est etiam in probabiliori; quia est de essentia opinionis, ut opinio est; ergo illa non debet rejici potius, quàm ista.

Respondeo dist. maj. quia esset cum formidine actuali gravi, & superabili, conc. maj. & neg. min. quia esset levis, & aptitudinalis, & insuperabilis, qualis est in probabiliori, neg. maj. & conf. nam formido, quæ est essentialis opinioni, *ut sic*, & secundum se est, ut diximus, levis, & aptitudinalis, & insuperabilis ex natura objecti, & mediorum, at in præsentia, & concursu probabilioris illa formido evadit gravior, & actualis, & superabilis, quod non est verum de probabiliori, quæ ex hoc ipso concursu evadit levior, & insuperabilior.

Inst. Probabilis non est temeraria; ergo est prudens,

dens, & dictat prudenter. Prob. ant. non est sine fundamento, & quidem gravi alioqui non esset probabilis, ut patet ex dictis; ergo &c.

Resp. neg. ant. in quo est mera petitio principii; nam quæstio est, an conscientiæ dictamen ex opinione minùs probabili in concursu probabilioris sit temeraria, vel prudens; & ratio negati patet ex dictis: nam prudentia numquam dictabit relinquere, quod verius, & certius apparet pro eo, quod minus verum, & minus certum videtur nobis. Hoc repugnat inclinationi naturali rationalis potentiæ.

Objic. 5. In materia speculativa non tenemur ad probabiliorem; ergo nec in morali, & practica. Patet ant. experientia. Prob. conf. nam in speculativis intellectus non minùs determinatur ad quærendam veritatem, & assentiendum veriori, quàm in practicis; ergo ut in illis sufficit quælibet apparentia veritatis, ita & in istis.

Resp. neg. conf. Nam in speculativis nullum malum imminet animæ ex errore, sicut in practicis.

Resp. 2. neg. ant. Nam quantum est ex parte intellectus, tam determinatè inclinatur ad assentiendum vero in practicis, quàm in speculativis.

Objic. denique. Non tenemur ad sequendam tutiorem partem, saltem semper, modò sequamur tutam; ergo nec ad probabiliorem. Ant. patebit infrà prob. conf. nam probabilior est etiam tutior, & vicissim.

Resp. neg. conf. & rationem ejus. Neque enim tutior est semper probabilior, ut mox patebit, alioqui concederem totum; quid inde absurdi, vel inconvenientis, quòd teneamur sequi tutiorem?

Ex dictis patet, quid sentiendum de Judice, Parocho, Confessario, Advocato, Medico, Ministro Sacramentorum, & de Principe, an debeant sequi dictamen conscientiæ juxta probabiliorem opinionē. Nam qui putant licere sequi minùs probabilem, adhuc suam sententiam limitant quoad istos casus ob particulares rationes, quas assignant; sed nos, qui putamus, quòd generaliter quoties agitur de vitando peccato semper præferenda est probabilior, non egemus hac limitatione; ideò restat videndum de conscientia tuta, & tutiori.

QUÆ-

QUÆSTIO IX.

De conscientia tuta, & tutiori, an semper hæc præferenda sit.

JAm diximus non semel *tutum* in moralibus dici illud, quod distat à peccato, & *tutius*, quod magis distat, & istud est, quod magis adhæret partibus legis, ac præcepti; & quæritur, an in concursu duarum opinionum, quarum una est tutior, & magis favet legi, altera tuta, seu minùs tuta, quæ magis favet libertati, semper eligenda sit tutior, & hoc sive sit probabilior, sive non.

CONCLUSIO.

NOon tenemur sequi semper opinionem tutiorem, nisi sit etiam probabilior, vel æque probabilis.

Prob. 1. ex Scoto [1] citato in præcedenti. Nam ibi docet, sequendam esse probabiliorem, & quando assignat tres regulas, quibus docet viam tutissimam, aut tutissimæ proximam tenendam, si adest possibilitas, non loquitur de possibilitate physica, sed morali, & in casibus dubiis, non autem in iis, in quibus non est dubium de licitate, aut illicitate, sed ratio, vel auctoritas gravis trahit intellectum in illam partem, quæ favet libertati, quæque ideò minùs tuta est; ergo quando non potest teneri via tutior, aut tutissima sine gravi incommodo, ut sæpe contingit, sufficit via tuta cum opinione probabili, aut probabiliori, etiam ex Scoto.

Prob. 2. Quia nulla lex divina, aut humana imponit nobis tantum onus; ergo non semper obligamur ad tutiorem eligendam. Prob. ant. 1. de divina, nullibi enim id constat, sed potiùs de opposito; ut de Machabæis vidimus, qui cùm possent sine periculo peccati, & violationis legis die Sabbathi abstinere à prælio, ut fecerant fratres eorum, & id esset tutius, elegerunt tamen prælium inire: sic nec Josue cessavit à circuitu Jericho in die Sabbathi: sic Christus docuit curationem leprosorum non violare illud, contra opinio-

[1] 4.*d*.3.*q*.2.*R*.*n*.10.

opinionem Judæorum, quæ videbatur favere legi, & tutior erat, & legimus, quòd *jugum Christi*, & legis Euangelicæ *est suave*; & quòd *mandata ejus gravia non sunt*, ut essent, si in omni occasione disputandi de obligatione legis, aut libertate, deberemus semper abstinere ab operibus, quæ lex videtur prohibere, aut facere, quæ videtur præcipere; & si hoc alicubi reperiretur in lege divina scripta, contrarium docentes essent hæretici, quod nemo dixerit. 2. Neque in lege humana, Ecclesiastica, vel civili, quia nullus potest assignari Canon, vel Decretum Conciliare, vel Papale, aut edictum regium, in quo id præcipiatur; ergo obligatio sequendi tutiorem non constat ex lege ulla divina, vel humana.

Confir. ex usu, & praxi Ecclesiæ, quæ in dubiis, & difficultatibus ortis circa sensum legis divinæ, aut Ecclesiasticæ sæpiùs decidit in favorem libertatis, ut patet ex dispensationibus omnibus circa vota, juramenta, matrimonia, &c. in his enim Papa non sequitur tutiorem, sed probabiliorem, & tutam: v. g. cum dispensat in matrimonio rato, non sequitur tutiorem opinionem de indissolubilitate ejus, quæ dicitur de jure divino juxta illud, *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, quod de rato æque, ac de consummato putarunt dici Principes Theologi, & id videtur tutius, quia stat pro lege; Pontifices verò stant pro opinione probabiliori, quòd loquatur de matrimonio consummato, in quo conjuges facti sunt una caro, & sic explicantes legem dispensant, & dissolvunt in matrimonio rato; ergo Ecclesia tunc recedit à tutiori, ex causa tamen, & quidem gravi; ergo sic docet, non semper hærendum tutiori, cessante probabilitate. Sic cùm disputatur circa præceptum divinum hoc, *non occides*, an loquatur in casu justæ defensionis contra aggressorem, tutius esset non occidere, & sic meliùs adimpleretur præceptum, & tamen non damnantur illi, qui cum *moderamine inculpatæ tutelæ* occidunt injustum aggressorem juxta probabiliorem, relicta tutiori.

Idem accidit in aliis præceptis etiam divinis, v. g. *de non jurando*, optimè, & tutiùs illud impleretur, si juxta Divi Jacobi [1] præceptum, *Sit sermo vester*

est,

[1] 22. q. 1.

est, est, non, non; & tamen aliquando juramus, & id permittitur, juxta caput *omne*, & cap. [1] *& si Christus*: sic qui numquam furaretur etiam urgente maxima necessitate, tutius, ac meliùs impleret præceptum, *non furaberis*; & tamen non improbatur furtum in casu necessitatis maximæ,& constat ex cap. [2] *discipulos*: sic in multis casibus toleratur non integritas confessionis, & labor servilis in diebus Dominicis, & festivis ex cap. *licet* Dixi, *nisi tutior sit etiam probabilior, vel æque probabilis*, scilicet opinio, quæ stat pro minus tuta, seu pro libertate debet esse probabilior: nam si utraque pars sit æque probabilis, & à fortiori si tutior sit etiam probabilior, non licet sequi minùs tutam præ tutiori; nam tunc valent omninò tres regulæ Scoti prædictæ; perinde enim se haberet, ac in dubiis, ut probatum est, & patet ex cap. *sicut*: *Illa semper servata consideratione*, inquit Leo Magnus, [3] *ut in iis, quæ vel dubia sunt, vel obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis SS. Patrum inveniatur adversum*; scilicet sequendum dictamen, quod favet legibus divinis, vel humanis; ergo & quod tutius est.

Prob. 2. Ista pars, vel dubium, seu quæstio, seu problema est circa jus, vel circa factum, vel circa intentionem; sed in quacumque materia semper est eligenda tutior: ergo vera est concl. quoad hanc partem, sc. quòd tenenda est tutior, si est probabilior, vel æquè probabilis. Prob. min. per partes, & 1. circa jus id probat Canon citatus ex D. Leone, & cap. ad *audientiam*, & cap. *juvenis*, ubi dicitur, quòd *in iis, quæ dubia sunt, quod certius æstimamus, tenere debemus*, & sic decernit in favorem legis, & quia *in dubiis viam debemus eligere tutiorem*, ideò in favorem legis judicans vult sacerdotem à sacris ministrandis abstinere, de quo dubitabatur an esset causa mortis famuli sui, 2. circa factum, quando illud non est certum, SS. Canones [4] judicant in favorem rei, *Ne innocens gravetur; nam grave satis est, & indecens, ut in re dubia certa detur sententia*, inquit Greg. Magnus [5] c. *grave*, addit-

[1] *De jur. jur.* [2] *De consecr. d. 5.*
[3] *Dist. 14.* [4] *De homicidio.*
[5] *De sponsal.*

additque, [1] quòd in rebus ambiguis *absolutum non potest esse judicium*, ut dicitur cap. *habuisse*; & ratio est, quia in his casibus tutius est stare pro lege charitatis, quæ lex est naturæ; sed si agitur de salute animæ, & sine præjudicio, & sine gravamine alicujus fieri potest, eligenda est pars, quæ favet præcepto: v. g. si dubitetur, an aliquis sit baptizatus, debet judicari quod non, & sic debet baptizari sub conditione, ut patet ex cap. *de quibus*, & cap. *parvulos*, &c.

3. Circa intentionem, qua aliquid factum est, semper tutior pars eligitur juxta legem charitatis, & in bonam partem interpretandum; v. g. Eleemosynæ, orationes, & similia opera pia censenda sunt facta ex bona intentione; imò & si sunt opera indifferentia, nisi adsint vehementia indicia pravi finis, quia qui sic judicant, tutiores sunt, & remotiores à periculo peccandi contra legem charitatis, & justitiæ naturalis.

Prob. 3. ex Divo Bonaventura, quia qui sine gravi incommodo potest tutiorem partem sequi, si non sequatur, videtur contemnere suam salutem: dico, *sine gravi detrimento sui, vel alterius*; quia Deùs, qui suaviter regit nos, cùm jugum ejus sit suave, non exigit, ut procuremus nobis salutem summo semper discrimine; sed si hoc non urgeat, evidenter apparet, eum suam salutem negligere, qui potens vitare periculum eam perdendi per peccatum, non viam tutiorem salutis amplectitur, quando non habetur ratio probabilior in contrarium.

Confir. ex Concilio Viennensi in clementina data pro Franciscanis, ubi Pontifex sic loquitur, *Nos attendentes, quòd in his, quæ salutem animæ respiciunt, ad evitandos graves remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda*, &c. Non urgerent autem remorsus graves, si haberentur rationes efficaciores pro parte minùs tuta, & quando non habentur, sequenda est tutior. Plura de hac materia, & maximè de probabilitatibus tractant ex professo Theologi Casuistæ, & Morales; hæc pro nunc plusquam satis.

DIS.

[1] *1. q. 3. d. 33. c. fin. de raptis.*

DISPUTATIO VI.

De regulis externis morum, & 1. de legibus in genere.



JAM diximus, mores hominum dirigi internè per rectam rationem, quasi per regulam naturalem, ac necessariam; & maximè per dictamina conscientiæ, de qua jam jam differebamus & quæ leges, ac regulas externas nobis ostendit; externè verò per leges, ad quas respiciens intellectus, & ratio nostra, seu conscientia illis conformare debet actus suos, & appetitiones voluntas, ut rectæ sint. Ideò postquam diximus de conscientia, videndum de legibus, & quidem de naturali positiva divina, vel Ecclesiastica; nam de civilibus non est nostri instituti, sed jurisperitorum. De aliis etiam breviter dicemus, quantùm ad institutum nostrum sufficiat.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Lex.

LEx dicitur 1. *a ligando*, quia ideò est, ut liget, seu obliget ad aliquid faciendum, vel omittendum. 2. à *legendo*, quia in legibus leguntur, quæ facienda sunt, vel omittenda. 3. ab *eligendo*; quia in lege vides, & eligis quæ diligas, vel fugias, & communiter scripto tradi solet. Alia sortitur nomina; dicitur enim 1. *Jus*, quia, quod justum est, præcipit, & quod injustum est, vetat, & *Jus* oritur ex lege; est enim id, quod statuitur à lege, *Jus* enim dicitur vel à justitia, quæ suum cuique tribuit, vel a facultate legitima aliquid faciendi, vel omittendi, vel à jubendo, quia importat actum precipiendi. Et *Jus* in hoc sensu idem est cum *lege*, quæ præcipit, & in 1. & 2. est effectus legis, quæ dat legitimam facultatem aliquid faciendi, & dirigit justitiam. 2. *Statutum* propter stabilitatem, ac firmitatem, quam habet, & dicitur de lege principis inferioris. 3. *Con-*

Constitutio, quia ad rectè statuendum prærequiritur multorum consilium, & concursus: differt tamen à lege, quia *constitutio* dicitur de sola lege principis, lex verò etiam de lege populi. 4. *Ius*, quia, ut dicebamus, quod justum est, notat, & præscribit, ac regulat. 5. *Præceptum*, aut *mandatum*, quia præcipit, ac mandat, quæ agenda sunt. Sed non quodlibet *præceptum* est *lex*, sed potiùs dicitur de his, quæ diriguntur ad particulares, etiam pro uno actu, vel tempore. Ad legem aliquo sensu reducitur *decretum*, quo aliquid præcipitur in bonum communitatis, & *Bannum*, quo similiter aliquid prohibetur; & *Edictum*, quo aliquid præcipitur à Magistratu, vel Prætore, aut alia potestate inferiori.

Lex autem largè sumitur pro quacumque regula agendorum. Sic regulæ cujuslibet artis, v. g. Grammaticæ, dicuntur leges grammaticales. Sic cujusque rei propensio naturalis dicitur lex ejus: ut D. Paulus agnoscit *legem membrorum*, & *legem peccati*, & *legem mentis suæ*. Sic regulæ morales dicuntur leges morum. 2. minùs latè sumitur pro quibuscumque regulis humanarum actionum, sive sint justæ, sive injustæ, ut illæ, de quibus loquitur Isaias: [1] *Væ qui condunt leges iniquas*. Sed propriè sumitur lex pro regula recta, qua actiones humanæ diriguntur in bonum suum, & de legibus hoc sensu hìc loquimur, & quærimus an sint, & in quo formaliter consistant? An scilicet in aliquo actu intellectus cognoscentis finem, & viam ad finem, & illam proponentis voluntati per modum imperii, ut volunt aliqui, vel per simplex dictamen, seu directionem, seu ostensionem, & illuminationem, ut diximus de conscientia; An verò in actu voluntatis.

CONCLUSIO I.

DAntur leges propriè dictæ, & quidem necessariæ sunt hominibus. Est communis, imò est de fide legem Mosaicam extitisse, cui succedit Euangelica. Id patet ex innumeris Scripturæ locis, nec quoad existentiam, seu 1. partem indiget probatione.

Prob.

[1] *Isa.* 10.

Prob. quoad. 1. p. ex Scoto [1] quatenus dicit, quòd expediebat post peccatum Adæ dominia distinguere, & ideo partem sibi propriam cuilibet separare iure legis scriptæ ∴ & constat, quòd *post lapsum potuerunt homines habere sapientiam, & prudentiam ad justè, & sapienter condendas leges*: unde si distinctio dominii fuit necessaria, & si ad justam distinctionem hanc necessariæ sunt leges, ergo istæ sunt necessariæ. Et id confirmat, dum exponit leges rectas à Deo datas hominibus inter auxilia, & dona, quibus probat voluntatem salvandi omnes homines, [1] *Vult salvare homines voluntate antecedente, pro quanto dedit eis dona naturalia, & leges rectas*; ergo censet leges divinas esse tales, imò necessarias, velut media ad salutem.

Prob. 2. Quia constat, nullam unquam Rempublicam, vel Regnum rectè gubernari potuisse, & subsistere sine legibus; ergo illæ sunt necessariæ. Prob. ant. experientia, & quia, ut docet S. August. *regna sine justitia non sunt regna, sed latrocinia*; sed justitia non statuitur solidè sine legibus; ergo sine legibus regna non rectè gubernantur.

Prob. 3. Quia sine legibus, quæ sunt regulæ externæ agendorum, per quas illuminantur homines, ac diriguntur, essemus in maxima cæcitate, & quilibet sibi esset lex, indeque orientur confusiones perpetuæ. Præterea leges summè prosunt ad disciplinam, & exercitium virtutis, & ut inferiores subjiciantur superioribus, & ut utrique Deo; in qua subordinatione sita est salus populorum, & regnorum.

Objic. Fideles omnes sunt liberi à servitute legis; ergo vel non dantur, vel non debent dari leges fidelibus. Prob. ant. ex Scriptura, [2] *Nam Christus non redemit de maledicto legis*. Item, [3] *Lex justo non est posita*. Denique legum servitus est pœna peccati; ergo fideles sunt liberi à legibus.

Resp. dist. ant. à servitute legis Mosaicæ, conc. ant. omnis legis, neg. ant. & ita intelligendus est primus locus Apostoli, 2. verò loquitur de lege quantùm ad vim coactivam, non verò directivam, quia justi non coactè, sed sponte, & complacenter faciunt mandata: ideo lex non onerat, sed alleviat eos. Imò

[1] 4. *d*. 15. *q*. 4. *n*. 9. [2] *Gal*. 3. [3] 1. *Tim*. 1.

mò quamvis lex nulla juberet, maximè sub pęnam, vel premium, tamen ex charitate facerent, quę legis sunt, & quæ alii faciunt ex timore pęnæ, vel spe premii.

Objic. 2. Sufficit ipsa charitas absque alia lege; ergo aliæ sunt inutiles. Prob. ant. [1] *Plenitudo legis est dilectio*.

Resp. neg. conf. quia licèt omnes leges tendant ad charitatem, aut veniant ab ipsa, & in ea virtualiter, & implicitè includantur, tamen debuerunt magis explicitè proponi, ut meliùs intelligantur.

CONCLUSIO II.

L*Ex sufficienter describitur regula constans, & vera honestæ operationis indita, vel præscripta agentibus intellectualibus in bonum commune, & obligans ad aliquid faciendum, vel omittendum*.

Prob. 1. Quia sic explicatur sufficienter natura legis in communi secundum genus, & differentiam suam, ut discurrenti per singulas particulas facilè patebit. Dicitur 1. *regula*: quod ponitur loco generis; per id enim convenit cum *synderesi*, & *conscientia*, quæ dirigunt operationes voluntatis, & cum *habitibus artium*, & *scientiarum*, quatenus dirigunt operationes intellectus, & facultatum corporalium secundum certas regulas, quæ hoc sensu dicuntur leges. 2. *constans*, seu *firma*, & *perpetua*; quia duratio, & perpetuitas est de ratione legis, ut dicetur, & per hoc differt à quibusdam *mandatis*, & *statutis*, quæ sunt ad tempus aliquod determinatum ad arbitrium præcipientis. 3. *vera*, seu *recta*; nam de ratione legis est, ut tendat ad bonum, ad quod debet dirigere, & debet provenire à recta ratione, ut sit justa; & per hoc distinguitur à *statutis*, & *legibus iniquis*, quæ non sunt regulæ veræ; quod patet magis per sequentem particulam. 4. *honestæ operationis*; nam operationes ut honestæ sint, & laudabiles, debent per leges dirigi, & illis regulis esse conformes. 5. *indita*, vel *præscripta*; ut comprehendat leges omnes tam *naturales*, quæ sunt inditæ, quàm *positivas*, quæ sunt præscriptæ à Deo, vel hominibus. 6. *in bonum commune*; quia lex debet respicere quietem, & felicitatem com-

[1] *Rom.* 13.

communitatis, non verò solam commoditatem privatorum, ut dicemus. *Finis legis posita ab homine*, inquit Scotus [1] *legem ferente non est ipse legislator*, *aut bonum eius*, *sed bonum commune*; ergo propter illum finem est lex, & observatio ejus .... *& similiter potest dici*, *quòd lex divina est propter bonum commune hominum*; *quibus data est*. 7. & denique *obligans ad aliquid faciendum*, *vel omittendum*; quia, ut diximus, lex dicitur à *legendo*, & sic distinguitur maximè ab *exhortatione*, & *monitione*, & à *consilio*, quæ sunt quidem regulæ rectæ in bonum, sed non obligant; de his conveniunt omnes: de singulis conditionibus prædictis magis patebit infra.

Porro lex 1. dividitur in *æternam*, quæ est secundum August. [2] *ratio divina*, *& voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens*, *& perturbari vetans*: seu *ratio Dei judicantis*, *& volentis talia facienda*, *aut vitanda pro tempore*: & *temporalem*, quæ in tempore statuitur à Deo; vel ab hominibus, & est veluti participatio quædam legis *æternæ*.

2. *Temporalis* dividitur in *naturalem*, quæ naturæ rationali est indita, & congenita, & *positivam*, quæ à Deo, vel ab homine imposita est.

3. *Positiva* subdividitur in *Divinam*, quæ à Deo lata est, & fuit duplex, scilicet *veteris testamenti* per Moysem intimata; & *novi* per Christum Dominum lata, & *humanam*, quæ humana auctoritate immediatè fertur. Hæc rursus dividitur in *Ecclesiasticam*, quæ à potestate Ecclesiastica manat, v. g. à Papa, à Conciliis, &c. & *civilem*, quæ est à potestate civili, ab Imperatore, à Rege, à Principe, à Republica.

Potest etiam generaliter dividi ratione materiæ in *affirmativam*, quæ præcipit bonum, quod faciendum est, & *negativam*, quæ prohibet malum, quod est vitandum; & hæc divino continetur in oraculo illo Psalmistæ, *Declina a malo*, *& fac bonum*. Item ratione finis, in quem dirigit, dividi potest in *naturalem*, quæ dirigit in bonum naturæ conveniens, & viribus ejus consequendum, saltem quatenus adeptio ejus non excedit vires nostras naturales, & *super-*

[1] *4.d.14.q.2.E.n.6.*
[2] *22.con.faust.c.27.*

supernaturalem, quæ dirigit in bonum, seu finem supernaturalem, & supra vires nostras naturales, ut lex Euangelica. De singulis autem his legum generibus dicemus suo loco; sed prius explicandæ sunt legis ut sic natura, & conditiones.

Quæres, *An, & quomodo distinguatur lex à jure, aut jus à lege.*

Resp. Si *jus* dicatur ut derivatum à *justitia*, idem significat, quod *justum, æquum* alteri *debitum*; nam justitia dicitur *jus suum unicuique tribuens*, & hoc sensu sumptum distinguitur à lege, ut scibile, seu objectum à scientia, & regulatum à regula sua: nam *jus* est objectum justitiæ, cujus regula est lex; uno verbo lex est regula justi. 2. si dicatur à *jubendo*, seu *jussu*, tunc idem est cum lege: sed de hoc latiùs infra.

QUÆSTIO II.

An lex sit opus intellectus, an voluntatis.

LEx considerari potest 1. secundum se, & sic illa est regula, quam mox descripsimus, quæ scilicet dirigit, & obligat agens intellectuale in suis operationibus. 2. prout est in legislatore, à quo habet esse, & vim obligandi, & 3. prout est in subdito, quem dirigit, & illuminat, & obligat ad aliquid faciendum, vel evitandum, aut circa modum agendi: primo sensu certum est, legem esse potiùs objectum intellectus, & voluntatis, quàm actum; est enim ea regula, quæ à legislatore posita est, & ad quam respiciens subditus illi conformat actus suos: in 2. est actus ille, quo princeps judicat aliquid conducere ad bonum reipublicæ; & ideo vult illud observari: denique in 3. est actus judicii practici, quo subditus agnoscit, & judicat talem regulam hic, & nunc esse sibi observandam; seu quo aspiciens ad illam regulam judicat sibi talem actum esse hic, & nunc faciendum, vel omittendum, & actus voluntatis, quo liberè vult obedire, vel non: difficultas autem non est de lege in 1. nec in 3. sensu, sed in 2. quatenus scilicet est in legislatore.

Porrò in legislatore interveniunt plures actus; ut

ut 1. cognitio boni communis, & intentio illud procurandi suis subditis. 2. cognitio mediorum congruentiam ad illud bonum procurandum; & judicium practicum de illis hic, & nunc amplectendis, aut statuendis. 3. voluntas conformis tali judicio, qua vult, ut quæ bona, & utilia judicavit, fiant, &, quæ judicavit mala, vitentur. 4. actus ejusdem voluntatis, quo vult, & imperat hæc subditis cum intentione obligandi eos ad imperata exequenda, & de his conveniunt omnes; sed quæritur, an lex præcisè consistat in illo actu judicii cum isto actu voluntatis.

CONCLUSIO.

L*Ex positiva in legislatore principaliter, & formaliter consistit in actu voluntatis, quo vult subditos obligare*. Ita Scotistæ, & alii contra Thomistas.

Prob. 1. ex Scoto, [1] dicente, quòd *leges aliquæ generales rectè dictantes de operabilibus præfixæ sunt à voluntate divina, & non quidem ab intellectu divino*; ergo idem est de omni lege positiva tam humana quàm divina; nam eadem est ratio de utrisque, & maximè quia, ut notat idem Doctor, *omnes aliæ pendent à divina*.

Prob. 2. ex Scriptura, in qua nomen legis reciprocatur cum volitione, seu voluntate actuali, vel habituali, ut cùm dicitur, *In capite libri scriptum est, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam posui in medio cordis mei*: nam August. & alii Patres docent, per voluntatem intelligi legem, [3] *In lege domini fuit voluntas ejus*. Eodem sensu dicitur, *Notas fecit vias suas Moysi, & filiis Israel voluntates suas*, id est leges: & alibi, *Det vobis Deus cor omnibus, ut faciatis voluntatem ejus*. Et, [4] *Qui facit voluntatem patris mei, ille meus frater*. Vides semper legem divinam exprimi per nomen voluntatis, quia lex vim obligandi habet à voluntate Dei legislatoris.

Confir. hoc ex legibus civilibus, quæ dicuntur *placita principum*: *Quod principi placuit, legis habet* vigo-

[1] 1. *d*.44. [2] 4.*d*.15.*q*.3.
[3] *Ps*. 39. [4] *Matth*.7.

vigorem. sic ex August. *arbitraria principum pro legibus erant:* & ex Cicerone [1] lex dicitur *ab Electione*, quæ est actus voluntatis.

Dices, hinc colligi quidem, quòd voluntatis actus requiritur, & connotatur in lege, sed non impedit, quin principaliter pendeat ab intellectu.

Contra 1. Quia quæ connotativè, aut præsuppositivè tantum pertinent ad aliquid, non solent exprimi absolutè, & tanquam principale; sed in his textibus voluntatis actus significatur absolutè, & principaliter; nam lex ibi dicitur absolutè *voluntas*, *placitum*, *consensus*, aut *electio*; ergo actus voluntatis est principalis causa, & ratio legis. 2. quia actus intellectus, & prudentiæ potiùs præsupponitur actui voluntatis; nec enim princeps juberet aliquid fieri, aut vitari, nisi ex sua prudentia judicaret id ita expediens bono reipublicæ, & populi; nec enim illud agnoscit esse bonum, quia jubet fieri, sed è contra ideo jubet, quia cognovit illud esse bonum; ergo jussio, seu volitio est potiùs complementum constitutivum legis, quàm dispositio ad illam: sic mandatorum observantia non est necessaria ad salutem, quia Deus videt hanc necessitatem, sed quia id ita voluit, cùm præcepit per imperium voluntatis suæ, *Si vis ad vitam ingredi serva mandata; unde autem illud est necessarium?* inquit Scotus, [2] *dico, quod à voluntate divina præcipiente illud observari, non ab alio syllogismo practico*.

Prob. 2. Ad eam facultatem spectat condere leges, ad quam spectat ordinare in finem; sed istud spectat ad voluntatem; ergo & illud. Maj. patet, quia lex dirigit hominem in bonum suum, & felicitatem, Prob. min. finis ut comparandus est objectum voluntatis; ergo quæ ordinant ad finem, spectant ad voluntatem.

Confir. Nam, ut dicebamus ex Scoto, medium non ideo præcisè est necessarium ad finem, quia Deus videt, sed quia vult; quia voluntas ejus est prima, & indefectibilis regula nostrarum operationum. Et certè si omnia media ad beatitudinem sumerent suam necessitatem, & vim obligativam ex Dei scientia, obligaremur ex præcepto, & ex necessitate salutis ad omnia; ergo si ad hæc potiùs obligamur, quàm

[1] *L. 1. ff. de constit.* [2] *2. d. 37. d. n. 8.*

quàm ad alia, v. g. ad præcepta Decalogi, & Euangelii potiùs, quàm ad præcepta legis veteris, id venit præcisè, & principaliter à Dei voluntate.

Prob. 3. In eo principaliter consistit ratio legis ex parte legislatoris, quo posito ponitur lex ut ligans, seu obligans, & quo sublato, non est lex obligans; sed posita jussione voluntatis ponitur, & ea sola sublata tollitur lex obligans; ergo ut talis pendet ab actu voluntatis. Prob. min. quia non ideo teneor feriari in die dominico, vel audire Missam, quia hæc de se bona sunt, & Deus id ita videt, sed quia id ita jubet; sed jussio physica pertinet ad voluntatem, ut suppono ex tract. de anima; quippe in regno hominis sola voluntas dicit, *sic volo*, *sic jubeo*, & sublata hac jussione, non teneremur nec feriari, nec audire Missam in festis, nec jejunare in quadragesima; ergo, &c.

Prob. 4. Quia lex ex parte legislatoris est libera; ergo non est actus intellectus, qui non est liber: prob. ant. Nam in Deo nulla lex positiva est necessaria, sed omnes sunt contingentes; non enim agit ad extra, nisi contingenter.

Objic. 1. Lex est imperium formaliter; sed imperium pertinet ad intellectum; ergo & lex. Prob. min. ex Scriptura; [1] *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*. Et, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*: unde proprium, & finis legis est dirigere, illuminare, docere, regulare, ordinare, &c. sed hæc pertinent ad intellectum; ergo & legislatio.

Resp. dist. min. imperium morale, directio, regulatio per modum consilii, & ostensionis simplicis, conc. min. per modum legis, & præcepti, neg. min. cognitio intellectus imperat, dirigit, regulat, ordinat, ut consiliarius regis, dictando, dicendo, ostendendo, proponendo, quod videtur bonum, & malum, & consulendo, quod utile videtur, sed non præcipiendo; quod spectat ad voluntatem, & ad Regem, quatenus ille solus potest dicere *volo*, *jubeo*, *statuo*, &c.

Inst. Imperium formaliter consistit in intimatione voluntatis superioris; sed illa intimatio est actus intellectus; ergo & imperium; ergo & lex. Prob. maj. nam

[1] Ps. 118.

nam in legislatione hæc interveniunt in legislatore. 1. *judicium* intellectus de utilitate rei agendæ 2. *electio* voluntatis circa rem agendam. 3. *imperium* sequens judicium, & electionem, quo intimantur illi duo præcedentes actus; sed in hoc 3. consistit formaliter lex, seu imperium; ergo est formaliter intimatio voluntatis regiæ.

Resp. 1. neg. maj. aliud enim est lex, & imperium propriè sumptum, aliud promulgatio legis, & præcepti. 2. neg. min. nam intimatio, seu promulgatio non est actus intellectus, nequidem in legislatore, & gratis omninò fingitur ille 3. actus; ex duobus enim primis existit lex.

Inst. 2. De ratione legis est obligare subditos, ita ut teneantur ei obedire; sed non tenentur obedire sine intimatione; quia sine illa non cognoscunt obligationem suam, nec voluntatem principis; ergo intimatio est de ratione legis.

Resp. dist. min. ita ut intimatio, & cognitio legis sit conditio, sine qua lex non obligat subditum, conc. min. ita ut sit de ratione formali constitutiva legis, neg. min. hæc enim petitur, & consistit in volitione superioris, qua sic statuit, & imperat, ut sibi obediatur; & ut de facto id fiat, quod jubet, vult jussionem intimari subdito.

Inst. 3. Quando Deus intimavit Abraham, & præcepit sibi immolari Isaac, non fecit hoc per volitionem obligandi Patriarcham, imò nolebat immolationem; ergo præceptum, seu lex non est actus voluntatis.

Resp. neg. ant. & ad rationem ejus dico, Deum præcepisse, & voluisse non immolationem in effectu, sed in affectu Abrahæ.

Objic. 3. Lex hæc duo importat, obligationem, & directionem; ergo tam consistit in actu intellectus, quàm voluntatis: patet ant. quia est regula humanæ operationis: prob. cons. vim directivam habet lex ab intellectu, cujus est illuminare, & regulare per dictamen; & obligativam à voluntate, cujus est imperare, & movere; ergo utrumque actum includit; nec enim unum sine alio facit legem integram.

Resp. neg. utramque cons. nam directivitas physica in lege per modum imperii, & obligationis venit ab

imperio voluntatis, ficut directivitas moralis in consilio venit à prudentia consiliarii.

Inst ex Scoto, [1] *Lex positiva iustè requirit in legislatore prudentiam, & auctoritatem; prudentiam, ut secundum rectam rationem practicam dictet, quid faciendum à communitate; auctoritatem, quia lex dicitur à ligando;* sed prudentia est in intellectu, & auctoritas ligandi est in voluntate; ergo in utroque simul consistit ratio legis.

Resp. dist. maj. requirit prudentiam, velut præsuppositum, & dispositionem ad ferendam legem justam, conc. maj. velut actum legislativum, neg. maj. & conf. nam ex ipso textu patet, quòd lex solam vim obligativam importat, quæ est ab auctoritate, & voluntate jubentis.

Dixi autem 1. *lex positiva;* nam lex naturalis cùm non consistat in actu ullo, sed sit insita, & inscripta in rebus ipsis ex parte legis objectivæ nihil est aliud, quàm ipsa bonitas, seu honestas, vel inhonestas rerum factibilium, & fugibilium, ad quas sequitur obligatio illas prosequendi, vel fugiendi.

Dixi 2. *in legislatore;* nam in subdito certum est legem esse objectivè in intellectu, & dictamen intellectus, quo juxta legem judicat hic, & nunc esse jejunandum, audiendam missam, cessandum ab operibus servilibus, amandum Deum, vitandam blasphemiam, &c. uno verbo, lex in subdito est cognitio legis à superiore latæ; & ut talis proximam vim habet obligandi, & quidem per modum objecti cogniti; sicut idea, & exemplar, ad quod respiciens artifex fecit opus.

Igitur lex formaliter in legislatore est ea voluntatis determinatio, qua vult subditum obligari ad aliquid faciendum, vel vitandum: v. g. lex divina in Deo est volitio efficax, non præcisè qua vult rem aliquam fieri, v. g. me amare proximum; hic enim semper id fieret, quia volitio Dei efficax non frustratur; sed qua vult me obligari ad ipsum super omnia diligendum, & proximum sicut me ipsum: & ita est de lege humana.

QUÆ-

[1] 4. *d.* 14. *q.* *D.* *n.* 4.

QUÆSTIO III.

De conditionibus requisitis ad legem.

INter conditiones legis, ut valida sit, & obliget, multa requiruntur; v. gr. *quid* præcipiatur, aut prohibeatur; 2. *cur* præcipiatur, 3. *à quo* præcipiatur 4. *cui* præcipiatur. 5. *quando*, seu *quandiu*, & 6. *quomodo*, nam attenditur 1. ad materiam ut ad finem, 2. ad auctorem, seu legislatorem, 3. ad subditum, 4. ad formam, ac modum, quo feratur, ut liget, & 5. quandiù liget: & quæritur 1. an sit de necessitate legis, ut sit justa. 2. An debeat esse ob commune bonum. 3. An à quolibet ferri possit. 4. An cuilibet possit imponi, v.g. alicui particulari. 5. An ad tempus, vel in perpetuum. 6. An debeat promulgari. 7. An à subditis acceptari. Quæ omnia breviter hìc expedientur.

Porrò supponimus 1. legem ad aliquos dirigendam. *Scimus*, inquit Apostolus, *quoniam quæcumque lex loquitur, iis, qui in lege sunt, loquitur:* & quidem patet ex definitione allata, quòd respicit creaturam rationalem, & maximè homines, ut terminum suum naturalem, licèt Angeli non sint incapaces legum.

2. *Communitas* est vel *ex natura*, ut omnes, qui in natura aliqua participant, & in essentiæ communitate conveniunt, ut omnes homines, seu totum genus humanum; vel ex *instituto*; scilicet ex institutione politica, aut mystica, & voluntaria congregantur in aliquo cœtu, ut in civitate, vel regno, aut provincia, ut communitates politicæ, ac sæculares; vel in aliqua religione, ut communitates Ecclesiasticæ; 1. communitas est à natura, 2. est ab hominibus, vel à Deo, jure scilicet humano, vel divino, civili, aut Ecclesiastico.

Rursus *perfecta communitas* est, quæ sibi ipsa sufficit, & in qua est jurisdictio ad politicam gubernationem, ut Respublica: *imperfecta* verò, quæ non habet eam jurisdictionem, ut familia domestica.

3. Lex dicitur justa 1. vel *ex objecto*, quod de se honestum est positivè, aut saltem negativè, scilicet non malum; & illud fit bonum ex præscripto le-

legis, quæ ordinat illud in bonum finem: vel 2. *ex legislatore*; si fert illam ex bona intentione: vel 3. *ex forma*, seu modo, quo fertur; scilicet si fertur ob commune bonum; ex legitima auctoritate, & secundum æqualitatem proportionis, non gravans aliquos, ut alios levet, 4. *Perpetuitas*, de qua hic agitur, non est à parte ante; hæc enim soli legi æternæ divinæ convenit, sed à parte post, & in futurum; & hæc est vel *positiva*, quæ ex terminis expressis æquè, ac ex natura rei debet perseverare; vel *negativa*, seu indifferens, quando lex indefinitè fertur nullo termino durationis præfixo; & queritur, quænam istarum spectet ad legis naturam.

5. *Potestas* alia est *jurisdictionis*, & *publica*; alia *privata*, seu *politica*, & *domestica*, seu *paterna*; illa in Rempublicam extenditur, in regnum, in principatum, & civitatem; ista in familiam, uxorem, filios, servos, & domesticos.

CONCLUSIO I.

D*E ratione veræ legis est, ut respiciat bonum commune, & quòd sit justa.*

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente, quòd aliquid est ordinatum, & fit ordinariè 1. *ordine universali, quod pertinet ad legem communem; sicut ordinatum est secundum legem communem, omnem finaliter peccatorem esse damnandum, ut si rex statuat, quòd omnis homicida moriatur,* 2. *modo ordine particulari circa hoc judicium, ad quod non pertinet lex: quia lex est de universalibus casibus, de casu autem particulari non est lex, sed judicium, ad quod non pertinet lex, sed judicium secundum legem,* &c. Et hoc probat 1. partem. Pro utraque autem facit, quod jam adduximus. [2] *Lex positiva justè requirit prudentiam in legislatore, ut secundum rectam rationem practicam dictet, quid faciendum pro communitate,* &c. *quomodo autem prudentia poterit haberi ad cogitandum leges justas satis patet; quomodo autem auctoritas justa habetur, quæ cum hoc requiritur ad legem justam,* &c. ergo lex non solùm debet esse justa, sed etiam pro communitate, non autem pro particulari.

Prob. 2. ex Patribus; [2] *Lex erit omne, quod ratione con-*

[1] 4.*d*.44.*D*.*n*.4. [2] *d*.15.*q*.2.*D*.*n*.6.

constiterit, quod religioni congruat, quod disciplinæ conveniat, quod saluti proficiat: (Hæc probant legem debere esse justam) *quod nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta*. S. Isidorus: *Quod iure fit, iuste fit*. Et August. [2] *non enim jura putanda sunt, vel dicenda iniqua*. Et in jure civiili dicitur, [3] quòd *lex est commune præceptum*: & quòd *jura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur*: unde definitur lex *commune præceptum, virorum prudentium consultum, delictorum, quæ sponte, vel ignorantia contrahuntur, correctio; communis reipublicæ sponsio*. Et jure Canonico [4] habemus, quod *ideò lex proditur, ut appetitus noxius sub iuris regula limitetur, per quàm genus humanum ut juste vivat informetur*. Habes justitiam, & communitatem.

Prob.3.quoad 1. p. 1. ex Scriptura; *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos*, 2. quia de facto nulla habetur lex, quæ non respiciat bonum communitatis. Nam lex *æterna* respicit omnes creaturas capaces legis. *Natura is*, quæ est participatio ejus, omnes ligat; & tendit in bonum universi. *Positiva divina* respicit omnes homines, ut ad salutem dirigendos. *Politica* denique, seu *humana* respicit tranquillitatem, & incolumitatem statuum, regnorum, civitatum; & ad hoc sunt Principes, Reges, Præsidentes, & Prælati, ut scilicet invigilent communi bono: nam ex Arist. differunt in hoc Tyranni à veris regibus, & principibus, quòd illi propriis commodis student, etiam cum detrimento populorum, isti verò populorum lucris; & sicut omnis potestas est à Deo, & hominibus, ut communi bono provideat, ita primarius finis omnis legis, quæ est principalis actus talis potestatis, est commune bonum. Dico, *primarius*, nam ipse Princeps potest etiam sibi, & particularibus prospicere; sed quæ singulares personas respiciunt, dicuntur *præcepta*, & expirant morte præcipientis; sed quæ communitatem concernunt, dicuntur *leges*, & sunt perpetuæ; quod non potest dici de his, quæ statuuntur pro singularibus, qui cùm moriantur, & contingenter existant, non possunt reddere leges perpetuas; ergo lex respicere debet commune bonum.

[1] *Isidor.5.Etymol.c.2.* [2] 19.*de civ.*21.
[3] *L.de leg.& L.jura ff. de leg.* [4] *Proœm.decretal.*

Prob. 2. p. de justitia primò ex definitione communi legis, qua dicitur *ordinatio rationis*; quod enim rationabile est, non potest esse iniquum. 2. quia lex omnis positiva est aut divina, aut humana; sed neutra potest esse injusta; ergo omnis lex debet esse justa. Prob. min. 1. patet de divina. 2. humana ut sit vera lex debet derivari, & conformari divinæ, & increatæ. *Per me reges regnant*, (inquit Divina Sapientia) *per me principes imperant, & legum conditores justa decernunt*: quæ autem sit lex justa ipse August. determinat breviter; *Nulla, nisi quæ vel descendit à lege divina* (sicut conclusiones practicæ à principiis practicis) *vel quæ concordat legi divinæ, aut ad minus quæ non discordat*, ergo nec ista potest esse injusta, aut lex non erit, sed prævaricatio, & iniquitas; nec bonum commune respiciet; sed destructionem communitatis, & Reipublicæ. 3. patet etiam ex priori parte: nam non tenderet in bonum commune, nisi esset justa, & de re honesta; quandoquidem ordinatur ad dirigendas creaturas rationales, quæ ut tales non habent pro fine, nisi honestum, seu bonum rationi consentaneum.

Objic. v. Lex divina circa beatificationem hominis est vera lex, & tamen est singularis, & singulariter imponitur: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*: sic lex naturalis singulares personas obligat ad tuendam vitam suam, & hæc èst bonum singulare: sic lex de danda eleemosyna, & de correptione fraterna habet pro objecto bonum privatum pauperum; & peccantium; ergo de ratione legis non est, ut sit propter bonum commune.

Resp. conc. maj. & dist. min. non respiciunt communitatem, sed personas singulas immediatè, & in modo loquendi, conc. min. mediatè, ultimatè, & in substantia, neg. min. & conf. Nam licèt Deus, & alii legislatores videantur loqui uni personæ, de facto loquuntur omnibus in uno singulari vago, & indeterminato; alioqui nec Decalogus esset lex; quia in singulari loquitur, *diliges*, &c. *non habebis Deos alienos*, &c. 2. Tuitio propriæ vitæ, sublevatio pauperis per eleemosynam, correptio privata singulorum peccantium ultimatè respicit bonum communitatis humanæ in

[1] 1.*d*.2.*q*.4.& 1.*d*.15.*q*.3. *G*.*n*.8. *Prov*.8.

in singulis suis membris; & ejus interest valde, ut conserventur, & non interficiantur propria auctoritate; ut singuli abstineant ab homicidiis; ut charitas mutua vigeat; pax foveatur; peccatores corrigantur charitativè à privatis, & juridicè ab Ecclesia.

Objic. 2. Privilegia sunt leges; ergo non est necesse, ut leges sint ob commune bonum.

Resp. neg. ant. Propriè loquendo sunt potiùs exceptiones à lege. Dicuntur tamen leges privatæ.

Inst. Quando Deus per Samuelem explicat jura Regum, multa eis tribuit, quæ cedunt in eorum proprium commodum, & potius in commune detrimentum, ut est tributorum impositio; ergo leges Regum non semper sunt de bono communi.

Resp. neg. conf. Nam Samuel hæc dicebat, non quòd tale sit verum, ac legitimum jus regum, sed potiùs injuria, quæ solet irrogari à malis regibus, & hoc ut deterreat eos à petitione regis. Quoad vectigalia verò, & alia onera, quæ imponunt populis, sunt in se justa, & in bonum publicum; nam ut loquitur Conc. Lat. sub Julio II. Orator insignis, [1] *si nulla sunt opes principis, civitatem tutari non potest*, &c.

Objic. 1. contra 2. p. Si Rex ferret legem ex se bonam, & in ejus intentione ferretur ex odio, & in perniciem alicujus privati, non minùs esset lex; sed tunc esset injusta; ergo injustitia non aufert rationem legis.

Respondent Jurisdoctores, neg. maj. quia mandatum esset abusus, non usus justus potestatis regis.

Resp. 2. dist. min. esset injusta per accidens, & extrinsecè, conc. min. per se, & in ratione legis, neg. minor. non enim minùs inde promoveretur bonum commune, nec requiritur sanctitas personalis in legislatore, multi nequissimi Principes, & Prælati sanctissimas leges tulerunt. [2] *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi*; (nequissimi sc. Hypocritæ) *omnia quæcumque dixerint facite, secundum opera eorum nolite facere*.

Inst. Leges plurimæ permittunt mala; ergo non sunt justæ.

Resp. neg. conf. cùm enim permittunt aliqua mala, id faciunt ex fine boni Reipublicæ, cui ex nimia cautela, & rigore impenderet aliqua pernicies.

[1] *Christoph. marcel.* [2] *Matth. 23.*

CONCLUSIO II.

L*EX positiva debet ferri à publica potestate, & quidem suprema.*

Prob. 1. p. ex Scoto [1] cit, quia *lex dicitur à ligando; sed non quæcumque sententia prudentis ligat communitatem, nec aliquem, si nulli præsideat*; ergo lex debet esse ab habente legitimam, & supremam auctoritatem, qualis est in rege super omnem populum Regni, & in patre super filios: Illa est ex jure politico, ista ex naturaliter divino. Id enim præcipiunt leges Moysis, & Christi, imò & civiles. Igitur potestas legislativa spectat ad communitatem, vel ad eos, in quos communitas consensit, & quibus contulit hanc potestatem.

Prob. 2. p. quia de ratione legis est, ut obliget ad sui observantiam, & quidem omnes; sed non obligaret, nisi esset ab habente supremam potestatem, & jurisdictionem; ergo &c. patet maj. quia ex dictis lex in hoc differt à Consilio, quod istud non obligat per se, bene verò illa: prob. min. quia debet obligare totam communitatem; sed non obligaret totam, nisi legislator haberet supremam potestatem, scilicet in totam communitatem: non enim obligaret superiores, nec æquales; quia par in parem non habet imperium; ideò legis periti dicunt, quòd *tantum habet quisque de auctoritate condendi leges, quantum habet de jurisdictione*. Nemo autem potest obligare non subditos.

Objic. 1. ex Scriptura, [2] *Gentes, quæ legem non habent*, scilicet à Deo, vel ab homine, *ipsi sunt sibi lex*; ergo lex non exigit esse à potestate publica.

Resp. dist. ant. Sunt sibi lex naturalis, & impropriè, conc. ant. lex positiva, & propriè, neg. ant. & cons. quia hic loquimur de lege positiva, & in rigore. Præterea ipsa natura, & Deus est auctor legis naturæ; & sic neque lex naturæ est sine publica potestate, & suprema.

Objic. 2. Lex nihil aliud est, quàm regula dirigens in bonum commune; sed ad hanc non requiritur alius legislator, quàm singulorum ratio, qua id cognoscitur; ergo ad legem non requiritur alia potestas.

Resp.

[1] 3. *d*. 15. *q*. 2. *D*. *n*. 6. [2] *Rom*. 2.

Resp. dist. maj. regula positiva, aut naturalis, seu innata, & indita, vel lata, conc. maj. & neg. min. sola naturalis, & indita, neg. maj. & conf. nam lex positiva pendet ab auctoritate publica, naturalis verò, & innata est ab objectis, & natura eorum, prout cognita ab intellectu; & de hac lege non loquimur.

CONCLUSIO III.

Promulgatio est necessaria, non ut sit lex, sed ut obliget, non autem acceptatio, saltem per se, & ex natura legis.

Prob. 1. p. 1. ex Scoto [1] dicente, legem baptismi non obligasse præcisè à die institutionis, sed post sufficientem promulgationem, juxta illud Christi, *Si non venissem, & loquutus eis non fuissem, peccatum non haberent*: ex quo dicto, inquit, *accipio istam propositionem, quod nullus tenetur ad aliquod præceptum divinum, nisi per aliquem idoneum, & authenticum sibi promulgetur, vel fama veridica, & testimonio bonorum, cui debet quilibet credere rationabiliter; & hoc intelligo de lege positiva, quæ non est nota interiùs in corde*, &c. & ob eandem rationem paulo inferiùs ait, *legem Evangelicam non obligasse homines omnes, & ubique eodem tempore, & nisi post publicam, & solemnem prædicationem.*

Prob. 2. ratione ejusdem, quia lex non obligat, nisi ut cognita; sed non est sufficienter cognita sine promulgatione; ergo sine illa non obligat: min. supponitur ut certa; nemo enim tenetur, vel potest scire, quid sit in mente Dei, vel Regis, nisi ipse revelet: unde Christus ipse dicebat: *Si non venissem, & loquutus fuissem, peccatum non haberent*; ignorantia autem, seu nescientia invincibilis excusat à peccato, ut diximus.

Confir. ex Scriptura: nam Christus non fuit contentus legem suam condere, & promulgare in Judæa, & Palæstina, ubi ipse prædicavit; sed misit suos Apostolos per mundum universum eam promulgaturos. [2] *Prædicate Evangelium omni creaturæ*. Et, [3] *Euntes in mundum universum docete omnes gentes*

S 6 ser-

[1] 4.d.3.q.4.C.n.4. [2] *Mar.*16. [3] *Matth.* 18.

servare omnia, quæcumque mandavi vobis: & de facto, ut prædixerat Propheta Regius, [1] *in omnem terram exivit sonus eorum*.

Dixi autem, esse de ratione legis, *quòd promulgetur, & obliget, non ut sit lex*; non est enim de ratione intrinseca ejus, sed velut conditio, sine qua non obligaret; tum quia promulgatio consistit in manifestatione externa in scriptis, aut voce, lex verò essentialiter est actus intellectus, & prudentiæ, ut volunt Thomistæ; aut voluntatis, ut diximus, vel utriusque, ut docent alii, quæ autem sunt in voce, aut scripto, non sunt nisi *signa externa eorum, quæ sunt in mente*, ait Arist. 2. quia lex est ab habente jurisdictionem, & dominium supremum; promulgatio verò est à ministris, in quibus nulla est intrinseca potestas; ergo promulgatio est quid valde distinctum ab institutione legis, quæ est actus legislatoris imperantis aliquid faciendum, aut vitandum; actus, inquam, primus, & inducit obligationem in actu primo respectu promulgationis, quæ est actus secundus, & inducit obligationem in actu 2.

Prob. 3. p. 1. Quia Scriptura, SS. Canones, & Patres, & Doctores, quando loquuntur de conditionibus legis, non loquuntur de acceptatione, & consensu subditorum, ergo non putant, illam requiri ad hoc ut lex obliget, neque ut sit.

Prob. 2. Quia licèt id fortè posset aliquando, & in aliquibus principibus requiri, quia potestatem legislativam, & dominativam habent à populorum consensu, & electione cum certis limitationibus, inter quas ista potest esse, hoc valebit tantum quoad illos, sed non universaliter erit de ratione legis, non solum ut sit lex, sed neque ut obliget, quod maximè verum est de lege naturali, & divina, quasi verò lex Euangelii promulgata non obliget nationes, quæ illam non acceptarunt: itèm de legibus Ecclesiæ, quæ potestatem legislativam, & absolutam habet à Deo, non ab hominibus, sicut nec forte plurimi principes temporales.

Prob. 3. Quia cùm leges ferantur contra vitia, & in bonum commune, & sint ex se justæ, obligant, & quidem statim, atque sunt emanatæ, & sufficienter pro-

[1] Ps. 18. 5.

promulgatæ; alioqui rarissimè tenerent, quandoquidem populi ex naturæ, & morum corruptela, & amore libertatis propendet potiùs in vitia, quàm in virtutes, & singuli propria commoda præferunt saluti communitatis.

Probat. 4. ex censura Universitatis Parisiensis anni 1521. contra hanc propositionem Lutheri; *Neque Papa, neque Episcopus, neque ullus hominum habet jus unius syllabæ super Christianum hominem, nisi id fiat ejusdem consensu, & quidquid aliter fit, tyrannicè fit;* ita loquitur Lutherus: audi Doctores Parisienses; *Hæc propositio à debita subditorum erga Prælatos, & superiores subjectione, & obedientia est retractiva, legum positivarum seditiosè destructiva, ac in fide, & moribus erronea, & est error damnatus. Valdensium cum errore Arrianorum conveniens.* Ivo Carnotensis [1] sic de legibus sedis Apostolicæ docet: *Hujus judicis, constitutionibus obviare planè est hæreticæ pravitatis notam incurrere.*

Prob. 5. Quia si acceptatio, & consensus populi necessarius esset, lex non haberet vim obligandi ex se, nec à legislatore, sed magis à subditis; sed consequens est absurdum; ergo & ant. prob. ant. non voluntas, nec jussio principis daret legi vim; quandoquidem hanc non haberet lex ante acceptationem; ergo potiùs eam haberet ab acceptatione, quàm à jussione; & sic subditi non essent verè subditi, quia possent contra voluntatem Principis, & Prælati agere, & illam respuere.

Prob. denique de lege canonica ex Scriptura, qua constat. Christum absolutam potestatem dedisse Petro, & successoribus ejus, & quasi suæ vicariam: dicit enim, [2] *Quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in Cœlis:* Et Ecclesiæ in Apostolis dicit, [3] *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Certè quis negaret, Apostolos posse fideles etiam invitos obligare ad suas leges servandas? Nonne blasphemus censeretur, quasi diceret id Christum non potuisse, aut Ecclesiæ, vel Petro, vel Apostolis suam auctoritatem non contulisse, dum sic loquebatur?

Con-

[1] *Ep.*8. [2] *Matth.* 16.
[3] *Luc.*10.

Confir. hoc ex forma ipsa, sub qua solent ferri tales leges, dum fulminant graves censuras contra inobedientes, etiam si sint integræ communitates; nec unquam subjiciunt eas subditorum examini, aut acceptationi, vel consensui, & sæpiùs pœnas illas incurri volunt *ipso facto*, & absque alio judicio, vel sententia.

Dixi, *ex natura legis*, quæ est à superiore supremo, & habente potestatem in totam communitatem, & quidem absolutam; nam accidere quidem potest, ut in legibus humanis populi sibi reservent libertatē examinandi leges latas à suis moderatoribus, & principibus; sed id non accidit in statibus perfectè monarchicis, aut in Ecclesia, ubi Prælati habent potestatem à Deo.

Objic. 1. contra 1. p. Lex naturalis, & æterna sunt propriè leges; sed neutra fuit promulgata, & tamen utraque obligat ab initio mundi; ergo promulgatio non est necessaria legi, nequidem ut obliget. Prob. min. quia non potest dici quando, neque quomodo, neque à quo fuerint leges promulgatæ.

Resp. 1. nos loqui de legibus positivis, quales illæ non sunt saltem propriè.

Resp. 2. neg. min. nam lex naturalis fuit promulgata ab ipso Deo, & singulis intimatur in ipsa creatione animæ, in qua legem illam inscribit, juxta illud, [1] *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*; & æterna promulgata fuit ab æterno in verbo ipso Dei æterno, in quo *semel loquutus Deus est omnia*; qui est apud ipsum in principio, seu in æternitate, & in libro vitæ, qualiscumque sit, de quo dicitur, [2] *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei*: prior tamen responsio facilior est; nam, ut dicebamus ex Scoto, [3] *nemo tenetur ad aliquod præceptum divinum, nisi per aliquem idoneum, & authenticum sibi promulgetur, vel fama veridica, vel testimonio bonorum*, & hoc intellige de lege positiva, quę non est nota interiùs in corde, per quæ ultima verba indicat alias leges intimari interiùs in corde hominum. Item æterna nobis promulgatur per temporales divinas, & humanas, quę ab illa manant, & pendent, ut diximus ex Scoto.

Objic.

[1] *Ps. 4.* [2] *Ps. 39.* [3] *4. d. 3. cit.*

Objic. 2. Publicatio dicitur necessaria, ne ignoretur à subditis, & ut cognita obliget illos; sed hæc ratio non valet; ergo promulgatio non est necessaria legi. Prob. min. nam tenemur ad multa, quæ ignoramus, v. g. ad legem naturæ, ad baptismum; possessor bonæ fidei ad huc tenetur restituere, quamdiu retinet alienum; & contractus invalidi irritantur, quamvis defectus esset ignotus, dum contrahebatur, ut in matrimonio, in quo detegitur impedimentum dirimens; ergo, &c.

Resp. neg. min. & dist: ant. probationis: multa obligant, quæ ignorantur defectu publicationis, & notitiæ privatæ, & actualis con. ant. defectu publicationis, & notitiæ communis, neg. ant. & conf. leges illæ omnes sunt notæ communitati, licèt per accidens desit notitia privata, & actualis; imò si ignorantia sit invincibilis, excusantur homines à culpa, & quamdiù viget talis ignorantia, obligatio dormit.

Objic. contra limitationem illam, *ut obliget*: nam promulgatio necessaria est, ut sit lex; ergo non tantum *ut obliget*. Prob. ant. lex importat essentialiter imperium superioris factum subdito, quo movetur ad obediendum; sed tale imperium includit essentialiter intimationem, seu promulgationem; ergo lex essentialiter importat promulgationem.

Resp. dist. maj. imperium movens in actu primo, seu capax ad movendum, conc. maj. movens in actu secundo, neg. maj. & conf. similiter distincta minori. Nam de ratione essentiali, & intrinseca legis est quidem, ut sit imperium de se potens movere subditum ad obediendum; sed non est de essentia ejus, ut actu moveat, imò neque ut sit proximè potens, quod fit per intimationem imperii: sic ignis est de se potens urere in actu primo, non proximo, nisi supposita applicatione ad materiam combustibilem.

Objic. 3. ex Gratiano. [1] *Leges instituuntur, quando promulgantur, & firmantur, quando moribus utentium approbantur*; ergo institutio legis importat promulgationem.

Resp. dist. ant. instituuntur quoad usum, & in actu secundo obligationis, conc. ant. quoad essentiam, & in

[1] *c. in istis dist. 4.*

in actu primo virtutis obligativæ, neg. ant. & ratio patet ex dictis: nam publicari solent per ministros ipsismet legibus obstrictos, & nullius jurisdictionis, vel superioritatis.

Objic. contra 3. p. 1. hunc ipsum Canonem ex S. August. [1] sumptum, in quo dicitur: *Leges firmantur, quando moribus utentium approbantur*; ubi notatur exemplum de Telesphoro Papa, qui decrevit, ut generaliter Clerici in quinquagesima à carnibus, & deliciis jejunent; quod quia *moribus utentium approbatum non est, aliter agentes transgressionis reos non arguit*, inquit Gratianus: & ex ipso jure civili, *leges nulla alia ex causa nos tenent, nisi quia judicio populi receptæ sunt*; ergo tam Ecclesiasticæ, quàm civiles non obligant, nisi acceptatæ.

Resp. neg. conf. neque enim id rectè infertur ex illis textibus. Nam 1. firmitas illa, quam leges habent ex usu non significat vim obligandi, sed durationem, ac stabilitatem in actu 2. quatenus illæ, quas subditi acceptant, & exequuntur, firmiores sunt, nec tam facilè abeunt in desuetudinem, nec abrogantur per usum contrarium. & ita intelligendus est Gratianus. Exemplum autem facit pro nobis; quia decretum illud Telesphori non ideò præcisè caruit defectu, nec abrogatum fuit, quia clerici non acceptarunt, sed quia Pontifex consensit, ut non teneret, dum aliter agentes transgressionis non arguit. Certè non credo, quin potuisset Papa cogere clericos ad tale jejunium, si hoc ita opportunum, & expediens bono communi fidelium judicasset: sed noluit urgere executionem; imò indulsit tacitè, ut sese reliquo populo conformarent. Textum autem legis patet 1. loqui de legibus Romanis, quæ tunc non urgebant, nisi acceptatæ; quia Imperatores, aut Prætores non gaudebant absoluta potestate, regimen erat democraticum, non monarchicum, 2. Dici etiam potest, populi consensum, & acceptationem conferre legi non primam vim obligandi, sed stabilitatem contra caducitatem, quæ inducitur per non usum, vel usum contrarium: nam principes supremi, & absolutæ potestatis eam legem non admitterent.

Objic. 2. Legislator non potest obligare subditos non

[1] *de vera Rel. c. 31.*

non acceptantes legem; ergo acceptatio requiritur,ut obliget. Prob. ant. quia hoc ipso, quod lex non acceptatur, fit inutilis; ergo caret conditione legis.

Resp. neg. ant. & dist. prob. fit inutilis ex malitiâ subditorum, conc. ant. ex ratione, & natura legis, neg. ant.& conf. suppono enim, legem, quantùm est de se, justam esse, & ad bonum communitatis, nec aliud deesse, ex parte legislatoris ad veram legis essentiam.

Inst. Utilitas legis non potest meliùs sciri, quàm ex usu, & acceptatione populi; ergo hoc ipso,quod non acceptatur, censeri debet inutilis.

Resp. neg. ant. nam utilitas scitur 1. ex ratione objecti, ac materiæ legis; si autem per ignorantiam agnoscitur inutilis, aut perniciosa, vel nimis gravis, populus debet recurrere ad principem, qui vel tacitè, vel expresè relaxabit obligationem.

Objic. 3. Populus per non usum, vel usum contrarium potest abrogare legem latam, & firmatam; ergo à fortiori potest impedire, ne valeat ab initio.

Resp. dist. ant. per non usum, vel usum contrarium, sed rationabilem, conc. ant. per non usum irrationabilem, vel arbitrarium, neg. ant. & conf. videbimus de abrogatione legis, quod requiratur aliqualis consensus tacitus, vel expressus legislatoris, & ratio præponderans rationi legis.

Objic. 4. Princeps habet potestatem à populo; ergo non potest illum gravare, vel obligare nolentem: ergo populus potest non acceptare legem.

Resp. dist.conf.si potestas accepta sit limitata quoad hoc, conc. conf. si sit absoluta, ut in statibus monarchicis, neg. conf. & de istis loquimur. Præterea hæc ratio non valet, sed potiùs firmat conclusionem quoad leges Ecclesiæ, in qua Prælati habent potestatem à Christo D. Quoad seculares verò, & civiles rarissima est limitatio · alioqui principes illi essent potiùs consultores, quam Domini: eligerentur ad excogitandas, non ad ferendas leges.

Inst. Potestas Ecclesiastica data est in ædificationem, & levamen populi Christiani: sed esset in gravamen, si obligaret nolentes: ergo non Potest obligare nolentes, seu non acceptantes.

Resp. 1. Id tam urgere contra potestates sæculares, quæ

quæ non magis dantur in destructionem, & oppressionem populi.

Resp. 2. neg. min. Nam posito, quòd leges tam Ecclesiasticæ, quàm civiles habeant conditiones legis de se, sunt etiam de se in ædificationem, & levamen. Certè nisi possent Prælati urgere legum suarum observantiam, frustra data esset illis potestas ligandi per censuras inobedientes, & contumaces.

Inst. 2. Christus Dominus assignat discrimen inter potestatem Ecclesiasticam, & Laicam, quòd illa non dominetur absolutè, ut cogat populos, sed suaviter dirigat; ergo illa non debet ferre leges, nisi gratas, & acceptas populis. Prob. ant. [1] *Reges gentium dominantur eorum*, id est imperant ut Domini, *& qui habent potestatem super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est sicut ministrator*; ergo non habent vim dominativam, ut cogant invitos ad observantiam legum suarum. *Principatus eorum in dilectione debet esse positus, non in timore carnali*, inquit Origenes. [2]

Resp. dist. ant. non dominatur absolutè cogens eos violenter per timorem carnalem ad obedientiam legum, sicut principes gentium, seu infidelium, conc. ant. quod efficaciam legum, ita ut leges Apostolicæ minùs habeant virtutis ad ligandos subditos, neg. ant. neque enim id docetur hoc textu. Verum est, quòd principes Ecclesiastici debent præesse, seu primi esse in humilitate, in obsequio subditorum, & labore, quorum salutem, & utilitatem debent præferre utilitati propriæ. Certè ad litteram hic locus non facit ad rem; nec enim vetat, quin Prælati aliquando utantur virgis spiritualibus. Unde Apostolus scribebat ad Corinthios: [3] *In virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?*

Hinc ergo collige, quòd leges justæ, & veræ statim ac sunt sufficienter promulgatæ, obligant subditos ad sui acceptationem, & observantiam, nisi legislatorum conditio, vel patientia, seu consensus expressus, vel tacitus permittat subditis inobservantiam: & hæc opinio longè probabilior est; licèt non desint, qui sustineant requiri ex parte subditorum acceptationem; quod

[1] *Luc.* 22. [2] *Ibid.* [3] 1. *cor.* 4. 21.

quod de legibus Ecclesiasticis prætendit Domin. de Marca [1] potius, quàm de civilibus; & Pater Frassen de utrisque id asserit.

CONCLUSIO III.

De *ratione legis est, quòd sit stabilis, seu permanens, ac perpetua*. Ita communiter.

Prob. 1. Nam lex est regula juridica, seu à potestate publica, dirigens communitatem in bonum suum; sed illa potestas, & ille finis, seu directio in bonum publicum de se petunt esse permanenter, & in perpetuum: ergo & hinc lex petit esse perpetua.

Confir. 1. Quia de facto tales sunt omnes leges tam naturales, quàm divinæ, & humanæ; ergo id convenit omni legi. 2. quia ex communi sententia, in hoc differt lex à præcepto, quòd istud expirat cum præcipiente, non verò lex cum legislatore. Et ratio est, quia lex fertur quasi auctoritate communitatis, & pro bono communitatis, quæ non moritur; at præceptum datur à superiore respectu subditi, & pro bono ipsiusmet particularis. Lex dirigitur, & obligat tam præsentes, quàm futuros, donec revocetur, vel abrogetur; præceptum verò præsentes tantùm. Denique particulares, quibus imponitur præceptum, intereunt, non verò communitates, quibus dantur leges; ergo lex de se petit esse perpetua sive ex parte legislatoris, qui est persona publica, ut Rempublicam, & communitatem repræsentans, sive ex parte materiæ, & boni publici, sive ex parte communitatis, cui datur.

Objic. 1. Duratio non est de essentia rei durantis; ergo perpetuitas non potest esse de essentia legis, quia est duratio ejus.

Resp. dist. ant. duratio actualis, conc. ant. aptitudinalis, neg. ant. & conf. Non asserimus actualem, quæ est contingens, sed aptitudinalem, quæ est saltem proprietas sequens ex natura legis, quatenùs de se non petit habere terminum ullum certum durationis suæ.

Objic. 2. Legislatori succedit alius æqualis potestatis, qui,

[1] *Hic d. 4. a. 2. q. 3 1. Concil. 1.*

quisque potest mutare leges illius; ergo ex parte legislatoris lex non est perpetua.

Resp. neg. conf. Nam quòd successor possit abrogare legem à prædecessore latam, sequitur eam non esse perpetuam positivè, bene verò negativè; quia id non venit ex natura legis, quæ de se ferebatur indefinitè, & poterat permanere durante causa, & fine ejus, ac subditis.

Objic. 3. Plures veræ leges de facto cessarunt, ut lex Moysi, & innumeræ leges humanæ tam Ecclesiasticæ, quàm civiles; ergo de ratione legis non est, ut sit perpetua.

Resp. neg. conf. Nam leges illæ durarunt, quamdiu vel status, vel ratio boni publici, aut populi durarunt; lex Moysi duravit cum Synagoga; leges Romanæ cum Republica; Canones viguerunt, quamdiu ratio, & bonum Ecclesiæ id postulavit, & quamdiù non fuerunt vel revocati, vel abrogati.

Quæres, *an lex debeat esse scripta?*

Resp. Id non esse de ratione legis, quia lex naturalis non est scriptis manifestata; nam præcepta Decalogi, quæ sunt de lege naturæ, excepto uno de sabbati cultu, non fuerunt scripta ab initio conditi orbis usque ad Moysem, & consuetudo, quæ habet vim legis, non scribitur, saltem à legislatore.

Dices. Consuetudo dicitur *jus non scriptum*, lex verò *jus scriptum*; ergo de ratione legis est, ut sit scripto promulgata. Prob. ant. ex jure Canon. [1] in quo lex dicitur *constitutio scripta*.

Resp. neg. conf. quia lex dicitur *jus scriptum*, non quòd scriptura sit de ratione legis; sed quia solet scriptis publicari; & si voce sola publicaretur sufficienter, non minùs esset vera lex, nec minùs obligaret. De consuetudinis autem differentia dicetur suo loco.

QUÆ-

[1] *C. Lex.*

QUÆSTIO IV.

In qua expenduntur breviter aliæ conditiones legis.

PRæter allatas conditiones, aliquot aliæ requiruntur, quæ in illis includuntur, sed sunt paulò distinctius explicandæ. 1. Lex debet *esse manifesta, et clara sine ambiguitate, vel obscuritate*. Ratio est 1. quia cùm sit regula humanarum actionum, & lux earum directiva, non lucebit, nec diriget rectè, si obscurè, vel dubie, vel æquivocè loquatur. 2. Quia quisque pro arbitrio eam posset intelligere ex parte judicum, & sic potiùs ex ea lites, & fraudes, quàm pax, & justitia nascerentur. 3. Quia sic non solum redderetur inutilis, sed etiam potiùs fraudum, captionum, & injustitiarum, & scandalorum occasio.

Dices. A lege captiosa, vel injusta non licet appellare; quia [1] *semper præsumitur pro legislatore quamdiù legem non revocat, & factum superioris præsumitur legitimum*: ergo lex, quamvis æquivoca, vel obscura, tenet, & ligat.

Resp. Si defectus illi sint dubii, conc. ant. tunc enim non licet appellare, nec opponere doli exceptionem; si sint manifesti, neg. ant. nam tunc lex esset evidenter injusta, & inutilis, imò & perniciosa; nec esset locus præsumptioni pro legislatore, nec pro superioris facto.

2. *Non expedit legum nimia multitudo, imò noxia est, & vitanda*. Ratio est 1. quia multitudo legum parit confusionem. & obscuritatem; ergo noxia est, & vitanda. 2. quia ex multitudine fiunt graves, & moraliter observatu impossibiles: sed leges debent potiùs levare, quàm gravare plebem, & esse in communitatis bonum, & observatu possibiles: ergo, &c. 3. quia multitudo legum parit earum contemptum: & 4. est occasio litium. 5. quia laqueos peccandi multiplicat, & est signum pravæ dispositionis subditorum, qui egent tot retinaculis, & regulis. 6. denique hinc oritur multarum ignorantia: quippe non possunt omnes addisci, & memoria retineri. Hæc patent experientia de lege Moysi, quæ propter mul-

[1] *L. si qua pœna. ff. de verb. oblig.*

multitudinem præceptorum dicitur *lex servitutis*, & parùm viguit; & toties ab ea populus declinavit, & ob duritiem illorum data erat.

3. *Lex debet esse necessaria pro bono communitatis*: Ratio est 1. quia sine urgenti ratione, & necessitate non debent imponi onera, & servitutes populo: nam lex est onus; privat libertate; inducit servitutem, constringit vitam, &c. ergo non debet imponi absque necessitate gravi.

4. *Debet esse possibilis non solum physice, sed etiam moraliter, ita ut non sit valde difficilis*. Ratio est, quia aliter gravaret potiùs subditos, & esset eis in laqueum, & occasionem transgressionis prætextu impossibilitatis; & maximè populi, qui elegerunt principes suos, non contulerunt eis potestatem graviora onera ipsis imponendi.

5. *Finis, & effectus ultimatus legis est homines facere bonos*. Ratio patet 1. ex Scriptura, [1] qua dicitur legem dari vitiosis, ut à vitiis revocentur ad virtutem. *Scimus, quia bona est lex, si quis ea legitimè utatur, sciens hoc, quia lex justo non est posita, sed injustis, & non subditis impiis, & peccatoribus, sceleratis, & contaminatis parricidis, & matricidis; & si quid sanæ doctrinæ adversatur*; ergo finis, & effectus legis est tollere omnia vitia, & facere homines bonos moraliter: & hoc de fide est quoad leges divinas. 2. ex parte legislatoris, cujus intentio est subditos dirigere secundum regulas prudentiæ, quæ dictat de fine honesto, & mediis: & 3. ex parte legis, quæ est præceptum juxta dictamen prudentiæ, ac rectæ rationis: & 4. ex parte subditi, quæ est docilitas, & debita obedientia: 5. deniq;id patet ex dictis de justitia legis,quæ debet esse de re honesta facienda, & de inhonesta vitanda, ut sic subditus fiat probus, & obediens.

Hinc sequitur, quòd si quis princeps, aut superior præciperet iniqua,*magis oporteret obedire Deo, quam hominibus*, inquit S. Petrus, ne subditus fiat malus illis obediens:nam, ut docet noster Vulpes,(2] potestas civilis, & politica committitur a tota communitate uni personæ,cui omnes subjiciuntur in iis tantùm, quæ non sunt contra legem Dei, nec contra spirituale bonum Ecclesiæ,& quę ordinantur ad commune bonum.

6. *Priu-*

[1] 1.*Tim*.1. [2] *p*. 3. *d*. 1.

6. *Principalis, & genericus legis actus, seu effectus est obligare subditos; specifici verò, & præcipui sunt præcipere, vitare, punire, & permittere.*

Prima p. patet ex Scoto citato,[1] & ex dictis. Nam *lex* principaliter dicitur *à ligando*, & id commune est omni legi, ut obliget subditos; & in hoc distinguitur à consilio, quod de se non obligat.

Prob. 1. p. Nam lex ordinatur ad actus humanos dirigendos, isti actus verò vel sunt boni, & hos præcipit; vel mali, & hos vetat, vel punit, si committuntur; sicut primos præmiat; vel sunt indifferentes, & hos permittit; & si qui alii sint effectus legis, facilè ad unum istorum reducuntur.

Dixi, *actus, seu effectus*; nec enim sunt actus eliciti ab ipsa lege; nec enim est potentia, vel habitus, ut influat physicè, aut eliciat tales operationes; sed quia per hos actus tota lex, seu ratio legislativa integratur, & completur.

Dices. Non minùs spectat ad legem præmiare, & promittere, quam punire; ergo tam debent recenseri inter affectus legis.

Resp. Ita etiam à multis recenseri, ab aliis verò non. 1. quia cum actus boni sint actus virtutis, ipsa est sibi sufficiens præmium in sua honestate, & motivum, ut propter se appetatur, nō propter aliud premium, quod fortè erat inferius bonum. 2. quia propositio præmii potius inducit, ad agendum per modum consilii; quàm præcepti: non ligat severè, sicut comminatio pœnæ. 3. quia præmiare non est actus solius superioris, sed etiam æqualium; ideò non tam sapit legem, quæ est actus superioritatis essentialiter; ita est de promissione.

Dices 2. Leges etiam habent alios plures effectus: nam *inhabilitant ad officia; dirigunt; irritant facta; pretia rebus imponunt; mutant rerum dominia, leges abrogant*; ergo, &c.

Resp. neg. conf. nam hi effectus facilè in illis continentur; dirigere ad singulos pertinet; *inhabilitatio* pertinet ad punitionem, vel prohibitionem tales eligendi, sicut & *irritare*; *pretia imponere*, & *leges abrogare* est præcipere.

7. *Promulgatio, sine qua diximus legem non obligare,*

[1] 4.*d*.75.*q*.2.*E*.*n*.7.

re, debet solemniter fieri in singulis regnis, provinciis, & civitatibus; nec sufficit publicatio in solis aulis legislatorum tam Ecclesiasticorum, quàm sæcularium.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui distinguit duo tempora circa obligationem legis Euangelicæ. 1. in quo fuit tantum sub consilio, & 2. in quo fuit sub præcepto. 1. à tempore prædicationis Christi, cùm statuebat legem baptismi, & alias dicens, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*: & duravit usque ad Pentecostem. 2. *tempus incepit, ut puto, à die Pentecostes in Jerusalem, quia usque ad illum diem Apostoli non prædicaverunt publice, juxta illud Christi: vos autem sedete in illa civitate, donec induamini virtute ex alto, sed in die Pentecostes misso Spiritu Sancto solemniter prædicaverunt. Inde autem ad aliàs civitates secundum ordinem cuilibet loco, & genti, erat tempus secundum, quando ibi publicè prædicabatur lex Euangelica, ita quod tempus obligationis non incipit simul apud quoscumque, sed de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem*, quibus incepit tempus secundum ad mensem post Pentecostem. aliquibus ad decem annos, &c. ergo non sufficit ad obligationem legis qualiscumque publicatio in regia civitate, aut metropoli, sed debet fieri in omnibus regnis, provinciis, & civitatibus: & si hoc verum est de lege divina, à fortiori dicendum de humanis. Id patet adhuc ex locis citatis: nam Christus ipse præcepit Apostolis, *Euntes in mundum universum docete omnes gentes servare omnia*, &c. nam Deus potest leges suas intimare non solum externè per ministros publicos, & authenticos, sed etiam internè per internam revelationem, ut cum Christo dedit præceptum moriendi, aut privatim, sicut Christus intimavit Euangelium, & alia præcepta suis Apostolis per se ipsum, & hoc non possunt homines.

Prob. 2. ratione: quia lex invincibiliter ignorata non obligat: sed ab innumeris ignorarentur leges invincibiliter, si in sola regia, vel una civitate promulgarentur: ergo non obligarent, nisi in singulis promulgarentur. Prob. min. Nam dum lex aliqua promulgatur Romæ, aut Parisiis, ignoratur invincibiliter Camberii: & quamvis tractu aliquo temporis possit au-

[1] 4.*d*.3.*q*.4. *H*.*n*.11.

audiri à privatis personis, quæ tempore promulgationis aderant Romæ, aut Parisiis, quia tamen non sunt authenticæ personæ, illis credere non teneor. Certè nullus est legislator, qui velit obligare per leges suas, nisi eos, quibus intimat eas, & qui eas sciunt.

Prob. 3. ex ipsis legibus, quibus constat Imperatores ipsos non prætendere, quòd leges suæ obligent, donec promulgatæ fuerint à Metropolitis Provinciarum, ut patet ex authentica, *Ut novæ constitutiones*: & Pius V. in Bulla super declaratione temporis, pro quo Concilii Tridentini decreta obligant, *quia*, inquit, *in jure communi sancitum est, ut constitutiones novæ vim non nisi poteſt certum tempus* (scilicet post sufficientem ubique publicationem) *obtineant*. Et de facto leges regiæ promulgantur in singulis Parlamentis, unde mittuntur ad tribunalia subalterna judicum, à quibus iterum promulgantur, & quoad Ecclesiasticas Concilia ipsa decernunt, sua statuta esse publicanda in locis singulis, ut obligent, quod patet ex Concilio Later. sub Innoc. III. ut habetur cap. [1] *cum infirmitas*; nec pœnæ inflictæ pro transgressoribus incurruntur, nisi postquam per Prælatos locorum constitutio fuerit publicata, & talis est antiqua Ecclesiæ praxis: nam colligitur ex tempore Tertulliani [2] decretum Zozimi pro reconciliandis pœnitentibus contra Montanistas fuisse lectum in Ecclesiis, & affixum ad valvas. Sic constitutio Stephani de non rebaptizandis hæreticis fuit publicata per Provincias, ut scribit S. Cyprianus [3] ad Pompejum.

Dices. Si hoc esset necessarium, paucissimæ Constitutiones, & Bullæ Pontificiæ vim haberent; nam vix ullæ ex his, quæ sunt in decreto, & decretalibus fuerunt sic publicatæ, & sic de Clementinis, & aliis plurimis; ergo sufficit earum publicatio Romæ ad valvas S. Petri, aut in campo Floræ.

Resp. neg. ant. Nam earum compilatio ex intentione Ecclesiæ directa est ad omnes Provincias, & urbes, aut etiam ad singulos per Doctores, à quibus leguntur, & docentur.

[1] *De pœnit. & remiss.*
[2] *De prædit. cit. c. 1.* [3] *Ep. 74.*

QUÆSTIO V.

De potestate legislativa, ad quos spectet condere leges.

JAm diximus, quòd lex debet necessariò ferri à potestate publica, & suprema; sed restat in particulari videndum, quinam sint, qui potiantur hujusmodi potestate legislativa, sive in Ecclesia respectu fidelium in spiritualibus: sive in statu politico respectu populorum, & civium, & in temporalibus, & quæstio est principaliter, de potestate legislativa humana, quam videntur negasse plures hæretici; ut Valdenses, Lutherani, & Calvinistæ, & maximè de Papa quoad Ecclesiasticas.

CONCLUSIO I.

SUmmus Pontifex sive seorsim ut caput Ecclesiæ, sive cum generali Concilio habet potestatem ferendi leges Ecclesiasticas pro universâ Ecclesia, non autem civiles, nisi in terris dominii sui temporalis. Est omnium Catholicorum contra prædictos hæreticos quoad 1. partem.

Prob. 1. p. 1. ex Scriptura, [1] qua constat, potestatem clavium datam esse Petro, & successoribus; *Dabo tibi claves regni cœlorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis.* Et, [2] *Pasce oves meas.* Et, [3] *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, pascere autem oves in Scriptura importat superioritatem, & principatum, juxta illud, *Tu pasces populum meum Israel, & eris princeps super eum*, & quidem non illius, vel illius populi, civitatis, aut regionis, aut regni: *oves meas*, inquit Christus, *cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse? nihil excipitur, ubi distinguitur nihil* ([4] ait S. Bernard.)

Prob. 2. Quia in politia temporali est potestas condendi leges civiles pro recto regimine temporalis ergo à fortiori debet adesse ad leges canonicas pro recto

[1] *Matth.* 16. [2] *Jo.* 21.
[3] 2. *Reg.* 5. [4] 2. *de consider.*

recto regimine spirituali animarum; sed illa non potest esse generalis in alio, quàm in summo Pontifice sive seorsim, sive in Concilio universali; ergo ita est. Prob. min. 1. ex omnium consensu, qui Papam agnoscunt ut caput Ecclesiæ. 2. ex textibus allatis, ex quibus patet, principatum, & munus pastorale datum immediatè Petro, non verò ipsi Ecclesiæ Apostolicæ: unde ipsi Petro canit Ecclesia ipsa, *Tibi tradidit Deus omnia regna mundi*, scilicet quoad jurisdictionem spiritualem. 3. ex SS. Canonibus, ut cap. *Sacrosancta Romana Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super omnes Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem assecuta est*. Item, *Nobis in B. Petro sunt oves Christi commissæ dicente Domino, pasce oves meas*, inquit Innoc. III. Item [1] in Concilio Lugdunensi; *Cùm Jesu Christi vices teneamus in terris, nobisque in persona Petri dictum sit, quodcumque ligaveris*, &c. 4. ex veteri testamento: [2] nam si tunc summus sacerdos talem habuit potestatem, quantò magis in novo; tunc autem dictum fuerat: *Si quis superbus erit nolens obedire sacerdotis imperio, morietur homo ille*.

Confir. Nam Papa habet dominium supremum spirituale in totam Ecclesiam; ergo pro illa tota potest dare leges firmas. prob. ant. ex Concilio Lateran. ubi expresse legitur, quòd [3] *Romana Ecclesia, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet primum principatum, utpote mater universorum Christi fidelium, & magistra*.

Prob. 2. p. Quia Papa dominium quidem habet temporale in aliquibus Provinciis, quæ dicuntur Patrimonium S. Petri, & pro his leges civiles potest condere, ad quas illi populi tenentur; sed nullum tale habet in alia regna, vel principatus, nec tale prætendunt ulli Summi Pontifices; nec de illo constat ulla Scripturæ auctoritate, aut juris civilis, aut Ecclesiastici; ergo pro aliis regnis, aut populis Papa non potest ferre leges temporales quæ vim habeant.

Dixi, *sive seorsim, sive cum generali Concilio*, quia, ut notatum est, loca Scripturæ, ex quibus ea pote-

[1] *C. sollicitè est.* [2] *Deuter.* 17.
[3] *an.* 1215.

ftas colligitur, dicta sunt immediatè D. Petro, sed non excludunt auctoritatem ejus in Concilio, ubi præsidet, ut caput corpori: unde si habet eam potestatem in Cathedra sua seorsim, à fortiori quando loquitur cum universo cœtu Apostolorum, & membrorum Ecclesiæ.

Objic. 1. cum hæreticis contra 1. p. Christus improbat [1] *doctrinas, & mandata hominum*, & præcepit Apostolis dicere, non quæ ipsi mandant, seu leges suas humanas, sed suas, [2] *docentes quæcumque mandavi vobis*; ergo neque Papa, neque ulla alia potestas potest dare leges fidelibus.

Resp. neg. conf. Nam per mandata hominum non intelligit quæcumque ab hominibus vel superioribus præcipiuntur; alioqui non diceret Apostolus, *Obedite superioribus vestris etiam discolis*; nec Christus dixisset Judæis, *Omnia, quæcumque dixerint vobis, facite*, sed intelliguntur ea, quæ humano penitus, non divino afflatu spiritu jubentur; & à fortiori, quæ avertunt à lege divina, & id patet ex alio textu, in quo legimus, quòd Apostolus Paulus, & Timotheus [3] *tradebant civitatibus custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis, & senioribus, qui erant Jerosolymis*.

Inst. In veteri lege sancitur, [4] *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito, nec addas quidquam, aut diminuas*: ergo multo minùs licebit addere legi Evangelicæ novas, & humanas leges: unde Paulus dicit, [5] quod liberati sumus à lege veteri pro Judæis à Deo tradita; *Non sumus ancillæ filii, sed liberæ*, &c. ergo multò magis sumus liberi à legibus humanis; nam ex eodem Apostolo, [6] cum simus Christiani, liberamur à legibus hominum; *Nam ubi spiritus domini, ibi libertas*: ergo

Resp. neg. conf. Nec enim sequitur libertas à legibus Ecclesiasticis ex ullo textuum illorum; nam per primum prohibetur additio ad cæremonias legis Mosaicæ, quæ sapiant gentilismum, dicente Domino, *Cave, ne imiteris eas gentes, postquam te fuerint ingredienti subversæ, & requiras cæremonias earum*: & præterea leges Apostolicæ non addunt Evangelicis

[1] *Matth.* 15. [2] *Matth.* 28. [3] *Act.* 16.
[4] *Deut.* 12. [5] *Gal.* 4. [6] 1. *Cor.* 3.

gelicis præceptis, sed potiùs explicant, & juvant, & dirigunt ad ea servanda. 2. liberati sumus à servitute legis Mosaiæ, quæ figura fuit Euangelicæ, quæ jugum est Christi, ac suave; figuræ verò, & umbræ cedunt veritati, ac lumini.

Inst. 2. D. Paulus prohibet; [1] *nolite fieri servi hominum*; ergo non debent Christiani subjici legibus ullis datis ab homine, qualis est Pontifex, imò & principes omnes temporales, & quidem à fortiori.

Resp. neg. cons. Nam Pontifex imperat vice Dei, *Dei enim vindex est*, ait idem Apostolus; [2] *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi à Deo: qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*, &c.

Objic. 2. Si leges Papæ obligarent maximè in conscientia; non enim habent potestatem in corpora, & temporalia, id solis principibus temporalibus reservatur; sed nullus homo purus habet potestatem in conscientias; ergo eis nullus imponere potest leges. Prob. ant. homo purus non videt nisi ea, quæ patent, *solus Deus intuetur cor*; ergo & solus habet jurisdictionem in conscientias; nec enim ligare eas potest qui non videt.

Resp. dist. min. & ant. prob. potestatem directam, & ratione actuum purè internorum, conc. min. & ant. prob. indirectam, & mediante actu externo, neg. min. & ant. Papa, nec Ecclesia non imperant directè actus internos, qui ad forum solius Dei spectant, nec directè ligant conscientias, sed actus externos, cum quibus interni habent connexionem, & si subditus negligat actus externos præceptos, videt ipsemet se interiùs peccare, seseque judicat in conscientia, & ab ipsamet conscientia redarguitur.

Obiic. contra 2. p. locum adductum, in quo non limitatur potestas data Petro: ergo tam est pro legibus civilibus, quàm pro canonicis. Prob. ant. ex ipso textu, *Quodcumque ligaveris super terram*: unde canit Ecclesia in laudem Petri, *Tibi tradidit Deus omnia regna mundi*.

Resp. neg. ant. & ad prob. dico, quòd contrarium ex ipsomet textu patet: nàm Christus promittit Petro claves regni cælorum, per quas possit ligare;

[1] *Cor.* 7. [2] *Rom.* 13.

quique potest mutare leges illius; ergo ex parte legislatoris lex non est perpetua.

Resp. neg. conf. Nam quòd successor possit abrogare legem à prædecessore latam, sequitur eam non esse perpetuam positivè, bene verò negativè; quia id non venit ex natura legis, quæ de se ferebatur indefinitè, & poterat permanere durante causa, & fine ejus, ac subditis.

Objic. 3. Plures veræ leges de facto cessàrunt, ut lex Moysi, & innumeræ leges humanæ tam Ecclesiasticæ, quàm civiles; ergo de ratione legis non est, ut sit perpetua.

Resp. neg. conf. Nam leges illæ durarunt, quamdiu vel status, vel ratio boni publici, aut populi durarunt; lex Moysi duravit cum Synagoga; leges Romanæ cum Republica; Canones viguerunt, quamdiu ratio, & bonum Ecclesiæ id postulavit, & quamdiù non fuerunt vel revocati, vel abrogati.

Quæres, *an lex debeat esse scripta?*

Resp. Id non esse de ratione legis, quia lex naturalis non est scriptis manifestata; nam præcepta Decalogi, quæ sunt de lege naturæ, excepto uno de sabbati cultu, non fuerunt scripta ab initio conditi orbis usque ad Moysem, & consuetudo, quæ habet vim legis, non scribitur, saltem à legislatore.

Dices. Consuetudo dicitur *jus non scriptum*, lex verò *jus scriptum*; ergo de ratione legis est, ut sit scripto promulgata. Prob. ant. ex jure Canon. [1] in quo lex dicitur *constitutio scripta*.

Resp. neg. conf. quia lex dicitur *jus scriptum*, non quòd scriptura sit de ratione legis; sed quia solet scriptis publicari; & si voce sola publicaretur sufficienter, non minùs esset vera lex, nec minùs obligaret. De consuetudinis autem differentia dicetur suo loco.

QUÆ-

[1] *C. Lex.*

QUÆSTIO IV.

In qua expenduntur breviter aliæ conditiones legis.

PRæter allatas conditiones, aliquot aliæ requiruntur, quæ in illis includuntur, sed sunt paulò distinctius explicandæ. 1. Lex debet *esse manifesta, et clara sine ambiguitate, vel obscuritate*. Ratio est 1. quia cùm sit regula humanarum actionum, & lux earum directiva, non lucebit, nec diriget rectè, si obscurè, vel dubie, vel æquivocè loquatur. 2. Quia quisque pro arbitrio eam posset intelligere ex parte judicum, & sic potiùs ex ea lites, & fraudes, quàm pax, & justitia nascerentur. 3. Quia sic non solum redderetur inutilis, sed etiam potiùs fraudum, captionum, & injustitiarum, & scandalorum occasio.

Dices. A lege captiosa, vel injusta non licet appellare; quia [1] *semper præsumitur pro legislatore quamdiù legem non revocat, & factum superioris præsumitur legitimum*: ergo lex, quamvis æquivoca, vel obscura, tenet, & ligat.

Resp. Si defectus illi sint dubii, conc. ant. tunc enim non licet appellare, nec opponere doli exceptionem; si sint manifesti, neg. ant. nam tunc lex esset evidenter injusta, & inutilis, imò & perniciosa; nec esset locus præsumptioni pro legislatore, nec pro superioris facto.

2. *Non expedit legum nimia multitudo, imò noxia est, & vitanda*. Ratio est 1. quia multitudo legum parit confusionem. & obscuritatem; ergo noxia est, & vitanda. 2. quia ex multitudine fiunt graves, & moraliter observatu impossibiles: sed leges debent potiùs levare, quàm gravare plebem, & esse in communitatis bonum, & observatu possibiles: ergo, &c. 3. quia multitudo legum parit earum contemptum: & 4. est occasio litium. 5. quia laqueos peccandi multiplicat, & est signum pravæ dispositionis subditorum, qui egent tot retinaculis, & regulis. 6. denique hinc oritur multarum ignorantia: quippe non possunt omnes addisci, & memoria retineri. Hæc patent experientia de lege Moysi, quæ propter mul-

[1] *L. si qua pœna. ff. de verb. oblig.*

multitudinem præceptorum dicitur *lex servitutis*, & parùm viguit; & toties ab ea populus declinavit, & ob duritiem illorum data erat.

3. *Lex debet esse necessaria pro bono communitatis*: Ratio est 1. quia sine urgenti ratione, & necessitate non debent imponi onera, & servitutes populo: nam lex est onus; privat libertate; inducit servitutem, constringit vitam, &c. ergo non debet imponi absque necessitate gravi.

4. *Debet esse possibilis non solum physice, sed etiam moraliter, ita ut non sit valde difficilis*. Ratio est, quia aliter gravaret potiùs subditos, & esset eis in laqueum, & occasionem transgressionis prætextu impossibilitatis; & maximè populi, qui elegerunt principes suos, non contulerunt eis potestatem graviora onera ipsis imponendi.

5. *Finis, & effectus ultimatus legis est homines facere bonos*. Ratio patet 1. ex Scriptura, [1] qua dicitur legem dari vitiosis, ut à vitiis revocentur ad virtutem. *Scimus, quia bona est lex, si quis ea legitimè utatur, sciens hoc, quia lex justo non est posita, sed injustis, & non subditis impiis, & peccatoribus, sceleratis, & contaminatis parricidis, & matricidis; & si quid sanæ doctrinæ adversatur*; ergo finis, & effectus legis est tollere omnia vitia, & facere homines bonos moraliter: & hoc de fide est quoad leges divinas. 2. ex parte legislatoris, cujus intentio est subditos dirigere secundum regulas prudentiæ, quæ dictat de fine honesto, & mediis: & 3. ex parte legis, quæ est præceptum juxta dictamen prudentiæ, ac rectæ rationis: & 4. ex parte subditi, quæ est docilitas, & debita obedientia: 5. deniq; id patet ex dictis de justitia legis, quæ debet esse de re honesta facienda, & de inhonesta vitanda, ut sic subditus fiat probus, & obediens.

Hinc sequitur, quòd si quis princeps, aut superior præciperet iniqua, *magis oporteret obedire Deo, quam hominibus*, inquit S. Petrus, ne subditus fiat malus illis obediens: nam, ut docet noster Vulpes, (2) potestas civilis, & politica committitur a tota communitate uni personæ, cui omnes subjiciuntur in iis tantùm, quæ non sunt contra legem Dei, nec contra spirituale bonum Ecclesiæ, & quę ordinantur ad commune bonum.

6. Prin-

[1] 1.*Tim*.1. [2] *p*. 3. *d*. 1.

6. *Principalis, & genericus legis actus, seu effectus est obligare subditos; specifici verò, & præcipui sunt præcipere, vitare, punire, & permittere.*

Prima p. patet ex Scoto citato,[1] & ex dictis. Nam *lex* principaliter dicitur *à ligando*, & id commune est omni legi, ut obliget subditos; & in hoc distinguitur à consilio, quod de se non obligat.

Prob. 1. p. Nam lex ordinatur ad actus humanos dirigendos, isti actus verò vel sunt boni, & hos præcipit; vel mali, & hos vetat, vel punit, si committuntur; sicut primos præmiat; vel sunt indifferentes, & hos permittit; & si qui alii sint effectus legis, facilè ad unum istorum reducuntur.

Dixi, *actus, seu effectus*; nec enim sunt actus eliciti ab ipsa lege; nec enim est potentia, vel habitus, ut influat physicè, aut eliciat tales operationes; sed quia per hos actus tota lex, seu ratio legislativa integratur, & completur.

Dices. Non minùs spectat ad legem præmiare, & promittere, quam punire; ergo tam debent recenseri inter affectus legis.

Resp. Ita etiam à multis recenseri, ab aliis verò non. 1. quia cum actus boni sint actus virtutis, ipsa est sibi sufficiens præmium in sua honestate, & motivum, ut propter se appetatur, nō propter aliud premium, quod fortè erat inferius bonum. 2. quia propositio præmii potius inducit, ad agendum per modum consilii; quàm præcepti: non ligat severè, sicut comminatio pœnæ. 3. quia præmiare non est actus solius superioris, sed etiam æqualium; ideò non tam sapit legem, quæ est actus superioritatis essentialiter; ita est de promissione.

Dices 2. Leges etiam habent alios plures effectus: nam *inhabilitant ad officia; dirigunt; irritant facta; pretia rebus imponunt; mutant rerum dominia, leges abrogant*; ergo, &c.

Resp. neg. conf. nam hi effectus facilè in illis continentur; dirigere ad singulos pertinet; *inhabilitatio* pertinet ad punitionem, vel prohibitionem tales eligendi, sicut & *irritare; pretia imponere*, & *leges abrogare* est præcipere.

7. *Promulgatio, sine qua diximus legem non obligare,*

[1] 4.d.75.q.2.E.n.7.

re, debet solemniter fieri in singulis regnis, provinciis, & civitatibus; nec sufficit publicatio in solis aulis legislatorum tam Ecclesiasticorum, quàm sæcularium.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui distinguit duo tempora circa obligationem legis Euangelicæ. 1. in quo fuit tantum sub consilio, & 2. in quo fuit sub præcepto. 1. à tempore prædicationis Christi, cùm statuebat legem baptismi, & alias dicens, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*: & duravit usque ad Pentecostem. 2. *tempus incepit, ut puto, à die Pentecostes in Jerusalem, quia usque ad illum diem Apostoli non prædicaverunt publice, juxta illud Christi: vos autem sedete in illa civitate, donec induamini virtute ex alto, sed in die Pentecostes misso Spiritu Sancto solemniter prædicaverunt. Inde autem ad aliàs civitates secundum ordinem cuilibet loco, & genti, erat tempus secundum, quando ibi publicè prædicabatur lex Euangelica, ita quod tempus obligationis non incipit simul apud quoscumque, sed de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem*, quibus incepit tempus secundum ad mensem post Pentecostem. aliquibus ad decem annos, &c. ergo non sufficit ad obligationem legis qualiscumque publicatio in regia civitate, aut metropoli, sed debet fieri in omnibus regnis, provinciis, & civitatibus: & si hoc verum est de lege divina, à fortiori dicendum de humanis. Id patet adhuc ex locis citatis: nam Christus ipse præcepit Apostolis, *Euntes in mundum universum docete omnes gentes servare omnia*, &c. nam Deus potest leges suas intimare non solum externè per ministros publicos, & authenticos, sed etiam internè per internam revelationem, ut cum Christo dedit præceptum moriendi, aut privatim, sicut Christus intimavit Euangelium, & alia præcepta suis Apostolis per se ipsum, & hoc non possunt homines.

Prob. 2. ratione: quia lex invincibiliter ignorata non obligat: sed ab innumeris ignorarentur leges invincibiliter, si in sola regia, vel una civitate promulgarentur: ergo non obligarent, nisi in singulis promulgarentur. Prob. min. Nam dum lex aliqua promulgatur Romæ, aut Parisiis, ignoratur invincibiliter Camberii: & quamvis tractu aliquo temporis possit au-

[1] 4.*d*.3.*q*.4. *H*.*n*.11.

audiri à privatis personis, quæ tempore promulgationis aderant Romæ, aut Parisiis, quia tamen non sunt authenticæ personæ, illis credere non teneor. Certè nullus est legislator, qui velit obligare per leges suas, nisi eos, quibus intimat eas, & qui eas sciunt.

Prob. 3. ex ipsis legibus, quibus constat Imperatores ipsos non prætendere, quòd leges suæ obligent, donec promulgatæ fuerint à Metropolitis Provinciarum, ut patet ex authentica, *Ut novæ constitutiones*: & Pius V. in Bulla super declaratione temporis, pro quo Concilii Tridentini decreta obligant, *quia*, inquit, *in jure communi sancitum est, ut constitutiones novæ vim non nisi post certum tempus* (scilicet post sufficientem ubique publicationem) *obtineant*. Et de facto leges regiæ promulgantur in singulis Parlamentis, unde mittuntur ad tribunalia subalterna judicum, à quibus iterum promulgantur, & quoad Ecclesiasticas Concilia ipsa decernunt, sua statuta esse publicanda in locis singulis, ut obligent, quod patet ex Concilio Later. sub Innoc. III. ut habetur cap. [1] *cum infirmitas*; nec pœnæ inflictæ pro transgressoribus incurruntur, nisi postquam per Prælatos locorum constitutio fuerit publicata, & talis est antiqua Ecclesiæ praxis: nam colligitur ex tempore Tertulliani [2] decretum Zozimi pro reconciliandis pœnitentibus contra Montanistas fuisse lectum in Ecclesiis, & affixum ad valvas. Sic constitutio Stephani de non rebaptizandis hæreticis fuit publicata per Provincias, ut scribit S. Cyprianus [3] ad Pompejum.

Dices. Si hoc esset necessarium, paucissimæ Constitutiones, & Bullæ Pontificiæ vim haberent; nam vix ullæ ex his, quæ sunt in decreto, & decretalibus fuerunt sic publicatæ, & sic de Clementinis, & aliis plurimis; ergo sufficit earum publicatio Romæ ad valvas S. Petri, aut in campo Floræ.

Resp. neg. ant. Nam earum compilatio ex intentione Ecclesiæ directa est ad omnes Provincias, & urbes, aut etiam ad singulos per Doctores, à quibus leguntur, & docentur.

[1] *De pœnit. & remiss.*
[2] *De prædit. cit. c. 1.* [3] *Ep. 74.*

QUÆSTIO V.

De potestate legislativa, ad quos spectet condere leges.

JAm diximus, quòd lex debet necessariò ferri à potestate publica, & suprema; sed restat in particulari videndum, quinam sint, qui potiantur hujusmodi potestate legislativa, sive in Ecclesia respectu fidelium in spiritualibus: sive in statu politico respectu populorum, & civium, & in temporalibus, & quæstio est principaliter, de potestate legislativa humana, quam videntur negasse plures hæretici; ut Valdenses, Lutherani, & Calvinistæ, & maximè de Papa quoad Ecclesiasticas.

CONCLUSIO I.

SUmmus Pontifex sive seorsim ut caput Ecclesiæ, sive cum generali Concilio habet potestatem ferendi leges Ecclesiasticas pro universâ Ecclesia, non autem civiles, nisi in terris dominii sui temporalis. Est omnium Catholicorum contra prædictos hæreticos quoad 1. partem.

Prob. 1. p. 1. ex Scriptura, [1] qua constat, potestatem clavium datam esse Petro, & successoribus; *Dabo tibi claves regni cœlorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis.* Et, [2] *Pasce oves meas,* Et, [3] *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam,* pascere autem oves in Scriptura importat superioritatem, & principatum, juxta illud, *Tu pasces populum meum Israel, & eris princeps super eum,* & quidem non illius, vel illius populi, civitatis, aut regionis, aut regni: *oves meas,* inquit Christus, *cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse? nihil excipitur, ubi distinguitur nihil* ([4] ait S. Bernard.)

Prob. 2. Quia in politia temporali est potestas condendi leges civiles pro recto regimine temporalis ergo à fortiori debet adesse ad leges canonicas pro recto

[1] *Matth.* 16. [2] *Jo.* 21.
[3] 2. *Reg.* 5. [4] 2. *de consider.*

recto regimine spirituali animarum; sed illa non potest esse generalis in alio, quàm in summo Pontifice sive seorsim, sive in Concilio universali; ergo ita est. Prob. min. 1. ex omnium consensu, qui Papam agnoscunt ut caput Ecclesiæ. 2. ex textibus allatis, ex quibus patet, principatum, & munus pastorale datum immediatè Petro, non verò ipsi Ecclesiæ Apostolicæ: unde ipsi Petro canit Ecclesia ipsa, *Tibi tradidit Deus omnia regna mundi*, scilicet quoad jurisdictionem spiritualem. 3. ex SS. Canonibus, ut cap. *Sacrosancta Romana Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super omnes Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem assecuta est*. Item, *Nobis in B. Petro sunt oves Christi commissæ dicente Domino, pasce oves meas*, inquit Innoc. III. Item [1] in Concilio Lugdunensi; *Cùm Jesu Christi vices teneamus in terris, nobisque in persona Petri dictum sit, quodcumque ligaveris*, &c. 4. ex veteri testamento: [2] nam si tunc summus sacerdos talem habuit potestatem, quantò magis in novo; tunc autem dictum fuerat: *Si quis superbus erit nolens obedire sacerdotis imperio, morietur homo ille*.

Confir. Nam Papa habet dominium supremum spirituale in totam Ecclesiam; ergo pro illa tota potest dare leges firmas. prob. ant. ex Concilio Lateran. ubi expresse legitur, quòd [3] *Romana Ecclesia, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet primum principatum, utpote mater universorum Christi fidelium, & magistra*.

Prob. 2. p. Quia Papa dominium quidem habet temporale in aliquibus Provinciis, quæ dicuntur Patrimonium S. Petri, & pro his leges civiles potest condere, ad quas illi populi tenentur; sed nullum tale habet in alia regna, vel principatus, nec tale prætendunt ulli Summi Pontifices; nec de illo constat ulla Scripturæ auctoritate, aut juris civilis, aut Ecclesiastici; ergo pro aliis regnis, aut populis Papa non potest ferre leges temporales quæ vim habeant.

Dixi, *sive seorsim, sive cum generali Concilio*, quia, ut notatum est, loca Scripturæ, ex quibus ea pote-

T 2 stas

[1] *C. sollicitè est*. [2] *Deuter. 17.*
[3] *an. 1215.*

ſtas colligitur, dicta ſunt immediatè D. Petro, ſed non excludunt auctoritatem ejus in Concilio, ubi præſidet, ut caput corpori: unde ſi habet eam poteſtatem in Cathedra ſua ſeorſim, à fortiori quando loquitur cum univerſo cœtu Apoſtolorum, & membrorum Eccleſiæ.

Objic. 1. cum hæreticis contra 1. p. Chriſtus improbat [1] *doctrinas, & mandata hominum*, & præcepit Apoſtolis dicere, non quæ ipſi mandant, ſeu leges ſuas humanas, ſed ſuas, [2] *docentes quæcumque mandavi vobis;* ergo neque Papa, neque ulla alia poteſtas poteſt dare leges fidelibus.

Reſp. neg. conſ. Nam per mandata hominum non intelligit quæcumque ab hominibus vel ſuperioribus præcipiuntur; alioqui non diceret Apoſtolus, *Obedite ſuperioribus veſtris etiam diſcolis*; nec Chriſtus dixiſſet Judæis, *Omnia, quæcumque dixerint vobis, facite*, ſed intelliguntur ea, quæ humano penitus, non divino afflatu ſpiritu jubentur; & à fortiori, quæ avertunt à lege divina, & id patet ex alio textu, in quo legimus, quòd Apoſtolus Paulus, & Timotheus [3] *tradebant civitatibus cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis, & ſenioribus, qui erant Jeroſolymis*.

Inſt. In veteri lege ſancitur, [4] *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito, nec addas quidquam, aut diminuas*: ergo multo minùs licebit addere legi Euangelicæ novas, & humanas leges: unde Paulus dicit, [5] quod liberati ſumus à lege veteri pro Judæis à Deo tradita; *Non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ*, &c. ergo multò magis ſumus liberi à legibus humanis; nam ex eodem Apoſtolo, [6] cum ſimus Chriſtiani, liberamur à legibus hominum; *Nam ubi ſpiritus domini, ibi libertas:* ergo

Reſp. neg. conſ. Nec enim ſequitur libertas à legibus Eccleſiaſticis ex ullo textuum illorum; nam per primum prohibetur additio ad cæremonias legis Moſaicæ, quæ ſapiant gentiliſmum, dicente Domino, *Cave, ne imiteris eas gentes, poſtquam te fuerint ingrediente ſubverſæ, & requiras cæremonias earum*: & præterea leges Apoſtolicæ non addunt Euangelicis

[1] *Matth.* 15. [2] *Matth.* 28. [3] *Act.* 16.
[4] *Deut.* 12. [5] *Gal.* 4. [6] 1. *Cor.* 3.

gelicis præceptis, sed potiùs explicant, & juvant, & dirigunt ad ea servanda. 2. liberati sumus à servitute legis Mosaiæ, quæ figura fuit Euangelicæ, quæ jugum est Christi, ac suave; figuræ verò, & umbræ cedunt veritati, ac lumini.

Inst. 2. D. Paulus prohibet; [1] *nolite fieri servi hominum*; ergo non debent Christiani subjici legibus ullis datis ab homine, qualis est Pontifex, imò & principes omnes temporales, & quidem à fortiori.

Resp. neg. conf. Nam Pontifex imperat vice Dei, *Dei enim vindex est*, ait idem Apostolus; [2] *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi à Deo: qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*, &c.

Objic. 2. Si leges Papæ obligarent maximè in conscientia; non enim habent potestatem in corpora, & temporalia, id solis principibus temporalibus reservatur; sed nullus homo purus habet potestatem in conscientias; ergo eis nullus imponere potest leges. Prob. ant. homo purus non videt nisi ea, quæ patent, *solus Deus intuetur cor*; ergo & solus habet jurisdictionem in conscientias; nec enim ligare eas potest qui non videt.

Resp. dist. min. & ant. prob. potestatem directam, & ratione actuum purè internorum, conc. min. & ant. prob. indirectam, & mediante actu externo, neg. min. & ant. Papa, nec Ecclesia non imperant directè actus internos, qui ad forum solius Dei spectant, nec directè ligant conscientias, sed actus externos, cum quibus interni habent connexionem, & si subditus negligat actus externos præceptos, videt ipsemet se interiùs peccare, seseque judicat in conscientia, & ab ipsamet conscientia redarguitur.

Obiic. contra 2. p. locum adductum, in quo non limitatur potestas data Petro: ergo tam est pro legibus civilibus, quàm pro canonicis. Prob. ant. ex ipso textu, *Quodcumque ligaveris super terram*: unde canit Ecclesia in laudem Petri, *Tibi tradidit Deus omnia regna mundi*.

Resp. neg. ant. & ad prob. dico, quòd contrarium ex ipsomet textu patet: nàm Christus promittit Petro claves regni cælorum, per quas possit ligare;

[1] *Cor.* 7. [2] *Rom.* 13.

ergo claves illæ, & potestas sunt spirituales, non temporales, quæ per se non ducunt ad regnum cœlorum, sed ad temporale, & terrenum.

Dixi autem in Conclusione, illas leges papales *ligare universam Ecclesiam, seu fideles omnes*, non autem infideles, & non baptizatos, quia non sunt subditi, nisi per baptismum. Unde Apostolus, [1] *Quid mihi de his, qui foris sunt*, & non sunt de Ovili, nec oves Christi? & id declarat ipse Papa in cap. *Gaudemus*, quòd scilicet pagani constitutionibus Canonicis non arctantur.

Hinc ergo sequitur 1. Papam ferre leges pro tota Ecclesia, quæ obligant omnes fideles, etiam extra Concilium; quia, ut dixi, Christus eam potestatem immediatè, & directè soli Petro contulit. 2. quòd mortuo Papa, & sede vacante, dormit, & suspenditur ea potestas universalis ob eandem rationem; ideo Cardinales non dispensant in votis, nec in matrimoniis, nec abrogant, vel condunt leges præcedentium Pontificum. 3. quòd licèt alii Apostoli haberent immediatè à Christo potestatem legislativam; tamen Petrus erat superior illis; an ita sit quoad illam immediationem de successoribus eorum in Episcopalibus, non est hujus loci decidere. 4. potestatem hanc in Papa esse supernaturalem sive ex se, & ex causa efficiente, sive ex fine, ad quem ordinatur, sive ex objecto, & materia, circa quam occupatur, & maximè propter sacramenta. 5. Papam ut Ecclesiæ caput præeminere omnibus aliis potestatibus tam sacris, quàm temporalibus, ut constat ex cap. *venerabilem*, in quo de electione Imperatorum judicat, & electos confirmat, aut reprobat male electos.

CONCLUSIO II.

Legati Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, aliique Prælati jurisdictionem Episcopalem, aut quasi Episcopalem habentes, Abbates quidam, superiores majores, & Capitula regularium possunt leges dare subditis suis; idem est de Conciliis Provincialibus, & nationalibus pro suis Provinciis.

Prob. ex consensu, & praxi totius Ecclesiæ: & ratio

[1] *De Divo.*

tio est, quia illi omnes Prælati sunt verè pastores; ergo possunt regere subditos suos legibus, & statutis convenientibus.

Prob. 2. de legatis ex cap. [1] *nemini*, quod sic statuit: *Nemini dubium esse volumus, quin legatorum sedis Apostolicæ statuta edita in Provincia sibi commissa durent tanquam perpetua, licèt eandem postmodum sint egressi:* & ratio est, quia legatus in sua Provincia est ordinarius, ut constat cap. [2] *legatos commissarum sibi Provinciarum ad instar proconsulum, cæterorumque præsidum, quibus certa sunt decreta Provinciæ moderandæ, ordinarios reputantes.*

Prob. 3. de Patriarchis, & Episcopis ex Scriptura ipsa; nam *ipsos posuit Spiritus S. Episcopos regere Ecclesiam Dei*, & id patet ex usu communi ab omni ævo, & ob rationem allatam.

Prob. 4. de aliis Prælatis, & superioribus, ac Capitulis regularium tum ex Scoto [3] dicente, quod *in religionibus constitutiones, & unius religionis ordinationes alias videns esse honestas, & benè conditionatas potest statuere, ut illæ in ista religione observentur, & obligarent, quia à capitulo generali illius ordinis sunt approbatæ*, & id patet ex constitutionibus nostris Urbanis; [4] *Ut si quid pro temporum varietate denuò statuendum sit, à solo capitulo generali statuatur*, & infrà; *Sancitum est etiam, ut quemadmodum generales constitutiones à solo generali capitulo, ita statuta provincialia à solo provinciali capitulo, seu capitulari congregatione fieri possint.* Hæc tamen potestas habet suos limites, ita ut nihil possit statuere contra jus commune, & aliorum Prelatorum statuta, & ut rationem habeant legum, & perpetuitatem, debent confirmari à Papa, aut ab aliis sublimioribus superioribus, juxta singularum religionum regulas: similiter Episcopi nihil possunt statuere contra jus commune, nec circa res majores; scilicet quę sunt communes toti Ecclesiæ, aut reservatæ soli ejus capiti universali.

Prob. denique de Conciliis, quia legitimè congregata habent eandem auctoritatem cum suo capite; scilicet vel Summo Pontifice, ut generalia, quæ repræsen-

[1] *De offic. legati.* [2] *Exod. in 6.*
[3] 3. *d.* 15. *q.* 3. *D.* 5. [4] *in c.* 1. *tit.* 3. *n.* 3.

sentant totam Ecclesiam, vel Archiepiscopo, vel Episcopo, ut provincialia. Id patet denique ex usu communi, & proprio Ecclesiæ.

Notandum tamen circa regulares, quòd secundum graves Doctores [1] non possunt eorum Prælati, vel Capitula imponere subditis novas leges supra, aut præter regulam approbatam, quam voverunt; quia potestas legislativa illorum est specialis, & fundatur in voluntaria religiosorum subiectione; ergo non potest eis præcipere nisi in iis, inquibus se subjecerunt, scilicet quæ in regula continentur. Ita monent nostræ constitutiones, quòd *legum, ac constitutionum multiplicitas ordinem potius pervertit, quam statuat*; ideò non leviter multiplicandæ sunt leges, nec præcepta.

Quæres, *an Capitula Cathedralia sede vacante possint dare leges*.

Resp. negativè; quia non fuit illis communicata hæc potestas, nec habent plenam potestatem Episcopalem; sed Episcopis succedunt in pura Ecclesiæ administratione.

CONCLUSIO. III.

P*Rincipes supremi, ac communitates perfectè temporales habent potestatem condendi leges civiles, ac temporales in suis regnis, & statibus obligantes in conscientia, non autem pure Ecclesiasticas*. Est communis contra Valdenses, & Anabaptistas, & alios hæreticos, quatenùs negant leges civiles ligare in conscientia christianos.

Prob. 1. ex Scriptura, [2] *Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt*. D. Paulus [3] præcipit, quòd *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi à Deo, qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit; qui resistunt, damnationem sibi acquirunt*; nam *principes non sunt timori boni operis, sed mali*; ergo principes laici possunt dare leges subditis, quibus ligantur etiam in conscientia, & sub pœnam damnationis.

Prob. 2. ex Scoto [4] dicente, quòd *distinctio domi-*

nio-

[1] *Haquet.hic contr.22.* [2] *Prov.8.*
[3] *Rom.13.1.* [4] *4.d.15.q.2.F.n.8.*

niorum potuit esse justa à lege positiva justa, sive lata à Patre, sive à principe, sive communitate justè r. gente, vel regnante, & distinguit duplicem auctoritatem, paternam, & politicam, & in utraque agnoscit auctoritatem juxta legislativam, illam pro familia, istam pro communitate.

Prob. 3. ratione. Principes sæculares, seu temporales habent potestatem regendi subditos in rebus temporalibus; sed hoc non possunt præstare sine legibus, ergo possunt condere leges. Maj. patet ex Scriptura citata: prob. min. non possunt regere subditos sine regulis, quas sequantur in commerciis, seu contractibus &c. ergo nec sine legibus, quæ sunt ipsæ regulæ.

Dices, sufficere legem naturalem, aut divinam positivam.

Contra. Quia lex naturalis non descendit ad singularia: Mosaica verò est abrogata, & Euangelica est principaliter pro spiritualibus, quę salutem æternam, & directionem animarum spectant.

Dixi, *principes supremi*. Nam de ratione legis est, ut à supremo principe feratur, qui superiorem non habeat in illa communitate, in qua lex vigere debet. Quod tamen de principibus feudatariis non intelligitur; isti enim habent potestatem jurisdictionalem, & dominium utile perpetuum; ergo possunt dare leges subditis. Prob. cons. quia leges, & statuta important provisionem circa speciales indigentias populi; ergo qui habet regimen speciale in populum, ut habent principes feudatarii, potest condere leges pro illius populi indigentia, & regimine; alioqui non sufficienter provideretur ei.

Dices. Hinc sequeretur, Episcopos non posse condere leges, quia non sunt supremi, sed subduntur Papæ; ergo vel isti non possunt dare leges suæ Ecclesiæ, vel principes subalterni hoc possunt.

Resp. neg. paritatem; quia Episcopi respectu Papæ comparantur feudatariis, & hoc habent à Deo, ut regant Ecclesiam sibi commissam, principes verò subditi hoc non habent nec à Deo, nec ab Imperatore, vel Rege, sicut habent feudatarii, & alii Principes in Germania sub Imperatore.

Probatur 3. de legibus purè Ecclesiasticis contra hæ-

T 5 reticos

[1] *Ibid. n. 7. E.*

reticos Anglos, quia, ut docet S. Ambrosius; [1] *Imperator* (idem est à fortiori de aliis regibus, & principibus) *Imperator*, inquam, *bonus intra Ecclesiam est, non supra Ecclesiam: & certè si vel scripturarum seriem divinarum, vel vetera tempora tractemus, quis est, qui abnuat in causa fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare*; &c. Unde sic argumentor, &

Prob. 2. ratione. Reges sæculares hanc potestatem haberent vel à natura, vel à lege divina, vel humana; sed à nullo horum habent eam; ergo non habent. 1. non jure naturæ, quia illud non extenditur ad supernaturalia; sed leges Ecclesiasticæ respiciunt bonum supernaturale animarum, nempe salutem æternam; civiles verò bonum naturale, scilicet temporalem felicitatem; ergo potestas dandi leges Ecclesiasticas in rebus spiritualibus non habent reges à jure naturæ.

2. Nec jure divino: nam id pateret ex alterutro testamento; sed in neutro id habetur; ergo non ex jure divino. prob. min. 1. leges omnes veteris testamenti sunt vel in præceptis ceremonialibus, & judicialibus, quæ abrogata sunt per Christum, vel in præceptis decalogi, in quibus nihil tale apparet. 2. multò minus in novo, in quo tam expresse Christus regimen Ecclesiæ commisit Petro, & Apostolis. Unde S. Paulus describens Hierarchiam Ecclesiæ, nullum ibi ponit principem sæcularem; *Et ipse*, inquit, *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii in ædificationem corporis Christi*, &c. ergo ad istos solùm, & non ad seculares potestates pertinet regimen Ecclesiæ.

3. Nec jure ullo humano: nec enim quidquam istud potuisset contra jus divinum; ergo nullo jure humano principes laici habent eam potestatem.

Prob. 3. ex SS. Patribus, qui hanc potestatem principibus, etiam summis imperatoribus constantissimè negarunt, v. g. Chrysost. [2] *Quamquam admirandus videatur thronus regius, tamen rerum terrenarum* admi-

[1] *Conc. Basil. de non dandis hæret. & ep. 13.*
[2] *Hom. 4. & 5. de ver. Isa.*

administrationem sortitus est; *nec præter potestatem hanc præterea quidquam habet auctoritatis*. Et Nazianzenus [1] eos potiùs Ecclesiæ subditos dicit: *Vos quoque lex Christi meo imperio, ac throno subjicit*, &c. Et Athanasius. [2] *Si istud Episcoporum judicium est, quid cum eo commune habet Imperator, quando judicium Ecclesiæ auctoritatem suam ab Imperatore accepit?* Et Hosius [3] apud eundem Athanasium scribebat ad Constantium; *Ne te misceas Ecclesiasticis, sed potiùs ea à nobis disce; tibi Deus imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit.* Et Ambros. [4] dicebat Valentiniano: *Noli te gravare, Imperator, ut putes te in ea, quæ divina sunt, imperiale aliquod ius habere; noli te extollere, si vis diutiùs imperare; esto Deo subditus: scriptum est enim, quæ sunt Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari.*

Dices cum hæreticis, SS. Patres loqui de potestate in altari, in Cathedra, & confessionali. Sed contra. Nam loquuntur generaliter, & indefinitè de omnibus, quæ spectant ad religionem.

Prob. 4. ex communi, & perpetua praxi Ecclesiæ, ut facile esset ostendere. Videndi sunt controversistæ Theologi; nam distingui solet triplex in Ecclesia potestas. 1. *ordinis* ad sacramenta conferenda, & conficienda. 2. *actionis*, seu *fori interioris*, scilicet ad regendos fideles in foro conscientiæ ligando, vel solvendo, seu absolvendo. 3. *jurisdictionis exterioris*; convocando synodos, eis præsidendo, ministros Ecclesiæ destinando, & instituendo, beneficia conferendo, & erigendo, dogmata fidei definiendo, &c. priores duas non negarunt hæretici solis inesse Ecclesiasticis, sed 3. soli Christo, & Principibus, ac Magistratibus sæcularibus tribuunt sub fundamentis sequentibus.

Objic. 1. Potestas sacerdotalis erat subjecta regibus in veteri lege; ergo & in nova, quia nihil quoad hoc innovavit Christus: & constat ex historiis, quòd Imperator deposuit Pontifices. Prob. ant. Nam Deus jubet, [5] ut *Rex postquam sederit in solio regni sui*

[1] *Orat. ad cives*. [2] *Ep. de vita solit.*
[3] *Ep. ad Marcel.*
[4] *Orat. con. Auxent.*
[5] *Deuter. 17.*

sui, *describat tibi Deuteronomium*, *legatque illud omnibus diebus vitæ suæ*, &c. Et David [1] senex convocat concilium: *Sacerdotes*, *&* *Levitas eligit ex istis*, *qui distributi sunt in ministerio domus Domini*. &c. Salomon [2] deposuit Abiathar, & loco ejus posuit Sadoch. Josaphat [3] constituit Levitas, & Sacerdotes. Idem fecit Ezechias, [4] idem & Josias. Idem notatur in novo testamento: nam Hadrianus concessit Imperatori Carolo Magno facultatē eligendi Papam, & Constantinus commisit Malchiadi judicium in causa Felicis, quod etiam præstitere plures alii, ut Theodosius, Marcianus, Leo, & Honorius; ergo Principes, & Magistratus sæculares habent jurisdictionem in Ecclesiam; ergo & leges Ecclesiasticas ferre possunt.

Resp. 1. neg. cons. nam licet apud Judæos sacerdotes fuissent subditi regibus, id non sequitur apud Christianos, tunc enim Sacerdotiū erat magis temporale, & nunc magis spirituale; tunc regnum erat sacerdotale, nunc verò sacerdotium est regale. Præterea lex illa fuit antiquata per novam; unde non valet consequentia de illa ad istam.

Resp. 2. neg. ant. nec enim ullibi apparet, quòd sacerdotes in ministerio suo essent subditi regibus, ita ut isti possent se se ingerere in illorum ministerio; sed ad summum subdebantur regibus in civilibus, politicis, & criminalibus, Ideò Josaphat præcipit; [5] *Amazias sacerdos Pontifex vester in omnibus*, *quæ ad Deum pertinent*, *præsidebit*, quod maximè patet ex historia Samuelis, & Saulis. Ad prob. etiam nihil ex illis historiis, & textibus colligitur ad propositum. Deuteronomium facit pro nobis; nam rex quidem habere, & legere debebat legem, sed eam accipiebat à sacerdote, *Accipiens exemplar à sacardotibus levitici generis*. Et prȩterea si ex obligatione legendi legem nasceretur potestas in Ecclesiam apud hereticos omnes plebeji prȩeminerent sacerdotibus, & dominarentur clero, quia possunt, aut debent legere bibliam. Ex Davide nihil infertur rectè: nam licèt convocaril omnes principes populi, & sacerdotes, & Levitas, ibi nihil actum circa fidem, & sacrificia, vel disciplinam sacram. Quoad Salomonem, ejecit Abiathar, *cùm non esset*

[1] 1. *Paralip*.23. [2] 2. *Reg*.6. [3] 2. *Paralip*. 18. [4] *Ibid*.*c*.22.*&* 23. [5] 2. *Paralip*.19.

stet sacerdos Domini, ut impleretur sermo Domini. Hoc ergo fecit ut minister, non ut Dominus. Et quoad alios reges, non instituebant Sacerdotes, & Levitas, sed designabant, nominabant, & presentabant in ministeriis, ut etiam hodie faciunt reges in Episcopatibus, & plures laici patroni beneficiorum, ex quo nulla sequitur jurisdictio illorum in Ecclesiam.

Denique si qui Reges, vel Imperatores aliqua similia, aut majora attentarunt in Ecclesia, vel iniquè gesserunt, vel id fecerunt ministerialiter, & ut defensores, ac tutores, & ministri religionis, & executores sacrorum Canonum, non ut Domini, vel Judices, quod professi sunt religiosiores: & de Carolo Magno [1] legitur, qui sic protestabatur: *Si Ecclesiarum Dei servis munificentiam nostram impertimur, eorumque studiis libenter obsequimur* (nota verbum obsequendi, non dominandi) *id nobis ad Augustalis Excellentiæ culmen proficere credimus*. Et id solemnius professus est coronam accipiens imperii à Leone Papa, *Spondeo utique, polliceor ego Carolus Imperator coram Deo, & B. Petro Apostolo, me protectorem, ac defensorem fore hujus S. Rom. Eccl. quatenus divino fultus fuero adjutorio*, &c. & simili formula juramenti utuntur omnes Reges Catholici in sua auguratione, scilicet se religionis, & Ecclesię defensores futuros. Unde S. Ambrosius ad Imperatorem scribens ait: [2] *Quid est honorificentius, quam ut Imperator dicatur filius Ecclesiæ? Imperator enim bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est*. Adriani factum nihil probat: nam si idem Imperator nominavit Papam, id non fecit imperatoria, sed pontificia auctoritate sibi commissa. De facto autem hoc valde dubitant historici. Constantinus verò potiùs remisit Donatistas, & Felicis causam ad Melchiadem, [3] quàm commisit: ideò conquestus est, quòd ad ipsum appellassent. *O valida furoris audacia!* inquit, *sicuti in causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt*. In hoc verò se intermiscuit negotio, ut compesceret Donatistas, qui Episcoporum, & Papę iudicium recusabant, ut notat Aug. [4] & ipse Imperator ingenuè profitetur, quòd

[1] *Sigon. hist. tit. 6. l. 4. n. 40.*
[2] *Epist. 32. ad Valentin.*
[3] *optat. l. 1. con. permii.* [4] *Ep. 162.*

quod *Deus vos constituit sacerdotes, & potestatem dedit de nobis quoque judicandi, & ideò nos à vobis rectè judicamur, vos autem non potestis ab hominibus judicari*. Idem dicendum de aliis Imperatoribus. Sed de hoc satis.

Habes igitur ex tota disputatione causas legis in communi, *materialem*, res honestas, unde illius justitia; *finalem*, bonum commune: *formalem*, modum, & promulgationem; *efficientem*, auctoritatem publicam, & supremam; ad species descendimus.

DISPUTATIO VII.

De legibus in particulari, & primo de lege naturali.

DIximus legem primò dividi in *naturalem*, *positivam*. Unde patet, quòd *naturalis* est prima species legum, & sic ordo postulat, ut ab ista incipiamus tractatum de legibus singulis. Sit igitur

QUÆSTIO I.

An, & quid sit lex naturalis.

EXistentiam legis naturæ non est, qui neget, aut negare possit, nisi se exlegem, & irrationabilem fateatur, & de illis, de quibus dicebat Apostolus, [1] quòd *obscuratum est insipiens cor eorum, & tenebris obscuratum habentes intellectum, alieni fiunt à via Dei per ignorantiam*.

De hac lege loquuntur SS. PP. passim, ut August. [2] *Manus nostri formatoris in ipsis cordibus nostris veritas scripsit*, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: *hoc, & antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est, ut esset unde judicarentur, & quibus lex non esset data; sed ne sibi homines aliquid deesse quererentur, scriptum est & in tabulis, quod in cordibus non legebant*, &c. quod etiam disertè habet S. Bernardus: [3] *Homo innatam, nec ignotam sibi legem habet, quæ facien-*

[1] Rom. 1. [2] in ps. 57.
[3] l. de dilig. Deo.

facienda, ac prosequenda, quæve fugienda sint interiùs dictante ratione demonstrat, quam utique legem habemus scriptam in cordibus nostris, quo fit, ut gentes, quæ legem (Mosaicam) *non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciant*, &c.

Patet etiam ex Scriptura : nam ille locus Apostoli hoc probat evidenter : [1] *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, & ipsi sunt sibi lex, & ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*. Et David : [2] *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona ?* Quæ interrogatio quotidiana *est omnium stultorum, atque impiorum*, inquit Aug. respondet, [3] *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, per quod lumen communiter intelligunt Theologi legem naturæ. Et ratio id suadet, quia nisi Deus indidisset legem, & regulam, cujus ductu in finem nostrum possemus tendere, minùs benè nobiscum egisset, quàm cum cæteris creaturis, siquidem vires, & inclinationes illis indidit, quibus eant in bonum suum: ergo & nobis.

Quantò autem nota, & certa est legis naturę existentia, tantò ignota, & incerta est eius quidditas, & essentia, quod liquet ex opinionum varietate, & definitionū ejus diversitate, quæ ferè æquat doctorum numerum : nos, quid verisimilius videatur, dicemus breviter.

Suppono autem, quòd lex naturalis sumi potest 1. *objectivè* pro regula practica æternę veritatis habentis primum esse ideale formale objectivum in mente divina, quæ est liber lucis æternæ continens omnes veritates practicas æquè, ac speculativas ex terminis notas. 2. pro *actu formali* divinæ mentis, quo judicat practicè de illis operabilibus ex natura rei necessariis ante omne decretum suæ voluntatis, unde talia principia sumunt rationem legis omnibus observandæ, in qua nulla fieri potest mutatio, nec dispensatio ne quidem divinitùs. 3. pro *esse objectivo*, quod habent illæ veritates in intellectu nostro. 4. *pro actu formali* intellectus nostri simpliciter practico, quo lumine rationis naturalis judicamus hanc legem esse necessariam regulam nobis sequendam. In his omnibus sensibus vocari etiam potest *æterna*, id est *æterna*

[1] *Rom.* 1. [2] *ps.* 4.
[3] *Ibid.*

næ veritatis, prout judicatur nota ex terminis, & ex lumine naturali mentis. Hæ quatuor acceptiones legis naturæ valde notandę ſunt ad rectè explicandam eſſentiam ejus, & maximè juxta Scotum.

Porrò natura rationalis ſpectari poteſt vel 1. *ſecundum ſe*, & in ratione talis entis, cui conveniunt aliqua, & diſconveniunt alia, vel 2. pro ut de hujuſmodi convenientibus, & diſconvenientibus judicare poteſt per lumen rationis ſuæ, & hoc vel oſtendendo practicè, & purè quid ſit agendum, vel vitandum, vel id oſtendendo cum obligatione conformandi ſe illi judicio, & iſtud maximè eſt de ratione legis, quia eſſentialiter habet vim obligandi, & ideò eſt pręceptiva. Quæritur ergo, in quo conſiſtat formalis ratio, & eſſentia legis naturæ.

CONCLUSIO.

Lex naturalis non eſt præcisè natura rationalis, nec ipſum lumen naturale, vel ipſa ratio humana, ſeu intellectus.

Prob. 1. ex Scoto dicente, [1] quòd *de lege naturæ eſt verum practicum ſimpliciter notum lumine rationis naturalis, & ibi potiſſimum locum tenet principium practicum notum ex terminis; ſecundariò autem eſt de lege naturæ, quod regulariter conſonum eſt legi naturæ primo modo dictæ*. Et alibi dicit, [2] quòd propriiſſimè *de lege naturæ eſt principium practicum per ſe notum, & concluſio demonſtrativè deſcendens ex tali principio: Secundariò autem de lege naturæ eſt verum evidenter conſonum talibus principiis*; ex quibus textibus apertè conſtat legem naturæ non conſiſtere præcisè in ullo ex his.

Prob. 2. quoad 1. p. quia lex eſt regula; ſed natura rationalis non tam eſt regula, quàm regulata, aut regulanda; eſt enim ipſi legi ſubjecta; ergo non eſt ipſa lex formaliter.

Confir. quia actus mali tam ſunt à natura rationali, quàm boni; ergo ipſa præcisè natura rationalis non eſt lex, id eſt ratio, cur ſint boni, vel mali, ſed aliquid aliud ab ea.

Prob.

[1] 4.d.33.q.1.G.n.7.
[2] 4.26.F.n.7.

Prob. 2. p. de intellectu, seu lumine rationis in actu primo, istud enim lumen non aliter dici potest lex naturalis, nisi quia per ipsum nobis repræsentatur lex ut obligans ad agendum, vel vitandum; sed hoc non facit ut ipsum lumen, vel intellectus sit lex; ergo lumen, vel ratio naturalis in actu primo non est ipsa lex. Prob. min. nam intellectus, seu ratio, & lumen naturale se habet ut præco intimans legem, & dirigit nos per modum cognitionis legis; non verò per modum legis, promulgatio autem legis non est lex propriè loquendo.

Objic. 1. contra 1. p. Natura rationalis secundum se præcise est fundamentum, & mensura honestatis, vel inhonestatis actuum, & ea posita ponitur lex naturalis, & ea sublata tollitur; ergo in ipsa consistit formaliter illa lex. Prob. antec. quæcumque præcipiuntur decent naturam rationalem, & quæ prohibentur, dedecent illam; ergo ipsa est mensura, & fundamentum honestatis, & ea posita ponitur lex.

Resp. neg. conf. Neque enim fundamentum, & mensura legis est ipsa lex, ut patet in lege positiva: nam publica quies, & salus est fundamentum, & mensura omnis legis politicæ, & tamen ipsa non est lex; ergo idem est de natura rationali.

Inst. Lex naturalis est prima regula bonitatis, & malitiæ actuum humanorum; sed hoc dicitur de ipsa natura rationali in se; ergo est lex ipsa naturalis: prob. min. ille actus dicitur bonus, qui decet naturam rationalem, & malus, qui dedecet; ergo natura rationalis est prima regula actuum humanorum.

Resp. dist. min. & ant. prob. prima regula fundamentalis, conc. min. & ant. formalis, neg. min. & ant. lex, & regula morum fundatur quidem in natura rationali, sed hæc non est eorum formalis regula præcipiens, aut vetans.

Objic. contra 2. Scriptura, & Patres, & Philosophi dicunt legem naturalem esse luminis divini participationem; *Signatum est super nos lumen*, &c. & eam esse scriptam in cordibus nostris, & innatam; sed nihil tale habemus præter lumen rationis, seu rationem ipsam, & intellectum; ergo illa ratio est formalis lex naturæ. prob. ant. *Gentes, quæ legem* (positivam) non

non habent, ipsi sunt sibi lex, ostendunt opus legis scriptum in cordibus.

Confir. 1. ex SS. Patribus; *Illa lex*, inquit S. Ambrosius, [1] *non inscribitur, sed innascitur, nec aliqua percipitur lectione, sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur*: idem docet S. Maximus, [2] *Lex naturæ est ratio naturalis, quæ captivum tenet sensum ad delendam vim irrationalem*. 2. ex Philosophis: nam *est quidem vera lex recta ratio naturæ congrua, diffusa super omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium jubendo, vetando à fraude deterreat*, inquiunt.

Resp. neg. conf. Nam Scriptura loquitur de lege radicaliter, non formaliter, & in rigore Scholastico: & SS. Patres sæpè illam legem confundunt cum synderesi, & conscientia: unde Apostolus subdit: *testimonium illis reddente conscientia ipsorum*, licèt conscientia, & synderesis multum differant, ut patet ex dictis.

Objic. 3. contra easdem partes: Lex naturalis ea est, quæ innata est omni homini, estque inseparabilis à natura, & ratione; ergo nihil est distinctum à natura rationali, aut ratione. prob. ant. nam manet in pueris, & amentibus: ergo &c.

Resp. dist. ant. inseparabilis quoad radicem, & remotè, seu fundamentaliter, & in actu primo, conc. ant. formaliter, proximè, & in actu secundo, neg. ant. utrumque: nec enim formaliter, nec in actu secundo remanet in pueris, & amentibus, habent intellectum, & rationem, sed ligatam, & actualiter incapacem iudicandi, & agendi conformiter ad dictamen ipsius rectæ rationis.

CONCLUSIO II.

Lex naturali non consistit in actu ullo positivo divinæ voluntatis præcipientis, aut prohibentis.

Prob. 1. Quia præcisò quovis actu divinæ voluntatis circa creaturas, adhuc intelligeretur esse lex naturalis: ergo hæc non consistit in ullo tali actu. Prob. ant. præcisa quacumque Dei jussione, verum est dicere quòd ejus amor est bonus, & à nobis eliciendus, & odium ejusdem malum, & vitandum, sed

[1] *L.9.Ep.71.* [2] *Cent.5.c.13.*

ſed non poſſet eſſe, niſi ex lege naturæ; ergo haberetur lex naturæ præciſa omni juſſione voluntatis divinæ: minor patet, nec enim eſſent mala ex ulla lege poſitiva, ut ſupponitur. prob. maj. patet enim ex terminis cuilibet utenti ratione, quòd malum eſt odiſſe Deum, & bonum eſt illum amare, ſicut ſuppoſita juſſione, malum eſſet non obedire, quia ex terminis per ſe notum eſt, malum eſſe non obedire Deo jubenti; alioqui etiam ſuppoſita juſſione adhuc ille amor non eſſet neceſſarius, nec odium illud malum, quòd ſic probo: Præciſa omni juſſione divina præcipiente obedientiam, malum eſſet non obedire illi jubenti; ergo juſſio non facit, ut inobedientia mandatis ejus ſit mala, ſed lex purè naturalis, quæ eſt prima, & fundamentalis regula bonitatis, aut malitiæ.

Prob. 2. Quia omnis juſſio Dei eſt vel neceſſaria, vel libera contingenter; ſed neutra facit legem naturalem; ergo hæc non conſiſtit in illo actu: minor patet ex præcedenti; nam ideo Deus aliqua neceſſaria præcipit, aut prohibet, quia in eis præſupponitur ratio juſſionis, aut prohibitionis, quæ non eſt in aliis, quæ non ſic jubet, aut vetat; ſed hæc ratio nihil poteſt eſſe aliud, quàm lex naturæ; ergo hæc non conſiſtit in juſſione illa. Prob. min. per legem enim naturæ nihil intelligimus aliud, quàm rationem, & regulam, à qua per ſe primò, & præciſa omni juſſione, vel prohibitione actus eſt malus, aut bonus; ſed illa ratio, quæ præſupponitur juſſioni neceſſariæ Dei, talis eſt; ergo eſt lex naturæ potiùs, quàm juſſio.

Denique per legem naturalem omnes intelligunt illam, quæ naſcitur ex natura rerum, & innata eſt omni creaturæ rationali antecedenter ad omnem actum poſitivum; & in hoc diſtinguitur ab omni lege poſitiva ſive æterna, ſive temporali divina.

Confir. Quia ex omnium ſenſu, & ex Scriptura ipſa lex naturæ eſt in nobis ſcripta in cordibus noſtris; juſſio autem Dei, & omnis actus ejus in ipſo eſt, & quidem ab æterno; ergo lex naturæ non conſiſtit in illo actu.

Objic. 1. Si lex naturæ non conſiſteret in illa juſſione divina ſaltem partialiter, conſiſteret in judi-

cio

tio rationis; ſed hoc eſt falſum; ergo conſiſtit in juſſione illa. prob. min. 1. quia illud judicium non eſt præceptivum, nec per ſe obligativum ex parte ullius ſuperioris, quod tamen eſt de eſſentia legis. 2. judicium illud prærequiritur in omni lege etiam humana, & tamen non eſt de eſſentia ejus. 3. quia lex hæc eſſet in Deo, quatenus etiam habet ſimile judicium de aliqua re à ſe facienda, & 4. poſſet eſſe non ſolum in quolibet ſuperiori, ſed etiam in inferiori, vel æquali; in his autem non eſt poteſtas legislativa; ergo lex naturalis non conſiſtit in judicio rationis de bonitate, ac malitia actuum.

Reſp.1.neg.maj.poteſt enim in alio conſiſtere,quàm in tali judicio, ſaltem formali, ut dicemus.

Reſp.2.neg. min. & ant.1. probationis: nam illud judicium de bonitate neceſſaria ſufficienter obligaret; v. g. judicium de neceſſitate amoris Dei ſufficienter obligaret ad illum actum. Ad 2. neg. conſeq. quia ſi ſupponeret aliam legem, ut in lege humana, jam illud non eſſet lex, ſed præco legis. Idem eſt de 3.conſ. nam quòd Deus habeat non tantùm judicium, ſed etiam decretum æternum de actibus ſuis in tempore, non ſequitur, quòd ſibi leges imponat propriè,& quòd illis ſubjiciatur. Denique in quocumque eſſet illud judicium, ſi eſſet illi præceptivum, eſſet ipſi lex.

Objic. 2. Quod eſt contra legem naturæ debet eſſe contra voluntatem alicujus ſuperioris, ſed præciſa juſſione Dei nihil fieret in natura contra voluntatem ullius ſuperioris; ergo nec contra legem naturæ: maj. patet; nam lex, per nos, eſt actus voluntatis in ſuperiore. prob. min. nullus enim eſt ſuperior ad legem naturæ præter Deum; ergo præciſa juſſione Dei, nihil fit in creatis contra ejus voluntatem.

Reſpondeo neg. maj. id enim verum eſt in legibus poſitivis, quas diximus conſiſtere principaliter in juſſione, vel prohibitione cum intentione obligandi, ſed non in lege naturali, quæ in hoc differt à poſitivis.

Inſt. ex Auguſt. [1] peccatum deſcribitur *dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam*; ſed ex eodem, *lex æterna eſt ratio, vel voluntas Dei*; ergo vel non peccatur contra legem naturæ, vel hæc con-

[1] 22. *con. Fauſt. c.* 27.

consistit in jussione aliqua voluntatis alicujus superioris, & maximè Dei. Item prob. ex alio loco, ubi dicit, [1] quòd *neque peccatum erit, si quid erit, si non divinitùs jubeatur, ut non sit; quomodo peccatum dimittitur per Dei misericordiam, si peccatum non est? aut quomodo non vetatur per Dei justitiam, si peccatum est?* & denique ex Apostolo; [2] *Ubi non est lex, nec prævaricatio;* ergo lex naturalis est in aliquo actu voluntatis divinæ.

Resp. neg. conf. Nam aliud est, quòd omne illud sit peccatum, quod est contra legem æternam, & prohibitionem, & illud verissimum est; aliud, quod nihil sit, vel possit esse peccatum, quod non prohibeatur per actum positivum æternum, qui sit lex naturalis, & istud negamus: nam, ut diximus; præcisa quacumque prohibitione positiva Dei, odium Dei esset peccatum, & teneremur amare Deum. Locus autem Apostoli non facit ad rem; ubi non est lex naturalis, aut positiva, nec prævaricatio, quid inde? lex naturæ est vera lex.

Inst. 2. Ex S. Ambros. [3] peccatum est prævaricatio divinæ legis; ergo ubicumque est peccatum, ibi est prævaricatio Dei jussionis sive in lege naturali, sive in positiva.

Resp. neg. conf. ob eandem rationem. 1. quia potest dici ad mentem S. Ambrosii esse, quòd etiam lex naturalis sit lex Dei, quia est auctor naturæ, 2. quia quidquid est contra Dei legem est peccatum, sed non è contra, saltem necessariò, sic quin posset esse peccatum sine explicita, & positiva prohibitione Dei.

Objic. 3. Nihil prohibetur lege naturali, quod non prohibeatur etiam à Deo per jussionem positivam suę voluntatis; ergo lex ipsa naturalis in tali actu consistit.

Resp. neg. conf. Nam ut idem actus potest prohiberi, aut præcipi diversis legibus, ac præceptis, ex eo quòd Deus præcipiat, aut vetet, quæcumque lex naturalis præcipit, aut vetat, non sequitur, quòd non sit lex distincta à lege positiva Dei.

CON-

[1] *2. D. pecc. mer. c. 16.* [2] *Rom. 4.*
[3] *De parad. c. 8.*

CONCLUSIO III.

Lex naturalis præcisè, & formaliter est ipsum verum practicum fundatum in rebus ipsis, & ex terminis simpliciter notum lumine rationis naturalis, atque obligans ad faciendum, vel non faciendum independenter ab omni præcepto divino, vel humano.

Prob. 1. ex Scoto [1] jam citato. *Aliquid est de lege naturali dupliciter. 1. quod est verum practicum simpliciter notum lumine rationis naturalis; & ita potissimum gradum tenet principium practicum notum ex terminis. 2. gradum tenet conclusio demonstrata ex talibus principiis; secundario autem est de lege naturæ, quod regulariter consonum est legi naturæ primo modo dictæ:* Vides conceptum, quem damus de lege naturæ, esse ferè in terminis conformem doctrinæ Scoti. [2] Item, *Lex naturæ est lex descendens ex primis principiis notis in agibilibus. Talia sunt quædam principia practica nota ex terminis, quæ sunt quædam seminaria, ad quorum veritatem naturaliter inclinatur intellectus ex terminis, & ad assentiendum tali dictamini inclinatur voluntas naturaliter ex talibus principiis.*

Prob. 2 Quia non potest meliùs explicari, in quo consistat; ergo &c. Nam illud est formaliter lex naturalis, à quo actiones istæ habent primò per se, & independenter ab omni actu positivo divino, vel humano esse bonæ, aut malæ; seu prohibitæ, aut præceptæ; sed hoc habent à jure illo, quod ex rebus ipsis nascitur in intellectu nostro; ergo in illo consistit propriè lex naturalis: maj. patet, quia per legem naturalem omnes intelligunt eam, à qua actiones nostræ habent esse bonæ, aut malæ de se independenter ab omni voluntate divina, vel humana. prob. min. hoc ipso quòd illud jus sic nascitur in nostro intellectu, cognoscimus evidenter actionem aliquam de se præcipi, aut prohiberi ex se, & ex natura rei, ita ut sit malum eam omittere, si agnoscitur ut præcepta, vel committere, si prohibita, quæ cognitio habet rationem promulgationis.

Dicitur ergo 1. *verum practicum*, ad differentiam prin-

[1] 3.*d.*37.*q*.1.*G.n*.7. [2] 3.*d*.37.*n*.2.

principii, seu veri speculativi, quod convincit quidem intellectum, sed non inservit per se ad dirigendam voluntatem in ordine ad bonum, vel malum morale. 2. *fundatum in rebus ipsis*, ad differentiam legis, seu juris positivi, quod fundatur proximè in voluntate, seu jussione superioris. 3. *ex terminis simpliciter notum lumine naturali rationis*, id est convincens intellectum, adeo ut illi necessariò assentiatur, & judicet esse verum, & sic non tantum includit prima Principia moralia, sed etiam conclusiones ex illis evidenter deductas. 4. *obligans ad faciendum, vel non faciendum*; non enim quæcumque apparent bona, ea sunt ex lege naturę, sed tantum ea, quę apparent de se bona facienda, ita ut si non fiant, peccetur; alioqui etiam quę cadunt tantùm sub consilium, essent de lege illa. Debent ergo agnosci ut bona facienda, vel ut mala vitanda, ita ut peccetur, si non fiant illa bona, aut si fiant illa mala. 5. denique *independenter ab omni præcepto divino, vel humano*, ut distinguatur ab omni lege positiva.

Objic. 1. Lex naturalis dicitur in Scriptura, & Patribus *nobis innata, indita, insita, & immobiliter permanens*; sed hęc prędicata non conveniunt illi *vero practico*, seu *juri*; ergo non est lex naturalis. min. patet: nam illud *jus verum*, ex Scotistis, consistit in propositionibus objectivis, & oritur ab ipsa natura rerum, ipsisque potius inhęret, atque intellectui divino, à quo est principiativè, velut ab ejus institutore: prob. maj. *Gentes, quæ legem non habent, ipsi sunt sibi lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*. Et, *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. Et, *Lex Dei mentem nostram incendens*, inquit Damascenus, [1] *eam ad se protrahit, conscientiamque nostram vellicat*, quę & ipsa mentis nostrę lex dicitur: & ut docet S. Aug. [2] *Quis legem naturalem scribit in cordibus nostris, nisi solus Deus?* & S. Ambros. dicit, [3] quòd *ea lex non scribitur, sed innascitur, nec aliqua percipitur lectione, sed profluo quodam natura fonte in singulis exprimitur*: & ut Lactantius scribit, [4] *est vera lex recta ratio naturæ congruens, diffusa in omnes, congrua, sempiterna, quæ vocet*

[1] *L.4.c.23.de fide*. [2] 2. *de ser.dom.*
[3] *L.5.ep.41.* [4] *l.6.c.28.instit.*

vocet ad officium jubendo, vetando, &c. ergo ex Scriptura, & Patribus lex naturalis est nobis innata, immobiliter stans, non autem verum practicum relucens in rebus, vel actibus ex natura rei.

Respondeo dist. maj. est innata, & permanens, quatenus vis, & inclinatio eam cognoscendi est innata menti nostrę, quę parata est, & disposita ad eam agnoscendam, & promulgandam, conc. maj. & neg. min. innata, seu quasi adhęrens per modum habitus, vel actus, aut facultatis, neg. maj. & hoc sensu intelligenda sunt loca illa, & similia, Scripturę, & Patrum; nec enim ad litteram possunt intelligi, nec in ipsa natura rationali, in qua Vasquez ponit legem: nec in ipso intellectu, & ratione: in qua eam ponit Aversa, nec in actu rationis, sive intellectus, ut vult Suarez; nec in habitu ullo infuso, vel acquisito, ut volunt alii: nam hæc non sunt innata, vel insita cordibus. Apostolus dicit, *gentes facere, quæ legis sunt*, absque auxilio legis Mosaicæ, sed solo naturali lumine, ac Dei auxilio interiori, & hoc sensu *sibi ipsis sunt lex*. David loquitur de lumine, quo proponuntur nobis bona facienda, & sic ille locus non est ad rem. Damascenus tam potest intelligi de vero objectivo, & practico, quàm de natura rationali, vel de intellectu, vel cognitione, vel habitu ullo: tam enim *verum* illud, & *jus* illud ut propositum, & lumine naturali notum *vellicat conscientiam, mentem incendit, & attrahit*, quàm ullum ex his; imò, & magis dicitur de illo, quàm de istis; natura enim rationalis, nec intellectus *non vellicat mentem*, cùm sit ipsa mens, sed potius ipsa *vellicatur*. Ita etiam illud verum rectè dicitur *scribi in cordibus nostris* per hoc, quod illis connaturalis est ejus cognitio absque studio, vel labore, sed simplici naturalis luminis ope. Eodem sensu loquitur S. Ambros. Lactantius loquitur post Ciceronem, & recte intelligi potest de ratione objectiva, quale est *verum* istud *practicum*, seu *jus*.

Constet igitur, legem naturalem rectè explicari per illud *jus*, quod intimatur singulis hominibus, & obligare incipit eodem ipso tempore, quo habent usum rationis: tunc enim per hanc legem discernunt inter bonum, & malum, & hic usus rationis est talis *juris*, ac legis intimatio, seu promulgatio, de qua videtur

detur loqui Apostolus dicens: *Ego vivebam sine lege aliquando, sed cùm venisset mandatum, peccatum revixit*, id est *tempus intelligentiæ appetentis bona, & vitantis mala*, tunc peccatum reviviscere incipit, & homo reus esse peccati.

Verum igitur, seu *jus* illud, quod dicimus formaliter esse legem naturalem, continetur in propositionibus illis generalibus, & practicis, & objectivis, ad quas respiciens ratio naturalis videt, quæ agere, & prosequi debeat, aut fugere, & omittere, & quædam generalissimæ sunt, ac primæ, per se immediatè, & ex terminis simpliciter notę, & consensum extorquent ab intellectu sano, ut, *Bonum amandum, malum odiendum; Deus colendus; parentes honorandi*; aliæ sunt magis particulares; & ex illis primis deducuntur, ut conclusiones per discursum elicitæ, ut indissolubilitas matrimonii, inquit Scotus; hæc enim supponit contractum matrimonialem; fidelitas, & castitas conjugalis, &c. & istæ, ut dicebamus, non tam facilè, nec tam universaliter ab omnibus capiuntur, egent aliquo discursu, sed tamen pertinent ad hanc legem, ex qua obligarent per se, & ex natura sua, licèt de iis nulla alia jussio positiva extaret.

QUÆSTIO II.

An lex naturalis sit præceptiva. Et unde habeat vim obligandi, & quomodo obliget.

VIdimus legem dici à ligando, & esse de ratione illius generica, ut obliget ad id faciendum, quod jubet, & vitandum, quod vetat, idque sub aliqua pœna, & ideò cùm lex naturalis sit vera lex, debet in hoc convenire cum aliis speciebus legum, ut sit præceptiva, & obliget ad ea servanda, quæ præcipit, sub aliqua pœna, quam incurrunt transgressores. Quidam putarunt eam tantùm esse ostensivam, & indicativam boni, aut mali, & si præceptiva sit, quæritur à quo superiore præcipiatur.

CONCLUSIO I.

L*Ex naturalis non tantùm est indicativa boni, & mali, sed etiam præceptiva, & obligativa*. Est communior.

Prob. 1. ex Scoto [1] qui semper supponit hanc legem obligare, ut cùm docet eam oblgare *ad indissolubilitatem vinculi conjugalis præmisso tali contractu*: & quòd *minùs obediunt homines soli legi naturæ, quàm Deo præcipienti, quia minùs timent conscientias proprias, quam auctoritatem divinam*. Vides legem naturalem obligare conscientias hominum, licèt eam obligationem faciliùs contemnant, quàm quæ ex positiva lege venit.

Prob. 2. ex Scriptura, qua dicitur, [2] quòd *gentes, quæ legem non habent positivam, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, scilicet testimonium illis reddente conscientia ipsorum, & cogitationum inter se invicem accusantium, & defendentium*; nam illud testimonium conscientiæ nihil est aliud in gentilibus, quàm dictamen rationis naturalis ex præscripto hujus legis. Item, *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*. Hæc igitur prohibentur lege naturæ, & sunt omnibus nota, & obligant in conscientia.

Confir. ex Patribus, maximè ex D. Basilio [3] *Postquam ratio ad perfectum venit*, inquit, *tunc fit, quod scriptum est, adveniente mandato peccatum revixit; ego autem mortuus sum. Oriuntur namque carnis affectionibus cogitationes animis nostris ingenitæ. Revera namque ubi mandatum venit, hoc est cognitio bonorum, si pravæ cogitationi non fueris dominatus, sed rationem permiseris ab affectibus captivari, revixit quidem peccatum, at mens morti succumbit peccatis mortificata*. Idem docet S. Hieron. [4] *Cum mandatum venerit, hoc est tempus intelligentiæ appetentis bona, & vitantis mala, tunc incipit peccatum revivíscere, & homo mori, reusque esse peccati*; ergo ubi rationis usu nobis intimantur præcepta naturæ hæc

[1] 4.*d*.26.*H*.*n*.9. [2] *Rom*.2.
[3] *in ps*. [4] *Ep. ad Algas*.4.8.

hæc obligant in conscientia, & sub pœnam peccati tunc autem ratione uti incipimus, & legis naturæ præcepta agnoscere, cum saltem alicujus principii universalis practici cognitionem habemus, tunc, inquam, lex illa incipit nobis promulgari, & actu obligare.

Dico, *universalia principia*, v. g. *Omne malum fugiendum*, & *omne bonum est amandum*: nam hæc & similia statim omnibus ex terminorum sola, & simplici apprehensione innotescunt, magis autem particularia, nec tam facilè ab omnibus agnoscuntur, ut istud, *Omne depositum est reddendum*.

Prob. 3. ratione jam data. Nam de ratione veræ legis est, ut obliget subditos, quibus datur, & intimatur ad ejus observantiam; sed lex naturæ est vera lex: ergo verè obligat omnes homines ratione utentes, quia pro eis datur, & illis intimatur ipso lumine rationis.

Prob. 4. ratione Scoti. Nam, ut diximus, lex naturæ est verum practicum, non autem speculativum; sed verum practicum est verè præceptivum; est enim directivum praxis, seu operationis humanæ, ut patet ex dictis in Logica; ergo lex naturalis est præceptiva. Prob.maj. lex naturalis exprimitur modo imperativo, non verò purè speculativo, v. g. *Honestum est prosequendum*, & *turpe est vitandum*; *Deus est amandus*: *quod tibi non vis fieri*, *alteri ne feceris*, &c. ideoque dicitur esse de necessariò operabilibus, vel vitabilibus.

Objic. 1. Lex præceptiva pendet, & accipit vim obligandi à voluntate legislatoris; sed id non potest dici de lege naturali; ergo hæc non est propriè præceptiva. Prob. min. quia id spectat ad solam legem positivam. 2. quia omne præceptum est vel ab homine, vel à Deo; sed neutrum dici potest de hac lege; si enim esset ab homine, esset humana; si autem esset à Deo, esset divina, æterna, aut temporalis, ergo non potest esse ab ullo superiore. Et id patet ex definitione nostra legis naturalis, ubi diximus, eam obligare antecedenter, & independenter à jussione ulla divina, vel humana.

Resp. dist. maj. Lex præceptiva positiva, conc. maj. naturalis, neg. maj. & cons. dictamen enim, seu verum practicum de se imponit necessitatem fa-

ciendi bonum, quod dictat prosequendum, & vitandi malum, quod dictat fugiendum.

Resp. 2. dist. min. & prob. ejus, non est à Deo, vel ab homine per jussionem voluntatis, conc. min. per intellectum, neg. min. est enim principativè ab intellectu divino, & intimativè, seu dictativè ab ipso intellectu humano, & formaliter ab ipsa natura sic exigente.

Resp. 3. etiam dici posse, hanc esse etiam a voluntate Dei, saltem virtualiter; quatenus eam ipse scribit in mentibus nostris, & intimat per internas revelationes, & inspirationes, ut docet S. August. [1] *Quis legem naturalem scribit in cordibus hominum nisi Deus?* qui operatur omnia ad extra per voluntatem; & sic creando hominem non solùm dedit lumen rationis, quo nobis intimantur hujus legis præcepta, sed etiam propensionem voluntatis ad ea implenda; sed hæc inclinatio depravata est per peccatum, aut saltem debilitata; ergo non incongruè dici potest, ipsam naturam à Deo potestatem habere in nos ad imponendas tales obligationes, & eas imponere de facto per illustrationes intellectui, & inclinationes voluntati datas.

Objic. 2. D. Anselmus sic alloquitur Deum; *Illud est justum, quod vis, non justum, quod non vis Domine*; ergo nulla lex est præceptiva, nisi ex voluntate Dei; ergo vel lex naturalis non est præceptiva, & obligans in conscientia, vel id habet ex Dei voluntate, non ex se. Confirmatur ex August. qui dicit, [2] peccatum esse dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam, id est divinam; ergo factum contra legem purè naturalem non est peccatum, sed tantùm prout est contra præceptum Dei. Unde plures antiqui Theologi ponunt legem naturalem in Dei jussione ut auctoris naturæ quatenus vult ea fieri à nobis, quæ sunt naturæ consentanea, & vitari, quæ sunt ei dissentanea.

Resp. neg. cons. nec enim id intendunt SS. Patres. Anselmus enim loquitur de operibus justis, & injustis in ordine gratiæ, & præmii, vel damnationis æternæ, & ista dependent à lege divina positiva. August.

[1] *2. de ser. dom. in mon. c. 9.*
[2] *22. con. faust. c. 27.*

gust. verò de lege æterna, prout est actus intellectus divini, quo judicat practicè de necessario agendis, quodque hoc sensu est præceptivum; vel si velis eum loqui de lege, quæ sit actus voluntatis circa contingentia, neg. cons. licet omnia peccata sint etiam contra illam legem, non sequitur, quin sint etiam contra naturalem, quæ non consistit in illo actu voluntatis præcisè. Hoc sensu *quicumque naturali legi obviat, Dei voluntatem non servat*, inquit S. Anselmus. [1]

CONCLUSIO II.

P*Ræcepta legis naturæ obligant in conscientia, & aliqua obligant sub mortali.*

Prob. 1. ex Scoto cit. ubi docet, legem naturæ exigere quidem obedientiam, sed expedit ut superaddatur præceptum divinum, ut fortiùs moveantur homines ad obediendum, quia *minùs obediunt soli legi naturæ, quàm Deo præcipienti*, &c. sic enim satis clarè supponit legis naturæ præcepta obligare in conscientia; sed quòd superveniente positivo Dei præcepto fortius moventur ad obediendum, quia *minùs reverentur conscientias proprias*, quæ ligantur lege naturæ, quàm *auctoritatem divinam*. Idem colligitur ex aliis locis, in quibus docet, pœnitentiam esse virtutem moralem secundum legem naturæ; & quòd *hæc regula est naturaliter cognoscibilis, scilicet quod de peccato est displicendum*; nam id non esset verum, nisi peccaretur contra legem naturæ; nec sic peccaretur, nisi ipsa obligaret in conscientia, seu in foro interiori.

Prob. 2. ex Scriptura etiam citata quoad utramque partem. Nam *quicumque sine lege* (positiva scripta, aut tradita) *peccaverunt, sine lege peribunt*; ergo ex solis peccatis contra legem naturalem peccatur; ergo per peccata illa incurritur perditio æterna; sed hæc non incurritur sine pecato mortali; ergo lex naturalis obligat in conscientia, & quidem sub pœna peccati etiam mortalis quoad aliqua. Item, *Quod non est ex fide* (id est juxta dictamen conscientiæ) *peccatum est*, sed

[1] *l. de vol. Dei.*

ſed conſcientia ſemper dictat de præceptis legis naturæ, ſaltem univerſalibus, id enim vocatur ſynderesis; ergo illa obligant in conſcientia, & ſub pœna peccati. Unde Innocent. III. dicit, [1] *Quod eſt contra conſcientiam ædificat ad gehennam*.

Prob. 3. ratione. Nam qui violat præcepta legis naturæ Deum contemnit; ut auctorem naturæ, qui in ea, & per eam præcipit, quæcumque præcipiuntur ab ea, & vetat, quæcumque vetantur; ſed omnis divina lex obligat in conſcientia; ergo & naturalis quoad hoc; & tranſgreſſores poſſunt puniri aliqua pœna pro menſura culpæ, & ut docet Scotus, [2] omnis ſic peccans, ſive tranſgrediens hæc præcepta turpiter, & irregulatè agit, atque tenetur de his pœnitere: idque dictat ipſamet lex naturæ. Nam ſi omne turpe eſt vitandum, ſequitur, quòd ſi admiſſum fuerit, illud eſt reprobandum, & deteſtandum, & in nobis puniendum: ideò pœnitentia eſt *virtus moralis de lege naturæ*, inquit.

Dixi autem, *& etiam aliqua ſub mortali*; nec enim puto omnia indifferenter ſic obbligare, ut ſunt præcepta, quæ reſpiciunt proximum, quia ex lumine naturæ non patet, quòd pro modica injuria, vel damno illato homini debeat incurri mors æterna, ſaltem præcisè, & ſub hoc reſpectu, & niſi in quantùm peccatum reſpiceret Deum: nam ſub hoc reſpectu, & ſuppoſita gravitate materiæ, poſſet eſſe mortale; quæ verò directè reſpiciunt Deum, ut peccata contra præcepta primæ tabulæ, v. g. odium Dei, & blaſphemia, etiam ex ſola cognitione legis naturæ ſunt digna privatione amicitiæ Dei, & per conſequens morte æterna.

Pro intelligentia verò hujus quæſtionis notandum cum Vulpe noſtro, quòd lex naturæ dupliciter obligat in conſcientia. 1. *intrinſecè*, ſcilicet ratione propriæ rectitudinis, & honeſtatis, quæ eſt in re, ſecundum, & quatenus homo eſt activus cum ratione, ita ut ſi aliter, quàm ſecundum dictamen rectæ rationis, debeat ei talis actus diſplicere. 2. *extrinſecè*, ſcilicet ex ratione aliqua proveniente aliunde, quàm à rectitudine, ſeu honeſtate rei in ſe, nempe

[1] *de reſtit. ſpol. c.* 13.
[2] *Ibid.*

pe ab aliqua lege positiva, v. g. à voluntate divinæ superaddita legi naturæ. Sub prima consideratione præcisè peccatum dicitur *philosophicum*, seu *morale*, quia ex puro lumine naturalis philosophiæ, seu rationis agnoscitur: sub secunda dicitur *Theologicum*, quia dignoscitur per lumen supernaturale, & pendet à speciali, & positiva Dei ordinatione, quæ est extrinseca naturæ rerum.

Porrò circa istud peccatum extat Decretum Alexandrii VIII. 1690. quo damnatur hæc propositio: *Peccatum philosophicum, seu mortale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum verò, & mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quamtumvis grave in eo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum*: ergo juxta hanc censuram nostra conclusio redditur tenenda ut vera, & certa, nam contrariam dicit *scandalosam*, *temerariam*, *piarum aurium offensivam*, *erroneam*.

Fateor tamen me non videre, quomodo noster Vulpes effugisset illam censuram, cum scribebat, [1] *Legem naturalem in conscientia obligare sola obligatione morali ex debito honestatis rei præceptæ sub reatu naturalis pœnitudinis, ac displicentiæ, nullo modo theologicè ex debito, vel reatu pœnæ æternæ, & id patere ex Scoto*. [2]

Objic. 1. Scotum, qui, ut scribit idem Vulpes, vocat positivam illam legem, quæ obligat sub peccato voluntarium recessum à præceptis à recta ratione propositis, in quantùm est Dei offensivus, à Deo aversivus, supernaturalis beatitudinis impeditivus, vel supplicii inductivus, & quod principaliter pendet à sola voluntate divina omninò extrinsecè superaddita omni legi naturali: unde concludit, quòd seclusa omni lege positiva Dei extrinseca, nullam naturalem legem Scotus affirmaret in conscientia obligare sub aliqua pœna temporali, vel æterna, præcipuè ut ejus transgressio sit peccatum demeritoriè ablativum gratiæ Dei, quæ est spiritualis vita homi-

[1] *To.* 1. *p.* 3. *d.* 5.
[2] *d.* 5. *n.* 3.

nis, &c. ergo lex naturalis ex Scoto non obligat sub peccato mortali.

Confir. Nam nec Scotus [1] agnovit ex lumine naturæ differentiam venialis à mortali, sed *sunt ejusmodi rationis in genere naturæ, & moris, ut genus virtutis distinguatur contra gratuitum; & peccatum; sed non sunt ejusdem generis, vel rationis in ratione offensæ divinæ:* & alibi distinguit peccatum philosophicum à Theologico, quia *illud est vitandum ratione propriæ turpitudinis, istud verò ex positiva lege, & aversivum à Deo;* ergo ex Scoto lex naturæ non obligat sub mortali, quod privat amicitia Dei, & vita spirituali, & æterna, quam non novit ratio naturalis.

Resp. neg. conf. tam objectionis, quàm confirmationis. 1. enim Scotus non docet hoc in loco citato à Vulpe, scilicet dist. 16. nec id ex ejus textu sequitur; nam undecunque petatur differentia peccati mortalis à veniali, certum est, etiam ex Scoto, & evidens, quòd ea, quæ sunt contra legem naturæ, deordinant ea, quæ Deus statuit, ut auctor naturæ, & ut talis offenditur per omnem obliquitatem voluntariam, Deus quippe [2] *omnia in mensura, & numero, & pondere disposuit*, Et, [3] *Omnia quæ sunt à Deo, ordinata sunt:* & hæc lumine naturali patent: nam *secundum rectam rationem quilibet legislator vindicat transgressionem legis*, inquit Scotus; [4] ergo cum Deus agnoscatur auctor naturæ, ac ordinis ejus, quem violat peccans in eam legem, cognoscitur etiam vindex transgressionum pro mensura, & sic graves graviter puniens; nec est necesse, ut omnes pœnæ, quibus eas punire potest, agnoscantur naturaliter, ut de facto non agnoscitur privatio gratiæ, nec gloriæ, nec pœna inferni: imò & ipsi Ethnici agnoverunt infernum, in quo scelerati puniuntur, & campos Elisios, in quo gaudent boni.

Objic. 2. Lex non obligat extra limites suos, nec ultra vires; sed mortalitas peccati, & pœnæ illius sunt ultra limites legis naturæ; ergo lex naturæ non obligat sub mortali: prob. min. ex eo, quòd per lumen naturale non agnoscuntur pœnæ mortalis peccati,

[1] 4. *d.* 21. *q.* 1. *H. n.* 12.
[2] *Sap.* 11. (3) *Rom.* 13.
[4] 4. *d.* 14. *q.* 2. *A. n.* 2.

ri, ob quas dicitur tale; ergo peccati mortalis est extra limites legis naturæ.

Resp. neg. min. & conſ. prob. quia non eſt neceſſe, ut cognoſcantur, & manifeſtentur per legem pœnæ infligendæ transgreſſoribus, ſaltem ſecundum omnem extenſionem ſuam; ſufficit, quòd naturali lumine cognoſcatur Deus ut auctor naturæ, & ut offenſus graviter, aut leviter per tranſgreſſionem: nam hinc agnoſcitur per peccatum grave incurri indignationem ejus, ac privationem amicitiæ, quæ violatur. Nam, inquit Boetius, *Pœna eſt ordinativa culpæ ita, quod non poteſt relinqui in univerſo aliqua culpa, cui non correſpondeat pœna ordinativa*, ut notat Scotus. [1]

Objic. 3. Peccatum non cognoſcitur, niſi per legem poſitivam; ergo nec incurritur, niſi per tranſgreſſionem legis poſitivæ, non verò naturalis. Patet conſ. quia omne peccatum debet eſſe voluntarium, & per conſeq. cognitum. Prob. ant. ex Script. [2] *Per legem cognitio peccati:* nam *peccatum non novi, niſi per legem*, &c. inquit Apoſt.

Resp. neg. ant. & diſt. prob. cognitio peccati Theologici, conc. ant. Philoſophici, neg. ant. nam de peccatis Theologicis loquitur, quæ non cognovit Paulus niſi per legem, & quidem etiam loquitur de lege Euangelica, ſine qua vivebat poſt ejus promulgationem, & ante converſionem: (3) *Ego autem vivebam ſine lege aliquando*, inquit ipſe, quod non dicit de lege veteri, cujus ardentior, & zelator erat, ſed de lege nova, quam ex incredulitate ignorabat.

CONCLUSIO III.

Lex naturalis continet ſolam legem æternam à ſolo judicio divini intellectus primò dependentem ſecundum exigentiam objecti operabilis independenter ab omni actu libero divinæ voluntatis, etiam cum reali vi præceptiva, & obligativa. Ita Vulpes cit. & magis patebit ex dicendis de lege æterna.

Prob. 1. ex Scoto [4] citato docente, quòd lex naturæ conſiſtit *in vero practico ſimpliciter noto ex propriis terminis per naturale lumen intellectus*, & quod eſt *deſcendens ex primis principiis notis in*

[1] *d.* 14. *q.* 2. *K.* [2] *Rom.* 3. & 7.
[3] *Tim.* 1. [4] 3. *d.* 37. *n.* 2.

agibus: & quòd [1] *talia sunt quædam principia practica nota ex terminis, quæ sunt quædam seminaria, ad quorum veritatem inclinatur naturaliter intellectus ex terminis, & ad assentiendum tali dictamini inclinatur voluntas naturaliter ex talibus principiis. Hæc autem principia pendent primariò à divino intellectu, qui est liber lucis æternæ, in quo quasi scriptæ reperiuntur omnes veritates tam practicæ, quàm speculativæ antecedenter ad omnem actum liberum voluntatis ejus*, ut docet idem Doctor juxta August. [2] dicentem, quòd *ista regulæ scriptæ sunt in libro lucis æternæ*.

Prob. 2. Non potest meliùs explicari, à quo habeat ista lex vim obligandi, nisi ab ipsa rerum exigentia, seu honestate, vel inhonestate tanquam regula proxima, & nobis per se nota ex propriis terminis, sed dependenter à judicio Dei æterno, & practico, à quo esse ideale habent omnia, & quidem independenter ab omni volitione, seu jussione positiva voluntatis ejus, & per hoc lex ista distinguitur è lege positiva, qualis est lex Decalogi, ut patet ex dictis. Sicut ergo creaturæ omnes, & veritates omnes habent esse ideale in intellectu divino, ita regulæ omnes agendorum nobis intimantur, & promulgantur per lumen naturale nostræ rationis, quæ magis patebunt ex dicendis de lege æterna, & divina.

Dixi, *secundum exigentiam objecti operabilis*, inde enim venit proxima vis obligativa: nam, ut ait Doctor, omnia, quæ prohibentur ex lege, habent malitiam formalem de se, & ex terminis notam, & avertentem à fine ultimo, propter quam prohibentur, nec enim ideò mala sunt; quia prohibentur, ut accidit in lege positiva: sed potiùs ideò prohibita sunt, quia mala. Similiter quæ hac lege præcipiuntur, habent ex se bonitatem formalem, & necessariam, & ex terminis notam, quæ secundum se ordinata est ad finem ultimum, ut per illa homo convertatur ad illum finem, ut consequatur illum, ita ut non ideò bona sint, quia præcipiuntur, sed potiùs ideò præcipiantur, & necessariò prosequenda sint, quia bona sunt.

[1] 1. *d*.3.*q*.4.P.*n*. 18. (2) 14. *Tr*. *c*. 15.

QUÆSTIO III.

De materia legis naturæ, & quæ sint ejus præcepta.

ALiqua possunt esse de materia legis naturæ dupliciter, inquit Doctor (1) subtilis. 1. *modo tanquam prima principia practica nota ex terminis, vel conclusiones necessariò sequentes, & hæc dicuntur esse strictissimè de lege naturæ, ut præcepta primæ tabulæ.* 2. *alio modo aliqua dicuntur esse de lege naturæ, quia sunt multum consona illi legi, licèt non sequantur necessario ex principiis practicis notis ex terminis, & omni intellectui eos apprehendenti, talia sunt præcepta secundæ tabulæ, quia eorum rectitudo valde consonat primis principiis practicis necessariò notis, & hæc non sunt ita strictè, sed potiùs large de lege naturæ*: hoc sensu quidquid ratio naturalis judicat conveniens, & honestum, vel inhonestum, potest cadere aliquo modo sub legem uaturæ præceptivam, aut sub prohibitivam, scilicèt vel strictè, vel largè.

Nota, quòd homo considerari potest secundum diversas hierarchias, seu status, prout dirigendus est ad diversos fines, & per consequens subjacet diversis legibus, & regulis, per quas illuc dirigatur: præcipuæ sunt *status naturæ puræ*, & *status gratiæ*; in primo debet dirigi ad honestatem vitæ, & ad conviven-dum pacificè in politia humana, ut per virtutes naturales morales constituatur moraliter bonus operans honestè secundum rectam rationem, & regulæ, quibus sic dirigitur, debent esse naturaliter notæ. in 2. verò debet dirigi ad Deum beatificè attingendum, ut per virtutes Euangelicas constituatur theologicè bonus, scilicèt Deo gratus, & hæc regula non debet, nec potest esse nota naturaliter, sicut nec est naturalis, sed supernaturaliter, & ex revelatione divina. 1. Hierarchia dicitur *naturalis, moralis*, seu *civilis*. 2. dicitur *Ecclesiastica*, seu *spiritualis*, & *supernaturalis*.

His suppositis, quærimus hic de materia, circa

V 6 quam

(1) 3. *d.* 37. *C. D. n.* 5. & 4. *d.* 33. *q.* 2. *G. n.* 8.

quam lex naturalis versatur, an solùm circa prima, & universalissima præcepta, quæ per se, & ex terminis nota sunt, atque indemonstrabilia, an etiam circa ea, quæ velut conclusiones ex illis principiis evidenter deducuntur; an etiam circa ea, quæ non sic necessariò inferuntur, sed tamen evidenter apparent naturæ consona, ut sunt actus virtutum moralium, & an extendatur non solum ad substantiam actuum, sed etiam ad modum; Quæ breviter hìc decidenda.

CONCLUSIO I.

Lex naturalis propriè non solùm versatur circa prima illa præcepta generalia, & principia per se nota, sed etiam circa illa, quæ ex talibus principiis necessariò, & evidenter sequuntur, imò & extensivè circa ea, quæ apertè sunt illis principiis consona. Est communis contra aliquos Juristas tenentes, ad hanc legem non pertinere nisi illa prima principia.

Prob. 1. ex Scoto (1) eam expressè docente. *Illud est verum de lege naturali, cujus veritas est nota ex terminis, & tale est principium in lege naturæ; sicut in speculabilibus principium notum est ex terminis, sive quod sequitur evidenter ex tali vero sic noto, cujusmodi est conclusio practica demonstrata, & strictè loquendo nihil aliud est de lege naturæ, nisi principium, vel conclusio demonstrata: sic tamen extendendo quandoque dicitur illud esse de lege naturæ, quod est verum practicum consonum principiis practicis, & conclusionibus legis naturæ, in tantùm quòd statim notum est omnibus convenire tali legi:* ecce totam conclusionem in terminis.

Confir. ex Phil. 5. Ethic. 7. qui lege naturali comprehendit omne id, quod habet necessariam, & incommutabilem veritatem, seu *quod ubique vim habet eandem, & quia videtur, vel non videtur; talia autem sunt principia, & conclusiones illæ*.

Prob. autem per partes. Nam 1. in omnibus scientiis speculativis dantur aliqua prima principia per se nota, & indemonstrabilia, quæ pertinent ad habitum, qui dicitur intellectus, & sunt velut funda-men-

(1) 4. *d. 17. q. 1. A. n. 2. & d. 33. q. 1. H. n. 7.*

menta, ad quæ reducuntur omnia, quæ in illis scientiis demonstrantur; ergo & in scientia morali naturali debent dari sua. Patet ant. Nam in Mathematicis datur istud; *Omne totum est majus sua parte*: In Metaphysicis, *Quodlibet est, vel non est*: in Physicis, *Omne corpus naturale habet principium motus, & quietis*: in Logicis, *Dici de omni, & dici de nullo*; ergo ita in moralibus dantur ista, *Omne honestum est prosequendum*, & *omne inhonestum est vitandum*, & hic habitus vocatur synderesis, sicut in speculabilibus vocatur intellectus.

Prob. utraque pars. Jus naturale est illud, quod obligat ex vi solius luminis naturalis independenter ab omni jussione positiva divina, vel humana, ut patet ex dictis; sed talia sunt non solùm prima principia, sed etiam conclusiones ex illis necessariò, & evidenter illatæ; ergo sunt de lege naturæ strictè sumpta. Prob. min. Nam præcisa quacumque jussione positiva divina, vel humana evidens est, & tenemur non odisse, nec contemnere Deum, quia sequitur ex illo principio; *Omne bonum est prosequendum*, & *malum vitandum*; sed Deus est bonus, & quidem summè; ergo non est odiendus, sed amandus, & colendus. Idem est de honore parentum, & fuga mendacii, &c.

Confir. quia nisi lex naturalis descenderet etiam ad particularia, & conclusiones ex generalibus principiis deductas, non sufficienter dirigeret hominem in finem suum naturalem; nec enim sufficit scire, quod bonum est amandum, sed etiam debet sciri, quòd Deus est bonus, & per consequens amandus, quòd mendacium est malum, & ideò fugiendum, &c.

Prob. 3. p. quia lex naturalis debet extendi ad ea omnia, quæ necessariò debent dirigere hominem, ut rationalem, & moraliter in finem suum etiam naturalem; sed sunt talia ea, quæ evidenter, & necessario consona sunt illis legibus generalibus, principiis, & conclusionibus, tales sunt actus virtutum moralium in communi, ad quas homo naturaliter inclinatur, &c.

Objic. contra 2. & 3. p. Quæ sunt de lege naturæ debent esse per se nota, & à nullo ignorari; sed sola prima principia practica sunt per se nota, non verò;

verò conclusiones ex eis deductæ, & multò minùs alia quæ dicimus illis consona: multa enim possunt ignorari, & de facto ignorantur; ergo illa sola sunt de lege naturæ.

Resp. dist. maj. debent esse per se nota seclusa mala dispositione, & pravis habitibus; uno verbo debent esse de se nota ab omnibus ratione utentibus agnosci, conc. mai. de facto, stante aliqua prava dispositione ex parte hominis, neg. maj. & cons. Nam multæ quidem conclusiones, & præcepta naturalissima ignorantur, & inde idololatria, & multa abominanda invaluerunt apud nationes, sed per accidens ex prava eorum dispositione, scilicet [1] *excæcavit eos malitia eorum, & obscuratum est insipiens cor eorum, & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei*, &c.

Inst. Si tales conclusiones essent de lege naturæ, ita & leges positivæ; sed cons. est falsum; ergo & ant. prob. seq. leges omnes positivæ etiam humanæ sequuntur ex illis principiis, ut conclusiones; ergo essent etiam de lege naturæ.

Resp. neg. seq. & dist. ant. prob. sequuntur contingenter, conc. ant. necessariò, & evidenter, neg. ant. sequuntur quidem (nec enim possunt esse contra ulla præcepta, vel principia legis naturæ) sed valde obscurè, & per accidens, & indirectè, ut videbimus. Et præterea nihil vetat rem eandem præcipi, aut prohiberi diversis legibus, ut patet in præceptis Decalogi ob rationem allatam ex Scoto, scilicet quia sic fortius obligant, & firmiùs adhærent mentibus hominum, qui magis timent Deum, & principes, quam proprias conscientiàs.

CONCLUSIO II.

PRæcepta Decalogi sunt ex se de lege naturæ; non tamen in eodem gradu, sed alia strictè, alia large. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto [2] citato; ubi aperte docet, quòd *duo prima sunt strictè de lege naturæ, sicut & tertium in substantia, quatenus jubet aliquem cultum exhibendum Deo, licet quoad tempus determinatum, scilicet*

(1) Rom. 1.
(2) 3. d. 37. C. n. 5.

cet diem sabbati, *certum est*, inquit, *omnia præcepta etiam 2. tabulæ esse de lege naturæ*, scilicet largè; *quia eorum rectitudo valde consonat primis principiis necessariò notis*: & recapitulando [1] concludit 1. *præcepta omnia 2. tabulæ non esse de lege naturæ strictè loquendo*. 2. *duo prima primæ tabulæ esse de lege naturæ strictè loquendo* 3. *dubitatum est de 3. 1. tabulæ præcepto*, & 4. *concessum est*, *omnia esse de lege naturæ largè loquendo*.

Prob. 2. Illa sunt de lege naturæ strictè, quæ habent honestatem, aut malitiam notam per se ex terminis, aut per evidentiam, ac necessariam consequentiam, vel evidenter consonant illis primis principiis, & hoc independenter, & præcisè ab omni præceptione positiva voluntatis divinæ, sed talia sunt omnia illa præcepta in suo gradu respectivè; ergò omnia spectant ad legem naturæ. Maj. patet ex huc usque dictis de hac lege. Prob. min. 1. de duobus primis: nam hæc aperte, & immediatè colliguntur ex illis principiis primis, & per se notis, *Omne bonum est amandum*, & *omne malum est fugiendum*; sed Deus est bonus, & quidem summè; ergo Deus est amandus, & colendus.

2. De die Sabbati includit præceptum affirmativum de cultu exhibendo Deo pro aliquo tempore, & quoad hoc infertur necessariò ex iisdem principiis; deinde includit determinationem illius temporis ad diem Sabbati, & quoad hoc non est de lege naturæ, sed positiva divina.

Probatur de aliis: nam illa sunt de lege naturæ largè, quæ sunt multum, & apertè consona illi legi; sed talia sunt præcepta omnia secundæ tabulæ; ergo sunt de lege naturæ largè loquendo: major supponitur ut certa, & ab omnibus recepta: min. prob. facilè discurrenti per singula: nam supposito præallato principio practico, vel isto, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, & *quod tibi vis fieri, alteri feceris*, quid convenientius, quàm honorare parentes, à quibus habes esse, quàm non occidere? non furari? non mæchari? non falsum testari? non concupiscere bona, nec uxorem alienam?

Objic. 1. Tam præcepta 2. tabulæ sequuntur ex primis principiis practicis, quam duo 1. tabulæ; ergo

[1] *Ibid. E. n. 7.*

go tam sunt de lege naturæ strictè loquendo. Ant. prob. nisi sic sequerentur, non esset ratio, cur sic strictè obligarent ex se, & præcisa lege positiva, ita ut peccaretur transgrediendo illa, v.g. occidendo, aut non colendo parentes; sed conf. est falsum; ergo tam sunt de jure stricto naturæ, quàm duo prima: min. patet: nam certum est, quòd independenter ab omni lege positiva peccaretur occidendo innocentem, aut mæchando, aut contemnendo parentes. Prob. maj. quia non potest reddi ratio, cur sic peccaretur transgrediendo ea præcepta, nisi quia sequantnr necessariò ex primis principiis practicis, per se notis v.g.hæc ratio non valeret, nisi essent in æquali gradu,&c.

Respondeo neg. ant. 1. argumenti, maj. 2. & 3.nam ratio, cur peccaretur transgrediendo hæc præcepta ex natura rei petitur ex connexione convenienti, quā ex se habent cum illis principiis; quæ connexio licèt non sit tam necessaria, tamque indispensabilis, quàm ea, quæ est in aliis; nihilominus seclusis dispensationibus, vel aliis circumstantiis, sufficit ad obligandum in conscientia. Ratio est, quia ideò Scotus dicit, quò duo prima, & quædam alia, si quæ sunt, sic necessariò connectuntur cum primis principiis, & veris practicis, ut in nulla circumstantia, & per nullam legem positivam possint ab eis divelli; & hoc sensu dixit Scotus, ea esse strictissimè de lege naturæ in primo illo gradu; alia verò ideo dici de lege naturæ largè, quia non sic necessariò connectuntur, sed valde congruenter; de quo magis patebit ex dicendis de immutabilitate; & dispensabilitate hujus legis.

Cum autem Scotus dicit, duo prima præcepta 1. tabulæ esse strictissimè de lege naturæ, illa verò 2. tabulæ esse tantum largè, loquitur de illis tabulis, non ut Hesychius, & Origenes, qui in prima ponunt quatuor prima, & sex reliqua in 2. nec ut Josephus, qui quinque ponit in singulis, sed cum August. qui tria priora ponit in 1. reliqua 7. in 2. sed de hoc aliàs.

Porrò quoad 3. præceptum de Sabbato sanctificando includit duo. 1. cultum aliquem Deo exhibendum, & nullum opus faciendum, quo ille cultus impediatur. 2. determinationem temporis, sc. diei sabbati,

quo feriari debet ab operibus servilibus, ut vacetur cultui divino: quoad primum non dubitat Scotus, quin sit de lege stricta; sed quantum ad determinationem temporis hujus, vel alius non est de lege naturæ strictè loquendo: unde tempus illud sabbati mutatum fuit in lege Euangelica ad diem Dominicum.

CONCLUSIO III.

Lex naturæ versatur circa actus virtutum moralium in communi, non verò in particulari.

Prob. 1. quoad 1. p. ex principiis Scoti [1] jam sæpiùs citatis: nam illa sunt de jure naturæ, quæ sunt principia practica per se nota ex terminis, vel conclusiones ex illis principiis illatæ per necessariam, & evidentem sequelam; sed omnes actus virtutum moralium in communi tales sunt; ergo pertinent ad legem naturalem. prob. min. nam nullus est actus talium virtutum, qui non sit de se, & evidenter honestus ex objecto, & qui non colligatur ex illo principio, *Honestum est prosequendum, & inhonestum est vitandum*; ergo sequuntur ex primo principio practico ex terminis noto. Prob. min. inductione, *Honestum est prosequendum*; sed honestum est temperativè vivere, modestè ulcisci injurias, & eas parvipendere ex fortitudine, & justè vivere ad alterum, & alteri non facere, quod tibi non vis fieri, ut pacificè vivas in communitate; imò & Deum summè diligere, & proximum sicut te ipsum, qui sunt actus charitatis; nam virtutes morales hominem etiam naturaliter moraliter perficiunt, vel ad se, ut *Temperantia*, & *Fortitudo*, vel ad alterum sive superiorem, sive æqualem, sive inferiorem, ut *Justitia*, & se non haberet honestè, nisi esset in se moderatus sive in concupiscibili per *Temperantiam*, sive in irascibili per *Fortitudinem*; ergo actus omnium virtutum moralium continentur ut Conclusiones vel necessariò, aut saltem valde congruenter connexæ cum primis principiis practicis notum.

Probatur 2. p. ex eodem Scoto: *Quia*, inquit, *lex est de universalibus casibus; de particularibus autem* casi-

[1] *Ibid. C. D.*

casibus non est lex, sed judicium legis; ergo lex naturalis non extenditur ad actus particulares virtutum, saltem directè, & immediatè.

Confir. Nam quæ sunt de lege naturæ, habent evidentem honestatem ex terminis, sed actus in particulari hoc non habent, quia pendent ab innumeris circumstantiis, secundum quas possunt aliter, & aliter existere, & secundum quas aliquando sunt de consilio, aliquando de præcepto; ergo &c.

Dico, *virtutum moralium*; nam sicut naturaliter non agnoscuntur Theologicæ, sic à natura præscribi non possunt, saltem supernaturales: nam amor Dei, & proximi, qui spectat ad charitatem naturalem, etiam præcipitur à natura, sicut & cæteræ.

Objic. 1. contra 1. p. Multi actus honesti, & virtutum sunt tantum de consilio, ita ut non obligent; ergo non sunt de lege naturæ. prob. cons. quia lex naturæ est præceptiva, & obligat etiam in conscientia per nos.

Resp. dist. ant. in particulari sunt de consilio, conc. ant. in communi, neg. ant. nam homo generaliter loquendo ex lege naturæ tenetur honestè vivere, & in ordine ad se, & ad alterum, & quantum ad hoc virtutes omnes, quatenus habent honestatem vitæ, & actuum nostrorum pro objecto, isti sunt de lege naturæ. In particulari autem, vel etiam in specie plures possunt esse de consilio, ut paupertas religiosa, & hæc, & similes quantum ad hanc conditionem non cadunt sub præcepto, nequidem legis positivæ.

Inst. Quæ præcipiuntur lege humana, cadunt etiam sub virtutem; sed hæc non sunt de lege naturæ; ergo virtutis actus non sunt de lege naturæ.

Resp. dist. maj. omnia, & per accidens, conc. maj. per se præcisè, ut taliter præcepta, neg. maj. & dist. min. hæc in particulari, & prout præcipiuntur lege humana, conc. min. per se, & in genere, neg. min. Igitur multa, quæ præcipiuntur lege humana, sunt de se, & ex obiecto honesta, sed multa de se etiam ex objecto sunt indifferentia, & fiunt honesta extrinsecè per præceptum, & sic cadunt sub virtutem: unde hæc ponitur differentia inter illa, quæ sunt de lege naturæ; quòd ideò sunt prohibita, quia mala, & præcepta, quia bona sunt de se, & evidenter, sed quæ sunt

de

de lege positiva, ideò præcisè sunt bona, quia præcepta sunt, & ideo mala, quia prohibita, ut dicebamus ex Scoto.

Objic. 2. Non omnia præcepta sunt contra legem naturæ sive in communi, sive in particulari; ergò neque omnes virtutes; nam contrariorum eadem est ratio.

Resp. dist. ant. secundum rationem particularem aliquam, conc. ant. secundum rationem communem inhonestatis, neg. ant. & cons. omnia peccata id commune habent, quod dedecent naturam rationalem, sed præterea habent alias differentias, & malitias particulares ex diversis legibus, quas violant; quædam etiam specialiter dicuntur contra naturam, quia violant magis essentialiter ordinem naturæ, ut homicidium sui, sodomia, &c.

Quæres, *An lex naturalis præcipiat etiam modum virtutis, ita ut non possint impleri ejus præcepta per actus indifferentes, aut malos, sed debeant fieri maximè ob finem ipsius virtutis, circa cujus objectum versantur actus;* v. g. an satisfaceret præcepto charitatis, & misericordiæ, qui daret extremè egenti eleemosynam ex vanitate.

Resp. breviter pro nunc 1. quòd non satisfit legi naturali si uni actui addatur circumstantia positivè mala, & ab ipsa prohibita. Ratio est, quia lex prima, & fundamentalis naturæ præcipit bonum honestum, & prohibet malum inhonestum, v. g. præcipit misericordiam in miseros, & vetat hypocrisim, & superbiam; sed qui dat eleemosynam ex superbia, non facit misericordiam, & charitatem, nisi materialiter, nec vitat superbiam; ergo non facit actum charitatis formaliter, sed peccatum superbiæ, seu vanæ gloriæ; sive autem istud peccatum veniat ab alio præcepto, quàm charitatis, vel ab eodem, parum curo; sufficit, quòd hic actus inficiatur ex illa mala circumstantia pravi finis, & ut talis prohibeatur à natura; imò ibi esset deordinatio maxima contra naturam charitatis, cujus honestas subjiceretur, ut serviens inhonestati vanæ gloriæ. Subvenitur quidem miseriç pauperis, sive ex fine charitatis, sive ex alio fiat, sed agens violat ordinem, & legem naturæ nec placet huic subtiliori difficultati diutiùs inhære-

re, magis spectat ad Theologos Casuistas, apud quos famosissima est hæc regula, quæ videtur etiam juris naturæ in moralibus, *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu*. De hac quæstione fusè loquitur Poncius in suo Commentario.

QUÆSTIO IV.

De unitate, & immutabilitate legis naturæ.

UNitas legis attenditur 1. in se. 2. respectivè ad homines. 3. respectivè ad diversa, & omnia tempora; & sic quæritur hìc, an illa sit una in se, vel apud omnes nationes, vel in omni tempore, ita ut nec unquam mutationem admiserit, vel admittere possit.

Porrò mutatio fieri potest in lege vel per additionem aliquorum præceptorum, quæ de novo obligent, cùm anteà non obligarent, vel è contra per detractionem aliquorum, quæ cessent obligare, cùm antea obligarent secundum eam legem; & hæc 1. mutatio fieri potest 1. per *abrogationem*, cum lex ex toto cessat obligare. 2. per *derogationem*, cùm tollitur obligatio quoad partem; quippe *abrogare* est in totum tollere legem; *derogare* autem pro parte detrahere legi, inquit Glossa. 3. per *irritationem*; nam cessat legis obligatio ex aliquo defectu, v. g. ex defectu consensus, aut potestatis, aut alterius influentis nullitatem. 4. per *subtractionem* materiæ, quæ subest dispositioni legis, ut cùm illa materia deficit, vel cessat ex aliqua conditione substantiali ut subsit obligationi ejus. 5. per *Epiikiam*, seu *interpretationem*, cùm superior in certis circumstantiis declarat legem non obligare ex legislatoris intentione. 6. per *privilegium*, aut *dispensationem*, de quibus infra: de *Epiikia*, & *dispensatione* dicemus in sequenti; de immutatione, seu unitate quoad quatuor priores modos hìc quærimus.

CON-

CONCLUSIO.

Lex naturæ strictè sumpta est una apud omnes, scilicet quoad principia sua universalissima, & veritates practicas, seu conclusiones ex illis evidenter deductas, non verò quoad particularia; & hac veritas est aggregationis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui putat, quòd *omnes habitus speciales prudentiæ sunt unus habitus, & omnes habitus geometricè pertinent ad unam scientiam universalem*, & quod *hæc unitas non est formalis, sed virtualis; quia sicut in scientiis speculativis habitus ille, qui est de primo objecto, est formaliter unus, & virtualiter omnium, quæ continentur in illo primo objecto, sed non formaliter; ita in practicis ille habitus, qui est formaliter alicujus finis in aliquibus agibilibus est virtualiter omnium eorum, quorum cognitio practica virtualiter continetur in illo fine, sed non formaliter omnium illorum. Et ita una prudentia est virtualiter omnium virtutum, extendendo nomen prudentiæ ad habitum illum, qui est intellectus primi principii practici:* & alibi dicit, [2] quòd *in scientiis, quæ habent conclusiones specie diversissimas, & per consequens habitus partiales etiam diversissimos, tamen ratione objecti unius communis potest dici una genericè:* sic tot sunt quidem leges naturales partiales distinctæ speciei, quot sunt ejus præcepta varia circa diversa objecta, & bona naturaliter facienda, & mala vitanda; sed ratione unitatis genericæ boni honesti, & mali inhonesti est una. Sic ergo lex naturæ potest dici una genericè coalescens ex multis partialibus, quæ virtualiter continentur sub illa generali, & id patet ex dictis in Logica de unitate scientiæ.

Prob. 2. ratione, quia lex ista dici potest una vel ratione objecti, vel ratione finis, vel ratione medii, quod est lumen naturale rationis; sed præcepta omnia legis naturæ, seu tota lex naturæ presse sumpta habet unum objectum totale, & unum finem ultimum, & idem lumen rationis naturalis est in omnibus; ergo ratione objecti, & finis ultimati, & medii est una,

Maj.

[1] *2.d.36.L.n.21.*
[2] *6.met.q.1.n.9.*

Maj. patet ex dictis de unitate habituum, & scientiarum. Prob. min. Nam bonum honestum, prout naturaliter, & per se notum est objectum legis naturæ; & rectitudo, seu felicitas naturalis ab homine attingibilis per vires ordinarias naturæ cum ordinario Dei concursu est finis, & eò tendunt per se omnia præcepta ejus. Denique idem lumen naturale est in omnibus, modò non sit impeditum; ergo lex quoad hæc est una apud omnes.

Prob.3. ex illis principiis: Unitas legis in se petitur ex ratione speciali, per quam habet in se unam rationem,& est in se talis, & distincta ab aliis, quę non sunt tales; sed lex naturalis strictè habet talem unam rationem, & conceptum, secundum quem est in se indivisa, & distincta ab aliis legibus; ergo est verè una in se. Maj. patet ex conceptu recepto unitatis, quæ est indivisibilitas rei in se, & divisio, seu distinctio a quolibet alio, quod non est ipsa. Prob. min. Nam, ut dicebam, lex naturalis in suo conceptu formali, & specifico, & strictè est omne verum practicum ex terminis notum, vel omnis conclusio ex illis evidenter sequens, & obligans omnem hominem ratione naturali utentem independenter ab omni jussione positiva divina, vel humana; sed per hoc distinguitur ab aliis legibus, quæ non sunt naturæ, & in hoc conveniunt omnes leges partiales, seu omnia præcepta, & partes legis hujus; ergo habet verè unam rationem, qua una est in se, & distincta ab aliis.

Prob. denique. Nam unitas legis strictè sumpta apud omnes consistit in eo, quod habet eadem principia recepta, vel obligantia omnes ratione naturali utentes, & ferè semper; sed talia sunt principia legis naturæ universaliora, & conclusiones ex eis illatæ evidenter, & necessariò, & quoad hæc est una apud omnes, & pro semper. Prob. min. nullus enim est homo ratione utens cujuscumque conditionis, & status sit, aut nationis, qui non percipiat, & non teneatur ad amandum omne honestum, & vitandum omne inhonestum: & sic de aliis ex isto immediate, & evidenter sequentibus, ut quòd *Deus sit amandus, & colendus; parentes honorandi*; ergo quoad hæc omnia una est apud omnes, & pro semper.

Probatur 2. p. Nam quoad præcepta magis specialia non

non sic est una: v. g. præcepta, quæ non adeo necessariò, & immediatè, & evidenter inferuntur ex primis, & per se notis, sed tantùm congruunt, non æqualiter ab omnibus capiuntur; ergo non æqualiter obligant.

Confir. quia inter ista sunt aliqua, quæ dirigunt homines secundum diversos status, secundum quos aliqua specialia præcepta eos non ligant, alia verò ligant. Pro statu vitæ civilis, ac politicæ valent ista, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, & quod tibi vis fieri, alteri feceris*, & pro statu innocentiæ ex Scoto, & aliis omnia erant communia; in statu verò naturæ corruptæ ad vitæ civilis pacem necessaria est bonorum divisio, & unicuique reddi debet suum. Item certum, & evidens est, quòd alia præcipiuntur pro subditis, alia pro regibus, & superioribus; alia pro tempore belli; alia pro tempore pacis; alia pro conjugatis; alia pro solutis; alia pro parentibus; alia pro filiis; sic ex variis circumstantiis, v. g. naturæ lumine patet, non posse patrem nubere cum propria filia naturali, & tamen si hæc sola esset fœmina in mundo, potiùs esset sumenda à patre, quàm permittere deletionem generis humani, & sic de similibus.

Dixi, *pro ratione utentibus*; nam casu quo ex malitia, vel infirmitate, ut in pueris, & amentibus, obscuratum esset, vel impeditum lumen rationis, lex illos non obligaret æqualiter, nec esset sic una respectu illorum. Et inde est, quòd apud omnes nationes, & semper non valuerunt eadem præcepta particularia, velut leges naturæ, ut polygamia, & monogamia, &c.

Prob. 3. p. de unitate aggregationis, non autem simplicitatis: Nam certum est, illam continere plures leges partiales, seu plura præcepta specialia ex illo primo principio universalissimo descendentia, & ad unum finem ultimum tendentia: quædam sunt *affirmativa*, quædam *negativa*, quædam circa *Deum*, quædam circa *proximum* in particulari, quædam circa *communitatem*, & singula implentur per actus diversos, quibus generantur etiam habitus particulares diversi specie, & virtutes, ut diximus de unitate scientiæ.

Objicies 1. Sicut se habent prima principia, & conclusiones ex eis ductæ in speculativis, ita & in practicis; sed in speculativis conclusiones ductæ ex primis principiis non sunt eædem, licèt sint eadem prima principia; ergo præcepta legis naturæ etiam strictè, licèt sequantur ex iisdem primis principiis, non erunt eadem apud omnes. Min. patet experientia de diversis adeò sententiis Philosophorum circa eadem principia. Prob. maj. quia eadem est ratio quoad hoc; nam eadem est vis syllogistica, & connexio terminorum supponitur utrobique necessaria, & evidens.

Respondeo neg. min. & ant. probationis ejus. Nam ex adversariis patet, quòd ex principiis practicis conclusiones demonstratæ tam sunt necessariæ in speculativis ex hoc principio, *Omne bonum est amandum*, tam necessariò concluditur, quòd Deus est amandus, & peccatum vitandum, quàm ulla conclusio speculativa ex suis principiis; & si omnes intellectus essent æquè dispositi, eodem modo discurrerent, & viderent in iis, & similibus, quæ primariò, & evidenter sequuntur ex illis. Non sic de iis, quæ secundariò pertinent ad hanc legem, & ad principia contingenter se habent, ut actus particulares, & præcepta, quibus diriguntur in particulari, & ideò quoad istos lex ista non est pro omnibus una; *illud enim, quod non est de lege naturæ nisi largè, & per quandam convenientiam, non est omnibus manifestum*, inquit Scotus.

Inst. Qui habent usum rationis impeditum ex prava inclinatione, aut naturali aliqua indispositione non colligunt easdem conclusiones ex iisdem principiis: unde apud aliquas nationes latrocinium non reputabatur malum, & sic de polygamia; ergo lex ista quoad conclusiones ductas ex primis principiis practicis non est eadem apud omnes.

Respondeo neg. cons. Nam loquimur de lege naturæ quoad omnes habentes liberum usum rationis, & non impeditum, vel depravatum, aut excæcatum ex malitia.

Objicies 2. Ad legem naturæ pertinet, quod est secundum naturæ inclinationem; sed non est eadem inclinatio naturæ apud omnes; ergo nec eadem lex

natu-

naturæ. Prob. min. ex Scoto. Quælibet cognitiva habet proprium appetitum, & hunc secundum diversitatem complexionum, & diversitatem dominii in cognitivis diversis.

Resp. dist. maj secundum inclinationem naturæ rectæ, conc. maj. & neg. min. naturæ depravatæ, neg. maj. & conf. & hoc sensu loquitur Scotus dicens, quosdam sequentes inclinationem primam sine regula justitiæ inclinari ad luxuriam, alios ad superbiam, &c. sed hoc accidit ex depravatione naturę per peccatum, non verò naturæ per se, & secundum rectam rationem.

CONCLUSIO II.

L*EX naturæ est una pro semper, seu unitate immutabilitatis, ita ut nec abrogari possit, nec desinere obligatio ejus quantum ad prima principia, & conclusiones ex eis evidenter illatas.* Est communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui docet, legem naturæ presse sumptam esse omninò immutabilem, *nec in ipsam cadit dispensatio, & ideò ejus oppositum semper videtur esse peccatum.* Certè si non patitur dispensationem, multò minùs abrogationem: Item quæcumque sunt de lege naturæ sive propriè, sive extensivè, semper sunt uniformia.

Confir. ex Gratiano, [2] qui jus naturale à cæteris distinguit, quod *inter omnia primatum obtinet tempore, & dignitate: cæpit enim ab exordio rationalis creaturæ, nec variatur tempore, sed permanet immutabile*: non sic alia jura, quæ mutationes patiuntur. Prob. 2. quia lex naturæ est verum practicum per se notum ex terminis, aut conclusio hinc deducta evidenter, & necessariò, ita ut convincat naturaliter, & necessariò intellectum, qui non possit dissentire; & principiativè pendet à judicio intellectus divini, qui est liber lucis æternæ, sed talia omnia sunt æternæ veritatis; ergo & immutabilia, sic ut non possint abrogari, nec cessare ab obligando. Prob. min. quia hæc fundantur in naturis rerum, & rationis humanæ, quæ sunt immutabiles, & æternæ quoad essentiam.

[1] 1.*d*.33.*q*.1.*G*.*n*.8. *&* *d*.17.*q*.1.*E*.*n*.3.
[2] *dist*.5.*princip*.

Objic. Multæ mutationes acciderunt in lege naturæ: v. gr. præceptum *non occides* est de jure naturæ strictè sumpto; & tamen licitum est occidere injustum oppressorem, cùm non potest quis aliter se defendere. Idem est de isto, *furtum non facies*; nam licitum est furari in extrema necessitate. Item de lege naturę bona omnia erant communia, quod sublatum est legibus humanis, per quas divisa sunt dominia, ita ut justè quis possideat suum. Unde Glossa docet, legem naturæ corrigi, & emendari per legem scriptam: sic de lege naturæ est, ut omnes homines nascantur liberi; & tamen jure civili introducta est servitus; ergo leges naturales strictiores non sunt immutabiles.

Resp. neg. ant. & ad probationem dico, ea omnia permitti lege ipsa naturæ in illis circumstantiis, in quibus jam licita sunt; scilicet occisio invasoris injusti ex necessaria defensione; ablatio alieni in extrema necessitate, in qua res ablata sit accipientis, & cessat esse alterius: nec id asseruit Glossa de propria correctione, de qua loquimur. Lex naturæ numquam positivè prohibuit divisionem dominii rerum; sed tantum negativè, quatenùs circa hoc nihil statuit ab initio. Imò in statu naturæ corruptæ hæc divisio valdè conveniens fuit ad pacificam societatem servandam inter homines, ut diximus ex Scoto. Item jure naturæ omnes nascuntur liberi præcisa culpa, aut alia circumstantia, vel contractu, per quæ incurritur, vel contrahitur servitus, etiam de jure naturæ, saltem latè sumpto.

Objic. 2. Ut se habent supremi principes ad legem humanam, ita Deus ad naturalem, sed illi possunt abrogare humanam; ergo & Deus naturalem.

Resp. neg. maj. absolutè loquendo: nam lex humana totam vim accipit ab homine; non ita lex naturæ a Dei voluntate positiva, saltem directè, sed à natura rerum, ut diximus, quæ de se, & ex natura sua sunt honestæ, vel inhonestæ.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

An lex naturæ sit indispensabilis.

HUc reservavimus alteram precedentis quæstionis partem de unitate, & immutabilitate legis naturæ quoad dispensationem: *Per hanc enim fieret, ut non esset una respectu omnium, nec pro semper, scilicet pro eis, nec pro illis temporibus, pro quibus, & cum quibus esset dispensatum*, inquit Scotus: [1] dispensare enim non est facere, quòd stante præcepto liceat facere contra præceptum; sed est revocare præceptum; & in hoc consistit propria dispensatio; vel declarare qualiter debeat intelligi præceptum, & est impropria dispensatio; est enim duplex dispensatio, *propria*, quæ est juris revocatio; & *impropria*, quæ est juris declaratio.

Quæritur ergo hìc, an stantibus omnibus circumstantiis eisdem in isto actu, qui est occidere hominem, variata sola circumstantia prohibiti, & non prohibiti, possit Deus facere, quòd ille actus, qui cum talibus circumstantiis est aliquando prohibitus uni, non esset aliis prohibitus; hoc enim est propriè dispensare, revocando scilicet præceptum. Si autem id non possit Deus, ut volunt Thomistæ, & alii, tunc simpliciter verum est, Deum non posse dispensare in lege naturæ, nec in præceptis Decalogi, quæ diximus esse de hac lege, & multò minùs id poterit ulla creatura. Si verò id Deus possit, ut volunt Scotistæ, & alii, quæritur etiam, an possit in iis dispensari ab homine.

CONCLUSIO I.

DEus de potentia absoluta potest dispensare propriè in aliquibus præceptis Decalogi, seu naturæ, non in omnibus.

Prob. 1. ex Scoto [1] citato, qui dicit, quòd *in his, quæ sunt strictissimè de lege naturæ, scilicet quæ sunt tanquam prima principia practica nota ex terminis, vel conclusiones necessariò sequentes ex eis, non potest esse dispensatio, quod concedo*, inquit, *sed talia non sunt*

[1] 3. d. 37. A. n. 3. [2] Ibid.

quæcumque præcepta 2. tabulæ; quia ratione eorum, quæ ibi præcipiuntur, vel prohibentur, nin sunt principia practica simpliciter necessaria, nec conclusiones simpliciter necessariæ, &c. Inter prima ponit hæc duo, quæ Deum immediatè concernunt, & negativè exprimuntur: *Non habebis Deos alienos*, &c. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*: quoad tertium autem, quod ponitur in eadem tabula, nempe, *Memento, ut diem sabbati sanctifices*, quatenus per illud præcipitur aliquis cultus exhibendus Deo pro determinato tempore, an sit de lege naturæ strictè dubium est; & tamen propendet in partem affirmantem, quia nisi esset de jure stricto naturæ, *sequeretur, quod Deus posset dispensare, quòd homo toto tempore vitæ suæ non haberet bonum motum circa Deum, quod non videtur probabile*, & dixerat, quòd quantum ad determinationem hujus, vel alterius temporis non est de lege naturæ strictè loquendo. Et denique docet, aliqua ex præceptis 2. tabulæ non esse sic de lege naturæ strictissimè; & ideò in illis potest Deus dispensare.

Item alia ratione id probat: Nam *in his, quæ præcipiuntur ibi* (scilicet in 2. tabula) *non est bonitas necessaria ad bonitatem ultimi finis convertens ad ultimum finem; nec in his, quæ prohibentur, est malitia necessario avertens ab ultimo fine sic, quin si bonum illud non esset præceptum, posset ultimus finis amari, & attingi; & si illud malum non esset prohibitum, staret cum eo acquisitio finis ultimi*. De præceptis autem primæ tabulæ secus est, quia illa respiciunt immediatè Deum pro objecto, &c. Ista sunt strictè de lege naturæ, quia si est Deus, sequitur, quòd est amandus, ut Deus, & quòd nihil aliud est colendum tanquam Deus, nec Deo facienda est irreverentia; & per consequens in istis non potest Deus dispensare, &c. Non sic est de præceptis 2. tabulæ, quia per illa non præcipiuntur, aut non convertunt necessariò ad ultimum finem; nec quæ prohibentur, sic ab eo avertunt, quin posset amari, & acquiri, licet ea fierent. Prob. min. scilicet quòd ea, quæ prohibentur, non necessariò avertunt a fine ultimo: Occisio hominis, quæ prohibetur 5. præcepto, non impedit per se amorem Dei, nec ejus consecutionem: & sic de furto, de fornicatione, & aliis; ergo quæ præcipiuntur, vel prohibentur,

non

non necessariò avertunt, vel convertunt ad ultimum finem. Prob. ant. quia si occisio, seu mortis illatio necessariò averteret à Deo, numquam mors posset sine peccato mortali optari sibi, vel aliis; sed conf. est falsum; ergo &c. Prob. maj. Nam idem esset de occisione, ac de odio Dei, esset tam per se, & ex objecto, ac essentialiter mala, ut nulla unquam occasione posset esse non mala, æque ac odium Dei. Prob. min. tum quia de facto videmus, occisionem innocentis fuisse imperatam à Deo, & volitam ab homine sanctissimo, ut patet de Abraham Isaac immolante: tum quia legibus humanis licet occidere reos criminum mortalium; & ipsa lege naturæ æque, ac civili licet occidere injustum oppressorem cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Prob. 3. ex eodem. Illa dicuntur absolutè indispensabilia, quæ sic per se, & essentialiter sunt mala, ut in nullis circumstãtiis naturaliter possibilibus possint esse licita; illa verò dispensabilia, quæ in aliquibus possunt esse licita; sed illud contingit circa aliqua præcepta naturæ, & Decalogi, & istud circa alia; ergo quædam sunt indispensabilia, & alia dispensabilia. Prob. min. Nam odium Dei, idololatria, blasphemia, perjurium, mendacium, & similia sic per se sunt mala, ut nulla sit excogitabilis circumstantia, in qua non sint illicita agentibus rationabilibus: non enim loquimur de pueris, & amentibus; & non ita est de homicidio etiam innocentis, de fornicatione, & furto; ergo, &c. Prob. ant. Nam vidimus de facto, quòd Abraham immolat licitè filium: quòd Oseas assumit mulierem fornicariam, ex qua generat filios: & Hebræi furantur bona Ægyptiorum; & hæc dispensatione fiebant divina.

Dices, in his non fuisse dispensationes, sed hæc contigisse per legis cessationem, mutata, vel deficiente materia ejus.

Contra. Nam tota illa mutatio sive in occisione Isaac, sive in furto Hebræorum, sive in fornicatione Oseæ venit ab extrinseco, & à sola voluntate Dei sic jubentis, ut tunc lex naturæ de non occidendo, furando, & mœchando cessaret; sed in hoc consistit propria dispensatio; ergo propria dispensatio divina cadere potest in illa præcepta. Et certè qui aliter uti vellet nomine dispensationis, excitaret quæstionem de

nomine; ut revera multi putant reduci ad eam hanc famosam controversiam, aliis contendentibus cum Scoto, id vocari propriam dispensationem, aliis negantibus cum Thomistis; licèt omnes de factis conveniant; sed isti dicunt legem naturæ, & Decalogi prohibere tantum occisionem hominis auctoritate propria, & furtum alieni injustum, & usum cum meretrice ante initum matrimonium cum ipsa; sed hæc non contigerunt in casibus dictis. Abraham occidebat filium auctoritate divina: Hebræi acceperunt Ægyptiorum bona, sed quæ facta erant sua, Deo hæc illis dante in mercedem laborum: & denique divino jussu Oseas priùs sibi desponsaverat fornicariam fœminam. Sed de controversiis de nomine parum curamus, sufficit nobis, quòd hæc in iisdem circumstantiis, in quibus facta sunt, licitè non potuissent sic fieri, nisi Deus, ut supremus naturæ Dominus, sic permisisset, aut mandasset, tollendo obligationem legis; nos id vocamus dispensationem propriam cum Doctore subtili; vocent alii, quomodo voluerint, per me licet.

Certè si hæ non sint propriæ dispensationes, non video, quomodo in lege ulla etiam positiva possint dari; nam semper, & ubique valebunt tales explicationes: v. g. quando Papa dispensaret absque alia causa hominem à jejunio quadragesimali ex sola propria voluntate, & in iisdem circumstantiis, in quibus aliàs præceptum illud obligaret, non diceretur dispensatio, sed mutatio materiæ talis præcepti; quatenùs scilicet esus carnium, qui est materia ejus, cessaret esse illicitus, cùm antea esset illicitus.

Prob. 4. conclusio: quia ex terminis patet, nulla ratione umquam licere posse Dei odium, vel ejus nominis contemptum, vel mendacium; & in aliis nulla repugnantia apparet, quin Deus possit facere, ut licita sit occisio, vel subreptio rei alienæ: ergo hæc posterior potestas non debet denegari Deo, sicut illa prior. Ant. patebit solutione objectionum.

Prob. denique ex D. Bernardo. [1] *Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, & reliqua illius tabulæ scita, quæ etsi nullam prorsus humanam dispensationem admittant, nec cuiquam hominum ex his aliquan-*

[1] *Li. de præcep. & dispens. c. 3.*

liquando licuit, aut licebit, Dominus tamen horum quod voluit, & quando voluit solvit: sive cum Hebræis Ægyptios spoliare permisit, sive quando Prophetam cum muliere fornicaria commisceri præcepit; quorum utique alterum quid nisi grave furti facinus? alterum quid nisi turpitudo flagitii reputaretur, si non excusasset utrumque factum auctoritas imperantis? ergo in hæc duo cadit dispensatio divina, sine qua facta illa Israelitarum, & Oseæ erant peccata gravissima.

Objic. 1. Deus non potest mutare naturas rerum; sed quæ ex natura, vel Decalogo præcipiuntur, sunt de natura sua honesta, & quæ prohibentur, sunt mala; ergo Deus non potest dispensare, ut non sint prohibita, vel præcepta. Prob. min. 1. quia hæc omnia non ideo mala sunt, quia prohibita, nec bona, quia præcepta; sed potius ideo prohibita, quia mala, & præcepta, quia bona; ergo bonitas, & malitia venit ex natura intrinseca talium actuum, & rerum.

Resp. 1. dist. min. & ant. prob. de se, & natura sua præcisis aliquot circumstantiis extrinsecis, conc. min. & ant. positis circumstantiis illis, neg. min. & antec. Ablatio rei alienæ, occisio innocentis de se, & præcisa jussione, aut licentia divina, v. g. sunt de se malæ, & ideo prohibitæ; sed adveniente licentia Dei ut supremi, & absoluti domini supra naturam cessant esse malæ, & prohibitæ.

Resp. 2. dist. maj. non potest mutare naturas physicas, aut metaphysicas rerum, conc. v. gr. non potest facere, quin homo sit animal rationale, supposito quod sit: essentias morales, & quoad extrinseca, neg. maj. v. g. potest facere, ut res, quæ erat de dominio Petri, fiat de dominio Pauli: sicut fecit, quòd bona Ægyptiorum transierint in dominium Israelitarum ex puro suo beneplacito; mutare naturam moralem Dei est facere, ut res, quæ sub aliqua denominatione morali ex se, & ex talibus capitibus, fiat sub alia denominatione pariter morali ex aliis capitibus, v. g. ex divina sua potestate, & hoc absque mutatione prædicatorum essentialium Physicorum, & Metaphysicorum.

Inst. Si Deus posset facere, ut actus, aut res prohibita natura fierent non mala, & non prohibita, bonitas eorum non à natura, sed à Dei voluntate penderet; sed hoc est falsum, & contra nos; ergo, &c. Probat.

maj. Nam prohibitione cessante cessaret malitia; sed prohibitio dependeret à Dei voluntate, quia eam posset tollere; ergo & malitia sic dependeret.

Resp. dist. maj. fierent non mala, & malitia dependeret à Dei voluntate negativè, id est quatenus non essent mala, si Deus dispensaret, conc. maj. & neg. min. positivè, ita ut voluntas Dei per actum positivum offunderet illis malitiam, vel bonitatem, neg. maj. & cons. occisio innocentis propria auctoritate est de se mala, & prohibita, sed cum tali dependentia, & subordinatione à Dei voluntate, ut per ejus dispensationem desinat esse mala; & talia sunt multa, quæ prohibentur jure naturæ, non tamen omnia.

Objic. 2. ex D. Th. Deus non potest dispensare in præceptis, quæ continent intrinsecè ordinem justitiæ; sed præcepta omnia naturæ in Decalogo utriusque tabulæ continent intrinsecè ordinem justitiæ; ergo in illis non potest Deus dispensare; maj. patet; quia Deus non potest dispensare, ut fiat injustitia. Probat. min. præcepta naturæ in Decalogo prohibent id, quod est intrinsece injustum, & præcipiunt justum; verbi gratia 5. præceptum prohibet injustam occisionem; & 6. prohibet furtum injustum; & 7. injustam fornicationem: uno verbo omnia præcepta 2. tabulæ injustitiam prohibent erga proximum; ergo omnia præcepta 2. tabulæ continent ordinem intrinsecum justitiæ.

Resp. dist. maj. Si ordo ille sit inseparabilis à re præcepta, vel prohibita, conc. maj. si sit separabilis, neg. maj. & cons. similiter distincta min. nam ordo justitiæ continetur non inseparabiliter in illis præceptis, nisi cum subordinatione ad Dei judicium, & voluntatem: verbi gratia *non occides innocentem* ex se, & præcisa ordinatione divina, dicit quidem ordinem justitiæ, sed ille ordo cessat, vel mutatur, cùm Deus aliter disponit; & ita est de aliis, quæ non sunt de jure stricto naturæ, nec sequuntur evidenter, & necessariò ex ejus primis principiis. Ad probat. dist. ant. prohibent id, quod de se est injustum, quamdiu est injustum, conc. ant. in sensu diviso prohibitionis, & ita ut prohibitio, & injustitia sit inseparabilis ab illis actibus, quos sic prohibent, neg. ant. & cons. occisio innocētis de se, & præcisa divina dispensatione est injusta, & dicit ordinem justitiæ, sed ordinem subordi-

dinatum, & dependentem à Dei voluntate, quatenus est auctor, & dominus supremus naturæ, ac justitiæ.

Inst. hoc præceptum legis naturæ, *non facies quid injustum*, est unum ex principiis moralibus legis naturæ; est enim notum ex terminis; sed istud, *non occides innocentem* necessariò sequitur ex illo primo, & ita est de omnibus aliis 2. tabulæ: quia prohibent injustitiam fieri proximo; ergo sunt de stricto jure naturæ; ergo sunt prorsus indispensabilia.

Resp. neg. min. Talia præcepta sunt quidem declarationes, & exempla particularia illius principii generalis; sed non sequûtur ex illo nec evidenter, nec necessario sic, quin saltem Deo aliter statuente, occisio innocentis, aut furtum alieni possint cum illo concordare, saltem negative, & quin illud possit servari, licet ista non serventur.

Objic. 3. Adulterium, mendacium sic prohibentur in Decalogo, ut non possit in eis dispensari; quia sic sunt intrinsece mala, ut nulla ratio boni possit inesse illis; sed eadem est ratio de omnibus aliis; ergo in nullo ex præceptis illis potest dispensari a Deo. Prob. maj. nam illa tam naturaliter, & intrinsece sunt mala, quam homo est rationalis: Deus autem non potest facere, quin homo sit rationalis; ita nec quin mendacium sit malũ; & tam sunt intrinsece, & pure mala, quam odiũ Dei; nec potest assignari ratio disparitatis.

Resp. neg. maj. & ant. prob. Ratio disparitatis est, quia odium Dei sequitur, & convertitur evidenter cum primo principio morali naturæ, *Omne bonum est amandum, & Deus est purè, & summe bonus*; non ita de aliis pluribus 2. tabulæ; & quia de facto videmus in istis dispensatum, non autem in illis; & hæc est ratio disparitatis à posteriori, illa à priori.

Inst. In Scriptura habemus, quòd præcepta, *non occides, non mœchaberis*, & alia 2. tabulæ includuntur in isto, *diliges proximum tuum sicut te ipsum*: & quòd, [1] *qui proximum diligit, legem implevit*; Et, [2] *in his duobus mandatis tota lex pendet, & prophetæ*. Denique dilectio proximi continetur, & pendet à dilectione Dei; ergo eadem necessitate, qua Dei amor sequitur ex illo principio primo, ita & omnia præcepta, quæ pertinent ad dilectionem proximi.

[1] *Rom.* 13. [2] *Matth.* 1.2.

Resp. dist. ant. includuntur per connexionem maximæ convenientiæ, conc. ant. per connexionem evidentem, & necessariam, neg. ant. & conf. Sunt ergo connexa inter se, & cum præcepto dilectionis Dei ex primo illo principio morali legis naturæ strictissimæ, non tamen necessaria, & evidenti sequela, aut connexione, sed tantum congruenti, ut docet Scotus.

Objic.4.cum Becano. Dispensare in lege nihil est aliud, quàm permittere alicui, ut agat contra legem adhuc vigentem; sed hoc Deus non potest concedere per ullam potentiam; quia id esset intrinsecè malum: ergo Deus nullo modo potest dispensare in lege naturæ, aut Decalogi.

Resp. dist. maj. ut agat contra legem adhuc vigentem pro illis, cum quibus non est dispensatum, conc. maj. pro illis, cum quibus est dispensatum, neg. maj. & conf. Nam in hoc decipitur ille Theologus, & alii, quòd putant legem vigere in sensu composito dispensationis, quod falsum est: nam, ut dixi cum Scoto, dispensatio propria est juris revocatio, ita ut lex revocetur respectu illius, qui dispensatur, verbi gratia, lex de non occidendo innocentem revocabatur pro Abraham, cùm jubebatur immolare filium: & sic de aliis.

Objic.5. Si Deus dispensaret in præcepto, *non occides*, bellum aliquod posset esse utrimque justum sine ignorantia; sed sequela est falsa: ergo non potest in eo dispensari. Prob. seq. nam dispensatus posset juste aggredi innocentem, & hic juste defendere se, ergo bellum esset utrimque justum.

Resp. 1. neg. seq. & ant. prob. Nam vel aggressus se defendens sciret, vel ignoraret præceptum datum aggressori; si sciret, ergo peccaret se defendendo, & ex parte ejus bellum esset injustum; si nesciret, ergo non esset justum ex parte ipsius sine ignorantia.

Resp. 2. neg. eandem seq. & ant. prob. Nam præceptum posset non obligare positive ad occisionem, sed permittere, vel suadere per consilium; & sic aggressor videns resistentiam ex parte aggressi, & periculum sui deberet cessare a pugna, quæ ex tunc evaderet injusta ex parte sua.

Resp. 3. neg. min. Nam in multis casibus bellum potest esse utrimque justum, v. g. dum milites jussu

re-

regum suorum inter se pugnant, utrique putant bellum esse justum: imò licèt aliqui ex scientia privata putent esse injustum, sed existiment se debere obedire, & conformare se judicio principis contra propriam suam opinionem. Item quidam docent, quòd duo natantes, & timentes naufragium inter se possunt pugnare ad obtinendam salutarem tabulam, quæ uni soli sufficere potest: & sic de aliis multis casibus.

Objic.6.Evidenter notum est lumine naturæ, quod non facienda sit injuria parentibus, nec proximo æque, ac quod non sit Deo facienda: ergo de illis Deus non potest magis dispensare, quam de isto; sed omnia præcepta naturæ in 2. tabula sunt de non facienda injuria proximo, & parentibus; ergo tam sunt indispensabilia, quam 1. tabulæ.

Resp. dist. ant. & subsumptum; quod non sit facienda injuria, formaliter ut injuria, conc. ant. materialiter, & præcisa formalitate injuriæ, neg. ant. & subsumptum. Nocumentum potest esse justum, aut saltem non injustum: v. g. occisio est nocumentum, quod potest esse injuriosum, aut non injuriosum: sub ratione injuriosi prohibetur indispensabiliter: sed sicut illa ratio potest separari, ita & Deus potest dispensare, ut innocens occidatur, ut parentibus non obediatur, &c. quia per dispensationem aufertur illa formalitas injustitiæ ab illis nocumentis materialibus, quæ alias, & præcisa dispensatione inesset illis.

Inst. Ista non prohibentur a natura rei, nec in Decalogo, nisi prout sunt injuriosa; ergo si Deus non potest dispensare ut fiant injuriose, non potest dispensare in his præceptis naturæ, & Decalogi.

Resp. 1. argumentum nimis probare, si valeat, probaret enim nequidem in lege humana Deum posse dispensare: nam cum lex humana prohibet aliquid, non prohibet illud, nisi ut non fiat peccaminose, & injuste, sed Deus non potest dispensare, ut aliquid fiat peccaminose, & injuste; ergo nec in lege humana, quod est contra omnes adversarios, & veritatem.

Resp. 2. dist. ant. ita ut modus ille, & formalitas injuriæ non præsupponatur legi, sed ad illam sequatur, conc. ant. quasi vero ille modus præsupponatur legi, neg. ant. & conseq. nam occisio, verbi gratia,

quæ prohibetur lege naturæ, si præscindatur lex, prohibitio est naturale documentum vitæ materialiter, & aliqua ratione indifferens ad injustitiam, vel justitiam; & injustitiam habet à prohibitione, quæ quidem prohibitio ut venit à natura, sequitur infallibiliter, & ex natura rei; nisi aliter ab auctore naturæ disponatur, ut diximus.

CONCLUSIO II.

Nulla *potestate creata potest dispensari in præceptis naturæ*. Ita omnes adversarii præcedentes, & quidem à fortiori; nam si hanc potestatem negant Deo, à fortiori negabunt cuique creaturæ. Est etiam Scotistarum, quos viderim.

Prob. 1. ex Scot., [1] licèt non agitet hanc quæstionem, tamen ex hoc illius principio colligitur facile: docet enim, quòd nulli inferiori licet in lege superioris dispensare; sed lex naturæ, & Decalogi est lex superioris respectu omnis potentiæ creatæ; ergo nulla potestas humana potest in ea dispensare. Maj. patet ex ipsomet, quia dispensare propriè *est revocare præceptum*; sed nullus inferior potest revocare præceptum superioris; ergo nec dispensare. probat. min. nam creaturæ omnes tenentur legibus ipsis naturæ, & sunt ei subditi; ergo non habent in eam, vel ejus leges superioritatem.

Confir. ex D. Bernardo citato, [2] qui docet expresse, quòd in præceptis Decalogi, *etsi nullam prorsus humanam mutationem admittant, cuiquam hominum ex his nullo modo solvere aut licuit, aut licebit*.

Prob. 2. quia hæc potestas esset apud reges temporales, vel Pontificem: sed neutri habent; ergo nullus homo hanc habet. Prob. min. hanc enim haberent vel à Deo, vel à natura: non à Deo: nihil enim, nec ullibi de hoc constat; non à natura; quia ipsimet ligantur, & subduntur ejus legibus; alioqui possent permittere inobedientiam, & irreverentiam in filiis erga parentes, occisionem innocentium, furta, fornicationes, adulteria; ergo in nullo præcepto naturæ possunt dispensare; est enim eadem ratio de his, & aliis.

Di-

[1] *4.d.15.q.3.G.n.8.* [2] *de dispensat. cit.*

Dixi, *propriè*; nam, ut mox patebit, certum est sæpiùs, & in multis casibus dispensatum fuisse, saltem à summo Pontifice in præceptis legis hujus per declarationem juris; quæ in casibus dubiis, vel obscuris potest fieri à superioribus, vel doctoribus, & sic per leges civiles, & Ecclesiasticas plura statuuntur circa legem naturæ; imò ferè sunt omnes explicationes, & statuta circa illam, ut facile esset ostendere percurrendo singula, & si adversarii nihil aliud volunt per dispensationem, quam sustinent admittendam per potestatem humanam, facilis est conciliatio hujus controversiæ, & reductio ad ejus quæstionem de nomine.

Objic. 1. Juramenta, & vota obligant ex lege naturæ; sed Papa solet in his dispensare; ergo & in lege naturæ.

Resp. neg. vel dist. min. dispensat impropriè, scilicet declarando in aliquibus circumstantiis juramenta, & vota non obligare, conc. min. propriè, revocando erga aliquos præcepta illa legis, neg. min. Nam in hoc consistit propria dispensatio, & numquam sic dispensant homines ulli, nequidem Papa, sed semper ex causa aliqua, ex qua inducitur, & declaratur solutio voti, & juramenti; sicut dispensat in legibus Ecclesiasticis, & civilibus; & hoc verum est, licèt utantur nomine dispensationis, quod est æquivocum ad propriam, & impropriam..

Inst. Dispensat in matrimonio rato; sed illud est naturaliter indissolubile; ergo dispensat etiam propriè.

Resp. neg. cons. non enim dispensat, nisi dissolvendo illud ex causa, ex qua sequitur aliqua invaliditas ex aliquo defectu, ut videbitur suo loco.

Inst. 2. Vel illa causa tollit obligationem, & validitatem voti, aut matrimonii, vel non; si tollit, ergo frustra recurritur ad Papam, & non debet dici dispensare; quod est contra praxim: si non tollit, ergo verè, & propriè dispensat, quia ille tollit jus, & obligationem.

Resp. quòd causa tollit obligationem, aut invalidat, aut saltem ratio est, cur dissolvatur per legitimum superiorem; & neg. cons. Quia illi defectus, & causæ nullitatum sunt dubiæ, vel obscuræ, meritò legibus positivis statuitur, ut recurratur ad superiores,

quæ declarent, an tollant obligationem; ſicut per leges civiles non licet propria auctoritate particularibus reſumere bona ſua, quæ ab aliis detinentur, licèt certi ſint de jure ſuo. Id etiam ſtatuitur, ut vitentur ſcandala, & abuſus. Nam quotidie vota, & matrimonia diſſolverentur ſub prætextu nullitatum, niſi cautum eſſet, ut id examinandum ſuperioribus reſervaretur; ut de contractuum civilium reſciſſione practicatur in civilibus.

Obj. 1. ex lege naturæ omnia erant communia; ſed huic legi derogatum eſt per jus poſitivum humanum; ergo per jus humanum diſpenſatur in lege naturæ. Idem eſt de ſervitute: nam ex naturali jure omnis homo naſcebatur liber.

Reſp. diſt. maj. omnia bona erant communia de jure negativo permiſſivo, & pro ſtatu innocentiæ, conc. maj. de jure poſitivo, & pro ſtatu naturæ corruptæ, neg. maj. nec enim extabat ullum præceptum ſpeciale, ſed tantum id pro illo ſtatu innocentiæ congruebat, ut permiſſum eſſet. Ratio eſt, inquit Doctor, [1] *quia uſus rerum ſecundum rectam rationem debet convenire hominibus, ſicut congruit ad pacificam converſationem, & neceſſariam ſuſtentationem. In ſtatu autem innocentiæ communis uſus ſine diſtinctione dominiorum ad utramque iſtarum plus valuit, quàm diſtinctio dominiorum, quia nullus tunc occupaſſet, quod fuiſſet alteri neceſſarium, nec oportuiſſet iſtud ab ipſo violenter extorqueri*, &c. at contrarium accidit poſt peccatum: communitas omnium rerum eſſet contra pacificam converſationem, cùm malus, & cupidus occuparet ultra ea, quæ ſibi eſſent neceſſaria (quod videmus quotidie) &c. quoad ſervitutem eadem eſt ratio, nullum eſt præceptum poſitive prohibens ſervitutem. ſi adſit cauſa, vel ſi quis velit ſervus eſſe. In ſtatu naturæ corruptæ inducta eſt ſervitus per peccatum: atque ſunt ſervi vel jure belli, vel jure emptionis, & venditionis: jus belli naturale eſt; nam qui victor eſt, & poterat occidere hominem, poteſt & vita condonata ſervum retinere. In bello juſta defenſio eſt de jure naturæ, & eodem jure victori cedit jus in eum, qui victus eſt. Jus etiam emptionis, & venditionis oritur ex natura, quia licet cuique diſponere de ſuo.

[1] In 4. d. 15. q. 2. A. x. 3.

suo; sed hæc pro statu naturæ depravatæ per peccatum.

Objic. 3. Papa recepit à Christo potestatem illimitatam ligandi, & solvendi, nec excepta est lex naturę; ergo potest dispensare propria auctoritate in lege naturæ, sicut Christus Deus. Prob. ant. *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*, &c.

Resp. neg. ant. & cons. prob. Nam per hæc verba non datur potestas Papæ statuendi, aut solvendi contra jus divinum, aut naturale, sed tantum ea omnia, quæ congrua judicat secundum utrumque: alioqui posset dispensare in perjurio, in odio Dei, &c. quod nemo dixerit; & si hoc assereretur de Papa in spiritualibus, idem diceretur de Imperatore, & Rege, ac Summo Pontifice in suis regnis quoad temporalia; & sic nihil esset fixum, nec certum in humanis.

Inst. Idem diceretur de Deo, si posset dispensare in jure naturæ; sed nos id concedimus Deo, & ipse potest suam omnem potestatem committere hominibus illis, ut inquit ille textus Euangelii; ergo ratio illa non sufficit ad regulandam in eis facultatem illimitatam dispensandi in lege naturæ.

Resp. neg. maj. imò impia esset comparatio; Deus à recto deflectere non potest, & sic quantacumque illi tribuatur potestas, semper in bonum tendet; non ita est de hominibus, qui omnes sunt defectibiles.

Inst. Posset esse utile saluti hominum fidelium, ut in aliquibus occasionibus posset Papa dispensare in illis præceptis; ergo id ita factum putandum est ex Dei providentia benignissima.

Resp. neg. ant. imò utilissimum est eam plenipotentiam reservari ob rationem mox allatam.

Porrò, ut rectè advertit P. Poncius, certum est, Papam in allatis casibus dispensare, scilicet in votis, juramentis, matrimoniis, residentiis, necnon in aliis multis præceptis decalogi; an id fiat per propriam, vel impropriam dispensationem parum refert, modò sciatur, eum id numquam facere sine gravi causa, propter quod dicimus illam non esse propriam dispensationem, sed potiùs declarationem, qua judicat vota, juramenta, matrimonia, &c. non tenere, nec obligare propter illas causas, saltem de stricto jure naturæ, licèt possit inesse aliquid indulgentiæ.

Que-

nomine; ut revera multi putant reduci ad eam hanc famosam controversiam, aliis contendentibus cum Scoto, id vocari propriam dispensationem, aliis negantibus cum Thomistis; licèt omnes de factis conveniant; sed isti dicunt legem naturæ, & Decalogi prohibere tantum occisionem hominis auctoritate propria, & furtum alieni injustum, & usum cum meretrice ante initum matrimonium cum ipsa; sed hæc non contigerunt in casibus dictis. Abraham occidebat filium auctoritate divina: Hebræi acceperunt Ægyptiorum bona, sed quæ facta erant sua, Deo hæc illis dante in mercedem laborum: & denique divino jussu Oseas priùs sibi desponsaverat fornicariam fœminam. Sed de controversiis de nomine parum curamus, sufficit nobis, quòd hæc in iisdem circumstantiis, in quibus facta sunt, licitè non potuissent sic fieri, nisi Deus, ut supremus naturæ Dominus, sic permisisset, aut mandasset, tollendo obligationem legis; nos id vocamus dispensationem propriam cum Doctore subtili; vocent alii, quomodo voluerint, per me licet.

Certè si hæ non sint propriæ dispensationes, non video, quomodo in lege ulla etiam positiva possint dari; nam semper, & ubique valebunt tales explicationes: v. g. quando Papa dispensaret absque alia causa hominem à jejunio quadragesimali ex sola propria voluntate, & in iisdem circumstantiis, in quibus aliàs præceptum illud obligaret, non diceretur dispensatio, sed mutatio materiæ talis præcepti; quatenùs scilicet esus carnium, qui est materia ejus, cessaret esse illicitus, cùm antea esset illicitus.

Prob. 4. conclusio: quia ex terminis patet, nulla ratione umquam licere posse Dei odium, vel ejus nominis contemptum, vel mendacium; & in aliis nulla repugnantia apparet, quin Deus possit facere, ut licita sit occisio, vel subreptio rei alienæ: ergo hæc posterior potestas non debet denegari Deo, sicut illa prior. Ant. patebit solutione objectionum.

Prob. denique ex D. Bernardo. [1] *Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, & reliqua illius tabulæ scita, quæ etsi nullam prorsus humanam dispensationem admittant, nec cuiquam hominum ex his aliquan-*

[1] *Li. de præcep. & dispens. c. 3.*

liquando licuit, aut licebit, Dominus tamen horum quod voluit, & quando voluit solvit: sive cum Hebræis Ægyptios spoliare permisit, sive quando Prophetam cum muliere fornicaria commisceri præcepit; quorum utique alterum quid nisi grave furti facinus? alterum quid nisi turpitudo flagitii reputaretur, si non excusasset utrumque factum auctoritas imperantis? ergo in hæc duo cadit dispensatio divina, sine qua facta illa Israelitarum, & Oseæ erant peccata gravissima.

Objic. 1. Deus non potest mutare naturas rerum; sed quæ ex natura, vel Decalogo præcipiuntur, sunt de natura sua honesta, & quæ prohibentur, sunt mala; ergo Deus non potest dispensare, ut non sint prohibita, vel præcepta. Prob. min. 1. quia hæc omnia non ideo mala sunt, quia prohibita, nec bona, quia præcepta; sed potius ideo prohibita, quia mala, & præcepta, quia bona; ergo bonitas, & malitia venit ex natura intrinseca talium actuum, & rerum.

Resp. 1. dist. min. & ant. prob. de se, & natura sua præcisis aliquot circumstantiis extrinsecis, conc. min. & ant. positis circumstantiis illis, neg. min. & antec. Ablatio rei alienæ, occisio innocentis de se, & præcisa jussione, aut licentia divina, v. g. sunt de se malæ, & ideo prohibitæ; sed adveniente licentia Dei ut supremi, & absoluti domini supra naturam cessant esse malæ, & prohibitæ.

Resp. 2. dist. maj. non potest mutare naturas physicas, aut metaphysicas rerum, conc. v.gr. non potest facere, quin homo sit animal rationale, supposito quod sit: essentias morales, & quoad extrinseca, neg. maj. v. g. potest facere, ut res, quæ erat de dominio Petri, fiat de dominio Pauli: sicut fecit, quòd bona Ægyptiorum transierint in dominium Israelitarum ex puro suo beneplacito; mutare naturam moralem Dei est facere, ut res, quæ sub aliqua denominatione morali ex se, & ex talibus capitibus, fiat sub alia denominatione pariter morali ex aliis capitibus, v. g. ex divina sua potestate, & hoc absque mutatione prædicatorum essentialium Physicorum, & Metaphysicorum.

Inst. Si Deus posset facere, ut actus, aut res prohibita natura fierent non mala, & non prohibita, bonitas eorum non à natura, sed à Dei voluntate penderet; sed hoc est falsum, & contra nos; ergo, &c. Probat.

maj. Nam prohibitione cessante cessaret malitia; sed prohibitio dependeret à Dei voluntate, quia eam posset tollere; ergo & malitia sic dependeret.

Resp. dist. maj. fierent non mala, & malitia dependeret à Dei voluntate negativè, id est quatenus non essent mala, si Deus dispensaret, conc. maj. & neg. min. positivè, ita ut voluntas Dei per actum positivum offunderet illis malitiam, vel bonitatem, neg. maj. & cons. occisio innocentis propria auctoritate est de se mala, & prohibita, sed cum tali dependentia, & subordinatione à Dei voluntate, ut per ejus dispensationem desinat esse mala; & talia sunt multa, quæ prohibentur jure naturæ, non tamen omnia.

Objic. 2. ex D. Th. Deus non potest dispensare in præceptis, quæ continent intrinsecè ordinem justitiæ; sed præcepta omnia naturæ in Decalogo utriusque tabulæ continent intrinsecè ordinem justitiæ; ergo in ilis non potest Deus dispensare; maj. patet; quia Deus non potest dispensare, ut fiat injustitia. Probat. min. præcepta naturæ in Decalogo prohibent id, quod est intrinsece injustum, & præcipiunt justum; verbi gratia 5. præceptum prohibet injustam occisionem; & 6. prohibet furtum injustum; & 7. injustam fornicationem: uno verbo omnia præcepta 2. tabulæ injustitiam prohibent erga proximum; ergo omnia præcepta 2. tabulæ continent ordinem intrinsecum justitiæ.

Resp. dist. maj. Si ordo ille sit inseparabilis à re præcepta, vel prohibita, conc. maj. si sit separabilis, neg. maj. & cons. similiter distincta min. nam ordo justitiæ continetur non inseparabiliter in illis præceptis, nisi cum subordinatione ad Dei iudicium, & voluntatem: verbi gratia *non occides innocentem* ex se, & præcisa ordinatione divina, dicit quidem ordinem justitiæ, sed ille ordo cessat, vel mutatur, cùm Deus aliter disponit; & ita est de aliis, quæ non sunt de jure stricto naturæ, nec sequuntur evidenter, & necessariò ex ejus primis principiis. Ad probat. dist. ant. prohibent id, quod de se est injustum, quamdiu est justum, conc. ant. in sensu diviso prohibitionis, & ita ut prohibitio, & injustitia sit inseparabilis ab illis actibus, quos sic prohibent, neg. ant. & cons. occisio innocētis de se, & precisa divina dispensatione est injusta, & dicit ordinem justitiæ, sed ordinem subordi-

di-

dinatum, & dependentem à Dei voluntate, quatenus est auctor, & dominus supremus naturæ, ac justitiæ.

Inst. hoc præceptum legis naturæ, *non facies quid injustum*, est unum ex principiis moralibus legis naturæ; est enim notum ex terminis; sed istud, *non occides innocentem* necessariò sequitur ex illo primo, & ita est de omnibus aliis 2. tabulæ: quia prohibent injustitiam fieri proximo; ergo sunt de stricto jure naturæ; ergo sunt prorsus indispensabilia.

Resp. neg. min. Talia præcepta sunt quidem declarationes, & exempla particularia illius principii generalis; sed non sequūtur ex illo nec evidenter, nec necessario sic, quin saltem Deo aliter statuente, occisio innocentis, aut furtum alieni possint cum illo concordare, saltem negative, & quin illud possit servari, licet ista non serventur.

Objic. 3. Adulterium, mendacium sic prohibentur in Decalogo, ut non possit in eis dispensari; quia sic sunt intrinsece mala, ut nulla ratio boni possit inesse illis; sed eadem est ratio de omnibus aliis; ergo in nullo ex præceptis illis potest dispensari a Deo. Prob. maj. nam illa tam naturaliter, & intrinsece sunt mala, quam homo est rationalis: Deus autem non potest facere, quin homo sit rationalis; ita nec quin mendacium sit malū; & tam sunt intrinsece, & pure mala, quam odiū Dei; nec potest assignari ratio disparitatis.

Resp. neg. maj. & ant. prob. Ratio disparitatis est, quia odium Dei sequitur, & convertitur evidenter cum primo principio morali naturæ, *Omne bonum est amandum, & Deus est purè, & summe bonus*; non ita de aliis pluribus 2. tabulæ; & quia de facto videmus in istis dispensatum, non autem in illis; & hæc est ratio disparitatis à posteriori, illa à priori.

Inst. In Scriptura habemus, quòd præcepta, *non occides*, *non mœchaberis*, & alia 2. tabulæ includuntur in isto, *diliges proximum tuum sicut te ipsum*: & quòd, [1] *qui proximum diligit, legem implevit*; Et, [2] *in his duobus mandatis tota lex pendet, & prophetæ*. Denique dilectio proximi continetur, & pendet à dilectione Dei; ergo eadem necessitate, qua Dei amor sequitur ex illo principio primo, ita & omnia præcepta, quæ pertinent ad dilectionem proximi.

X 5 Resp.

[1] *Rom.* 13. [2] *Matth.* 1.2.

Resp. dist. ant. includuntur per connexionem maximæ convenientiæ, conc. ant. per connexionem evidentem, & necessariam, neg. ant. & conf. Sunt ergo connexa inter se, & cum præcepto dilectionis Dei ex primo illo principio morali legis naturæ strictissimæ, non tamen necessaria, & evidenti sequela, aut connexione, sed tantum congruenti, ut docet Scotus.

Objic. 4. cum Becano. Dispensare in lege nihil est aliud, quàm permittere alicui, ut agat contra legem adhuc vigentem; sed hoc Deus non potest concedere per ullam potentiam; quia id esset intrinsecè malum: ergo Deus nullo modo potest dispensare in lege naturæ, aut Decalogi.

Resp. dist. maj. ut agat contra legem adhuc vigentem pro illis, cum quibus non est dispensatum, conc. maj. pro illis, cum quibus est dispensatum, neg. maj. & conf. Nam in hoc decipitur ille Theologus, & alii, quòd putant legem vigere in sensu composito dispensationis, quod falsum est: nam, ut dixi cum Scoto, dispensatio propria est juris revocatio, ita ut lex revocetur respectu illius, qui dispensatur, verbi gratia, lex de non occidendo innocentem revocabatur pro Abraham, cùm jubebatur immolare filium: & sic de aliis.

Objic. 5. Si Deus dispensaret in præcepto, *non occides*, bellum aliquod posset esse utrimque justum sine ignorantia; sed sequela est falsa: ergo non potest in eo dispensari. Prob. seq. nam dispensatus posset juste aggredi innocentem, & hic juste defendere se, ergo bellum esset utrimque justum.

Resp. 1. neg. seq. & ant. prob. Nam vel aggressus se defendens sciret, vel ignoraret præceptum datum aggressori; si sciret, ergo peccaret se defendendo, & ex parte ejus bellum esset injustum; si nesciret, ergo non esset justum ex parte ipsius sine ignorantia.

Resp. 2. neg. eandem seq. & ant. prob. Nam præceptum posset non obligare positive ad occisionem, sed permittere, vel suadere per consilium; & sic aggressor videns resistentiam ex parte aggressi, & periculum sui deberet cessare a pugna, quæ ex tunc evaderet injusta ex parte sua.

Resp. 3. neg. min. Nam in multis casibus bellum potest esse utrimque justum, v. g. dum milites justu

re-

regum suorum inter se pugnant, utrique putant bellum esse justum: imò licèt aliqui ex scientia privata putent esse injustum, sed existiment se debere obedire, & conformare se judicio principis contra propriam suam opinionem. Item quidam docent, quòd duo natantes, & timentes naufragium inter se possunt pugnare ad obtinendam salutarem tabulam, quæ uni soli sufficere potest: & sic de aliis multis casibus.

Objic.6.Evidenter notum est lumine naturæ, quod non facienda sit injuria parentibus, nec proximo æque, ac quod non sit Deo facienda: ergo de illis Deus non potest magis dispensare, quam de isto; sed omnia præcepta naturæ in 2. tabula sunt de non facienda injuria proximo, & parentibus; ergo tam sunt indispensabilia, quam 1. tabulæ.

Resp. dist. ant. & subsumptum; quod non sit facienda injuria, formaliter ut injuria, conc. ant. materialiter, & præcisa formalitate injuriæ, neg. ant. & subsumptum. Nocumentum potest esse justum, aut saltem non injustum: v. g. occisio est nocumentum, quod potest esse injuriosum, aut non injuriosum: sub ratione injuriosi prohibetur indispensabiliter: sed sicut illa ratio potest separari, ita & Deus potest dispensare, ut innocens occidatur, ut parentibus non obediatur, &c. quia per dispensationem aufertur illa formalitas injustitiæ ab illis nocumentis materialibus, quæ alias, & præcisa dispensatione inesset illis.

Inst. Ista non prohibentur a natura rei, nec in Decalogo, nisi prout sunt injuriosa; ergo si Deus non potest dispensare ut fiant injuriose, non potest dispensare in his præceptis naturæ, & Decalogi.

Resp.1. argumentum nimis probare, si valeat, probaret enim nequidem in lege humana Deum posse dispensare: nam cum lex humana prohibet aliquid, non prohibet illud, nisi ut non fiat peccaminose, & injuste, sed Deus non potest dispensare, ut aliquid fiat peccaminose, & injuste; ergo nec in lege humana, quod est contra omnes adversarios, & veritatem.

Resp. 2. dist. ant. ita ut modus ille, & formalitas injuriæ non præsupponatur legi, sed ad illam sequatur, conc. ant. quasi vero ille modus præsupponatur legi, neg. ant. & conseq. nam occisio, verbi gratia,

quæ prohibetur lege naturæ, si præscindatur lex, prohibitio est naturale documentum vitæ materialiter, & aliqua ratione indifferens ad injustitiam, vel justitiam; & injustitiam habet à prohibitione, quæ quidem prohibitio ut venit à natura, sequitur infallibiliter, & ex natura rei; nisi aliter ab auctore naturæ disponatur, ut diximus.

CONCLUSIO II.

Nulla *potestate creata potest dispensari in præceptis naturæ*. Ita omnes adversarii præcedentes, & quidem à fortiori; nam si hanc potestatem negant Deo, à fortiori negabunt cuique creaturæ. Est etiam Scotistarum, quos viderim.

Prob. 1. ex Scot., [1] licèt non agitet hanc quæstionem, tamen ex hoc illius principio colligitur facile: docet enim, quòd nulli inferiori licet in lege superioris dispensare; sed lex naturæ, & Decalogi est lex superioris respectu omnis potentiæ creatæ; ergo nulla potestas humana potest in ea dispensare. Maj. patet ex ipsomet, quia dispensare propriè *est revocare præceptum*; sed nullus inferior potest revocare præceptum superioris; ergo nec dispensare. probat. min. nam creaturæ omnes tenentur legibus ipsis naturæ, & sunt ei subditi; ergo non habent in eam, vel ejus leges superioritatem.

Confir. ex D. Bernardo citato, [2] qui docet expresse, quòd in præceptis Decalogi, *etsi nullam prorsus humanam mutationem admittant, cuiquam hominum ex his nullo modo solvere aut licuit, aut licebit*.

Prob. 2. quia hæc potestas esset apud reges temporales, vel Pontificem: sed neutri habent; ergo nullus homo hanc habet. Prob. min. hanc enim haberent vel à Deo, vel à natura: non à Deo: nihil enim, nec ullibi de hoc constat; non à natura; quia ipsimet ligantur, & subduntur ejus legibus; alioqui possent permittere inobedientiam, & irreverentiam in filiis erga parentes, occisionem innocentium, furta, fornicationes, adulteria; ergo in nullo præcepto naturæ possunt dispensare; est enim eadem ratio de his, & aliis.

[1] 4. *d*. 15. *q*. 3. *G*. *n*. 8. [2] *de dispensat. cit.*

Di-

Dixi, *propriè*; nam, ut mox patebit, certum est sæpiùs, & in multis casibus dispensatum fuisse, saltem à summo Pontifice in præceptis legis hujus per declarationem juris; quæ in casibus dubiis, vel obscuris potest fieri à superioribus, vel doctoribus, & sic per leges civiles, & Ecclesiasticas plura statuuntur circa legem naturæ; imò ferè sunt omnes explicationes, & statuta circa illam, ut facile esset ostendere percurrendo singula, & si adversarii nihil aliud volunt per dispensationem, quam sustinent admittendam per potestatem humanam, facilis est conciliatio hujus controversiæ, & reductio ad ejus quæstionem de nomine.

Objic. 1. Juramenta, & vota obligant ex lege naturæ; sed Papa solet in his dispensare; ergo & in lege naturæ.

Resp. neg. vel dist. min. dispensat impropriè, scilicet declarando in aliquibus circumstantiis juramenta, & vota non obligare, conc. min. propriè, revocando erga aliquos præcepta illa legis, neg. min. Nam in hoc consistit propria dispensatio, & numquam sic dispensant homines ulli, nequidem Papa, sed semper ex causa aliqua, ex qua inducitur, & declaratur solutio voti, & juramenti; sicut dispensat in legibus Ecclesiasticis, & civilibus; & hoc verum est, licèt utantur nomine dispensationis, quod est æquivocum ad propriam, & impropriam.

Inst. Dispensat in matrimonio rato; sed illud est naturaliter indissolubile; ergo dispensat etiam propriè.

Resp. neg. cons. non enim dispensat, nisi dissolvendo illud ex causa, ex qua sequitur aliqua invaliditas ex aliquo defectu, ut videbitur suo loco.

Inst. 2. Vel illa causa tollit obligationem, & validitatem voti, aut matrimonii, vel non; si tollit, ergo frustra recurritur ad Papam, & non debet dici dispensare; quod est contra praxim: si non tollit, ergo verè, & propriè dispensat, quia ille tollit jus, & obligationem.

Resp. quòd causa tollit obligationem, aut invalidat, aut saltem ratio est, cur dissolvatur per legitimum superiorem; & neg. cons. Quia illi defectus, & causæ nullitatum sunt dubiæ, vel obscuræ, meritò legibus positivis statuitur, ut recurratur ad superiores, qui

qui declarent, an tollant obligationem; ſicut per leges civiles non licet propria auctoritate particularibus reſumere bona ſua, quæ ab aliis detinentur, licèt certi ſint de jure ſuo. Id etiam ſtatuitur, ut vitentur ſcandala, & abuſus. Nam quotidie vota, & matrimonia diſſolverentur ſub prætextu nullitatum, niſi cautum eſſet, ut id examinandum ſuperioribus reſervaretur; ut de contractuum civilium reſciſſione practicatur in civilibus.

Objic. 1. ex lege naturæ omnia erant communia; ſed huic legi derogatum eſt per jus poſitivum humanum; ergo per jus humanum diſpenſatur in lege naturæ. Idem eſt de ſervitute: nam ex naturali jure omnis homo naſcebatur liber.

Reſp. diſt. maj. omnia bona erant communia de jure negativo permiſſivo, & pro ſtatu innocentiæ, conc. maj. de jure poſitivo, & pro ſtatu naturæ corruptæ, neg. maj. nec enim extabat ullum præceptum ſpeciale, ſed tantum id pro illo ſtatu innocentiæ congruebat, ut permiſſum eſſet. Ratio eſt, inquit Doctor, [1] quia *uſus rerum ſecundum rectam rationem debet competere hominibus, ſicut congruit ad pacificam converſationem, & neceſſariam ſuſtentationem. In ſtatu autem innocentiæ communis uſus ſine diſtinctione dominiorum ad utrumque iſtorum plus valuit, quàm diſtinctio dominorum, quia nullus tunc occupaſſet, quod fuiſſet alteri neceſſarium, nec oportuiſſet iſtud ab ipſo violenter extorqueri*, &c. at contrarium accidit poſt peccatum: communitas omnium rerum eſſet contra pacificam converſationem, cùm malus, & cupidus occuparet ultra ea, quæ ſibi eſſent neceſſaria (quod videmus quotidie) &c. quoad ſervitutem eadem eſt ratio, nullum eſt præceptum poſitive prohibens ſervitutem, ſi adſit cauſa, vel ſi quis velit ſervus eſſe. In ſtatu naturæ corruptæ inducta eſt ſervitus per peccatum: aliqui fiunt ſervi vel jure belli, vel jure emptionis, & venditionis: jus belli naturale eſt; nam qui victor eſt, & poterat occidere hominem, poteſt & vita condonata ſervum retinere. In bello juſta defenſio eſt de jure naturæ, & eodem jure victori cedit jus in eum, qui victus eſt. Jus etiam emptionis, & venditionis oritur ex natura, qua licet cuique diſponere de ſuo.

[1] *4.d.15.q.2.A.n.3.*

suo; sed hæc pro statu naturæ depravatæ per peccatum.

Objic. 3. Papa recepit à Christo potestatem illimitatam ligandi, & solvendi, nec excepta est lex naturę; ergo potest dispensare propria auctoritate in lege naturæ, sicut Christus Deus. Prob. ant. *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*, &c.

Resp. neg. ant. & conf. prob. Nam per hæc verba non datur potestas Papæ statuendi, aut solvendi contra jus divinum, aut naturale, sed tantum ea omnia, quæ congrua judicat secundum utrumque: alioqui posset dispensare in perjurio, in odio Dei, &c. quod nemo dixerit; & si hoc assereretur de Papa in spiritualibus, idem diceretur de Imperatore, & Rege, ac Summo Pontifice in suis regnis quoad temporalia; & sic nihil esset fixum, nec certum in humanis.

Inst. Idem diceretur de Deo, si posset dispensare in jure naturæ; sed nos id concedimus Deo, & ipse potest suam omnem potestatem committere hominibus illis, ut inquit ille textus Euangelii; ergo ratio illa non sufficit ad regulandam in eis facultatem illimitatam dispensandi in lege naturæ.

Resp. neg. maj. imò impia esset comparatio; Deus à recto deflectere non potest, & sic quantacumque illi tribuatur potestas, semper in bonum tendet; non ita est de hominibus, qui omnes sunt defectibiles.

Inst. Posset esse utile saluti hominum fidelium, ut in aliquibus occasionibus posset Papa dispensare in illis præceptis; ergo id ita factum putandum est ex Dei providentia benignissima.

Resp. neg. ant. imò utilissimum est eam plenipotentiam reservari ob rationem mox allatam.

Porrò, ut rectè advertit P. Poncius, certum est, Papam in allatis casibus dispensare, scilicet in votis, juramentis, matrimoniis, residentiis, necnon in aliis multis præceptis decalogi; an id fiat per propriam, vel impropriam dispensationem parum refert, modò sciatur, eum id numquam facere sine gravi causa, propter quod dicimus illam non esse propriam dispensationem, sed potiùs declarationem, qua judicat vota, juramenta, matrimonia, &c. non tenere, nec obligare propter illas causas, saltem de stricto jure naturæ, licèt possit inesse aliquid indulgentiæ.

Que-

Quæres, *An saltem possit lex naturæ per homines corrigi, vel emendari, aut commodè exponi per Epiikiam, sicut leges humanæ.*

Resp. negativè: nam sic legem corrigere est explicare: in certis casibus, aut circumstantiis præcepta legis non comprehendunt, nec extenduntur ad eos; quia præsumitur benignè, quòd legislator noluit eos casus comprehendere; nam lex naturalis est ipsa rectitudo, & convenientia objectiva rerum ex terminis nota, & evidens cuilibet ratione utenti, seu verum ipsum practicum, seu propositiones objectivæ, quibus proponuntur, quæ sunt facienda, aut vitanda à parte rei, & independenter ab omni lege positiva; ergo quoad hæc non potest corrigi, vel emendari, nec dubitari de casibus, quos comprehendat; bene verò dari possunt circumstantiæ, & casus particulares, in quibus dubitari potest, an sint de materia preceptorum ejus; & explicatio, seu declaratio cadit non in intensionem legis, sed in materiam ipsam.

QUÆSTIO VI.

De jure naturæ, an, & quomodò differat à jure gentium.

OBiter hanc quæstionem tangimus hìc, quia ex professo examinanda erit in tract. de justitia, & jure. Diximus autem *juris* nomen significare 1. *justum*, quod alicui debitum est, & est objectum justitiæ, quæ inclinat ad reddendum cuique suum, seu debitum. 2. *legem*, seu *regulam justi*; quo sensu jus divinum, vel humanum idem significat, quod lex humana, vel divina, quo determinatur, & statuitur quid debeat homo sibi, vel alteri, & dirigitur in suis actibus liberis. 3. *pro legitima potestate* aliquid habendi, vel faciendi, ut *jus* regis est tributa imponere, & recipere, leges ferre: & hoc sensu describitur *potestas legitima ad aliquid habendum, vel faciendum, cujus violatio dicitur injuria.*

Jus dividitur 1. in *naturale*, *gentium*, & *positivum*: *naturale* describitur à Scoto, cujus veritas nota est ex terminis, & quod sequitur evidenter ex tali vero sic noto. *Jus gentium* dicitur illud, quod *usu* om-

omnium, vel plurium nationum introductum est, ut conveniens humano generi, & societati. Positivum denique, quod *voluntate potestatem habentis positum est*.

Rursus in plura alia membra subdividi potest, v. g. in *paternum*, quod inter patrem, & filium: *Oeconomicum*, quod inter maritum, & uxorem: & *herile*, quod inter dominum, & servos. Item in *divinum*, quod Dei legibus constitutum est; & *humanum*, quod humanis. *Divinum* subdividitur in *vetus*, quod lege Mosaica statuebatur; & *novum*, quod Euangelica. *Humanum* denique in *temporale*, seu *civile*, quod potestate sæculari; & *Canonicum*, seu *Ecclesiasticum*, quod spirituali auctoritate sancitum fuit. His prælibatis sit

CONCLUSIO.

Jus naturale distinguitur à jure gentium per hoc: Naturale est verum illud practicum, quod de se est notum omni naturæ rationali independenter ab omni institutione positiva: Jus verò gentium, quod ex consensu populorum omnium, aut ferè omnium constitutum est; non verò in hoc, quod illud sit commune homini cum brutis, istud verò proprium soli homini. Est communis Philosophorum, & Theologorum contra Juristas, qui hoc 2. modo illa jura distinguunt.

Prob. 1. ex Scoto citato, [1] qui sic *jus naturæ* definit; & sæpe retulimus varios textus, quibus docet pertinere ad *jus naturæ strictum* non solùm prima principia practica ex terminis nota, sed etiam conclusiones ex illis evidenter, ac necessariò ductas; *latè* verò quidquid est consonum illis principiis, licèt non sequatur ex illis tam evidenter.

Prob. 2. ex dictis hucusque de essentia, & conditionibus legis naturæ, cujus hæc est notabilissima, & præcipua, quòd obliget independenter ab ulla institutione positiva: nam inde sequitur evidenter illud per id distingui à *iure gentium*, quod vel consensu tacito, vel positivo nationum introductum est: nam in hoc convenit cum *iure positivo*: usus enim ille perpetuus, & communis æquivalet constitutioni positivæ.

Hinc

[1] *Ibid. & 3. d.37.n.3.*

Hinc patet, quòd ad *jus naturale* pertinet omne præceptum, quod recta ratio ex lumine, & instinctu naturæ, non constitutione aliqua positiva servandum judicat ab homine secundum se spectato: ut quòd Deus sit colendus; parentes honorandi; nulli facienda sit injuria: &, ut loquitur Gratianus, *jus naturale* est commune omnium nationum, & quod ubique instinctu naturæ, non aliqua constitutione habetur; ut viri, & fœminæ conjunctio; liberorum susceptio, & educatio; communis omnium possessio; & omnium una libertas; acquisitio eorum, quæ terra, marique capiuntur; depositæ rei, vel commendatæ pecuniæ restitutio; violentiæ per vim repulsio: nam hoc, aut si quid simile est, numquam injustum, sed naturale, æquumque habetur. Ad *jus* autem *gentium* pertinent omnia illa, quæ pro societate civili tuenda populis bona visa sunt, eorumque consensu, & usu constituta: & hujusmodi sunt sedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captivitates, servitutes, fædera, paces, induciæ, legatorum non violandorum religio, connubia inter alienigenas prohibita, bonorum divisiones, dominia, & alia, quæ populi omnes, aut ferè omnes conspicientes rectæ rationi conformia, & fovendæ societati communi inter se judicantes opportuna, non ab aliquo principe, nec in aliquo particulari regno stabilita sunt, sed communi usu, & consensu; & ideò quasi medium est inter naturale, & civile: quia nec à sola natura insitum, nec voluntate, vel decreto positivo principis, aut rei publicæ stabilitum, sed tacita gentium plurimarum consuetudine, & usu introductum; & sic est quasi *positivum*, & *humanum*: & in hoc differt maximè à *naturali*; nam alioqui omnia ejus præcepta sunt satis naturalia largè sumpto nomine *juris naturalis*, scilicet pro eo, quod valde consentaneum est principiis primis, & practicis morum.

Prob. 2. p. contra Juristas. Nam *jus*, prout convenit cum lege, debet esse regula quædam morum, seu justæ operationis, vel injustæ, laudabilis, vel vituperabilis; sed hæc propria est homini: ergo omne jus sive naturæ, sive gentium respicit solum hominem, non autem bestias, quę non sunt capaces talis regu-

le, sicut nec operationis honestæ, aut turpis; hæc enim propria est solius naturę rationalis.

DISPUTATIO VIII.

De lege divina

INter leges positivas divina principatum habet; & hęc duplex est, *æterna* scilicet, & *temporalis*, & de utraque hìc breviter agemus, quantùm tamen sufficiet Philosopho, aut Theologo.

QUÆSTIO I.

De lege æterna Divina, an, & quid sit.

LEX omnis divina dici potest *æterna*, vel 1. quia Deus eam habet ab ęterno; & hoc sensu actus omnes tam intellectus, quàm voluntatis divinę sunt ęterni, quia ille totus est ęternus, & nihil de novo potest habere in tempore propter immutabilitatem suam summam; vel 2. quia à parte post durare debet sine fine: sic lex Euangelica in comparatione Mosaicę dicitur *æterna*, quia finem non habebit. vel 3. quia est quid necessarium in Deo in comparatione actuum liberorum, & contingentium, quos sic habet, ut potuerit non habere, ut volitio, & decretum creationis, quod potuit non habere, quamvis illud habuerit ab ęterno.

Porrò dari aliquam hujusmodi legem in Deo non est quod probem: omnia id clamant: ut cum ore, & calamo Salomonis Sapientia dicit, [1] *Ab æterno ordinata sum, quando certa lege, & gyro vallabat abyssos, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos.* Et D. Augus. eam velut aliarum omnium legum fontem, ac regulam docet; *Nihil quippe in temporali lege justum, quod ex lege æterna non derivetur.* Imò & ipsi Philosophi eam videntur agnovisse; *Video*, inquit Cicero, *sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, neque scitum a liquod esse populorum, sed æternum quiddam, quod universum mundum regit imperandi, prohibendique*

[1] Prover. 8. [2] 1. de lib. arb. c. 6.

dique sapientia. Item, *Principem legem illam, & ultimam mentem dicebant esse omnia ratione seu cogentis, seu præcipientis, aut vetantis Dei, ex qua illa lex, quam Dii humano generi dederunt, & recte laudata*. Restat videre quid illa sit.

CONCLUSIO.

LEX æterna est actus divinæ mentis, quo judicat, & vult quasdam regulas practicas æternæ, ac necessariæ veritatis à creaturis observari.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui post S. August. ait: *Oportet concedere, quod veritates infallibiles videntur in regulis æternis, & quod istæ regulæ scriptæ sunt in libro lucis æternæ*. Regulæ autem illæ non tantùm pendent ab intellectu divino, sed etiam ab ejus voluntate, & quidem principaliter: deinde dicit: [2] *potentia ordinaria est illa, quæ conformis est in agendo regulis prædeterminatis à divina sapientia, sed magis à divina voluntate*: & patet etiam ex textibus, quibus probatum est ex Scoto vim legis principaliter consistere in actu voluntatis, qua vult legislator subditos obligari ad ejus observantiam.

Prob. 2. ex S. August. [3] qui inter alias definitiones hujus legis docet; *Lex æterna*, inquit, *est ratio divina, & voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, & perturbari vetans*: & peccatum dicit esse *dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam*. & alibi [2] vocat eam *summam rationem in Deo existentem, cui semper est obtemperandum, vel qua justum est, ut omnia sint ordinatissima*; sed sola cognitio, seu judicium intellectus Dei non imponit per se præcisè obligationem obtemperandi, nisi accedat obligandi volitio; nec enim tenemur omnia facere, quæ Deus novit recta, & bona; ergo lex æterna importat utrumque actum, scilicet rationis, ac voluntatis divinæ.

Prob. 3. Quia lex æterna ex omnium sensu nihil aliud est, quàm actus Dei judicantis, & volentis aliqua fieri, aut vitari propter bonitatem, aut malitiam ex natura rei prodeuntem, aut propter ipsam volitionem, vel nolitionem ejus positivam. Unde aliqua pec-

[1] 1.*d*.3.*q*.4.*P*. [2] 2.2.*d*.7.1.*I*.
[3] 22.*cont.Faust.c*.27. [4] *De lib.arb.c*. 5.

peccata sunt contra legem naturalem simul, & positivam æternam, aliqua purè contra æternam, illa videlicet, quæ sunt immediate contra aliquam aliam legem positivam in re, & ex natura sua non præcepta, vel vetita; quia lex æterna Dei jubet obediendum esse omni potestati legitimæ; est enim origo aliarum omnium legum, ut dicetur.

Objic. Voluntati divinæ debent omnes semper conformari; sed non omnes semper debent conformari legi æternæ; ergo non est in voluntate Dei. Probat. min. sæpe dolemus rationabiliter de rebus, quæ secundum legem æternam fiunt; v. gr. filii dolent de morte parentum, nec id eis imputatur; sed hęc mors accidit secundum legem æternam; ergo non omnes semper debent conformari æternæ legi.

Resp. dist. maj. Debemus conformari quoad volentem, conc. maj. & neg. min. quoad volitum, neg. maj. debemus sic conformari divinæ legi, & voluntati, ut velimus id, quod jubet nos velle, & eo modo, quo id jubet nos velle, licet aliunde nobis displiceat objectum, v. gr. filiis displicere debet mors parentum, sed non debet displicere respectu voluntatis divinæ; & hoc vult ipse Deus; scilicet *vult, quòd ipse filius velit patrem vivere ex naturali pietate, quem ipse vult mori ex suo judicio*, inquit August.

Dixi, *quæ vult regulas practicas necessariæ, ac æternæ veritatis observari à creatura*; & per hoc differt à lege positiva, seu temporali divina, quæ est de contingentibus, & est mutabilis saltem objectivè, ut lex Mosaica, quæ temporaria fuit, & finem accepit per promulgationem Euangelicæ. Nam lex purè positiva divina est circa contingentia; & sic absolutè, & totaliter pendet à decreto voluntatis Dei, à qua est prima regula contingentium, & agibilium ad extra: *æterna* verò est de regulis necessariæ, ac æternæ veritatis, quas scilicet intellectus divinus videt, ac judicat necessariam habere connexionem cum fine; & sic dicitur propriè æterna: nam quòd sit in Deo ab æterno, id non facit differentiam ejus à legibus, & decretis, & liberis, ac contingentibus; hæc enim sunt etiam in Deo ab æterno. 2. differunt, quia illa, quam dicimus æternam, est immutabilis; quia est de necessariis, & æternæ veritatis, quæ aliter se habe-

bere non possunt; quia essentialem, & intrinsecam habent honestatem, aut turpitudinem, ut amor, & odium Dei: illa verò, quam dicimus positivam divinam, est de contingentibus, quę esse, vel non esse potuerunt: ut ceremonialia legis Judaicæ, præceptum baptismi, & circumcisionis, &c. 3. lex æterna extenditur ad omnes creaturas: positiva autem ad solas creaturas rationales, & quidem secundum diversos status, & ætates.

Quod ut clarius sit, supponendum, quòd quædam habent ex se necessariam, & naturalem, & intrinsecam honestatem, ut amor Dei, cultus parentum, obedientia superioribus, &c. vel turpitudinem, ut odium Dei, contemptus parentum, mendacium, &c. & horum prima regula non petitur à voluntate Dei, sed ab intellectu sic judicante, & cui voluntas divina in his necessariò conformatur ad intra per approbationem, vel improbationem internam. Etenim licèt Deus ad extra potuerit non prohibere odium Dei, nec illud præcipere positivè; tamen non potuit non judicare internè, & indicativè honestum esse amorem, nec voluntas potuit non approbare similiter illum amorem, sicut nec potuit idem intellectus non judicare indicativè inhonestatem odii Dei, nec voluntas illud non reprobare per displicentiam. Dico, *internè*, & absque ullo actu positivo ad extra, quo prohibuerit odium, vel præceperit amorem; hoc enim fecit contingenter, & liberè, illud verò non, sed summa necessitate. Igitur externa jussio, ut ista; *diliges Dominum Deum tuum*, & prohibitio pariter externa, ut ista; *non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*, pertinent ad legem positivam; interna verò, qua illi displicet blasphemia, & eam improbat ut malam, & qua ei placet amor Dei, & illum judicat bonum, ac necessarium, spectat ad legem æternam; & istud judicium in intellectu, & ista displicentia, & complacentia in voluntate sunt necessariæ; sed illa præceptio, & prohibitio ad extra sunt contingentes; & liberè Deus eas habet.

CON-

CONCLUSIO.

LEX *ista æterna habet veram legis rationem, & obligat omnes prorsus creaturas.*

Prob. 1. ex Scoto locis citatis, ubi eam vocat legem; nec est ulla ratio, cur dicatur loqui in sensu improprio.

Prob. 2. ex August. [1] qui describit eam ut veram. *Æternæ legis notio*, inquit, *nobis impressa est; ea enim est, qua iustum est, ut omnia sint ordinatissima. Licèt ergo æternam illam legem comprehendere non possimus, nihilominus ipsam per varios effectus cognoscere possumus; sicut aliquis non videns solem in sua substantia, ipsum per irradiationem, & diffusum lumen comprehendit.*

Prob. 3. quia nihil deest illi ad rationem propriæ legis; est enim vera regula humanarum operationum à legitima potestate præscripta communitati creaturarum, obligans eas ad obediendum.

Prob. 2. p. quia est gubernativa universi, & directiva omnium in suos fines; sed omnes prorsus creaturę subduntur gubernationi divinę; ergo & legi eius ęternę. Prob. min. ex Script. [2] *Quando circumdabat mare, & legem ponebat aquis*, &c. Et, *dixit mari, huc usque venies, & non procedes amplius*. Et, *Attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*: hoc dicitur de sapientia divina. Et, [3] *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius*. Et, *Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi*; quod si ei subduntur creaturę istę irrationales, quanto magis rationales? illę quidem necessariò, & naturaliter, quatenus eas regit per instinctum, & inclinationem, quam illis imprimit, tendunt in finem, quem ipse illis præfixit; istę verò liberè illi obsequuntur, & media cognitione, non autem cęcè, aut necessariò, maximè in moralibus, & ideò obedientia illis imputatur ad meritum, & inobedientia ad pœnam.

Confir. ex Augu. [4] citato, qui definit legem ęternam esse *rationem in mente Dei existentem, qua res omnes*

[1] *de vera relig. c.* 30. [2] *Sap.* 8.
[3] *Ps.* 148. & 118. [4] *Ibid.*

mnes per consentanea media in fines suos diriguntur.

Objic. 1. contra 1. p. Lex dicit relationem necessariam superioris præcipientis ad subditum, qui obediat; sed ab æterno nullus existebat subditus; ergò neque lex. Min. patet ex dictis de creatione mundi in tempore. Maj. prob. lex est actus imperii superioris ad subditum, & vanum est imperium, si nullus sit, qui possit obedire.

Resp. dist. maj. relationem aptitudinalem ad subditum aliquando futurum, conc. maj. actualem necessariò coexistentem præcepto, neg. maj. & cons. probationis: nam solent legislatores ferre leges pro futuro, & pro subditis futuris. Sic lex de morte pro peccato originali respicit posteros Adæ.

Inst. De ratione veræ legis est, ut promulgetur; sed non fuit ab æterno ullus, cui promulgaretur; ergo non habuit rationem veræ legis.

Resp. dist. pariter maj. id est debet promulgari, ut obliget, & pro tempore, pro quo incipit obligare, conc. maj. quasi promulgatio sit de essentia legis, & debeat promulgari, dum fertur, neg. maj. & cons. Diximus promulgationem esse tantùm conditionem, sine qua lex non obligaret, non verò formalitatem ejus essentialem: & ideò sufficit ut promulgetur, cùm incipit obligare. Deinde suo modo pronuntiata est, ac scripta in libro lucis æternæ: & *semel locutus est Deus*, scilicet per æternitatem, & ille liber semper patens est, si autem non sint audientes, pronuntiantes, nec legentes verbum scriptum, non minùs existit verbum, & lex.

Objic. contra 2. p. Lex non est pro iis, quibus non potest promulgari; sed non potest lex æterna promulgari irrationabilibus creaturis; ergo pro illis non est.

Resp. dist. maj. quibus non potest promulgari ulla ratione, nec sufficienter, & sic ut possit ei obediri, conc. maj. & neg. min. promulgari, ita ut veniat in cognitionem subditi, neg. maj. & cons. lex æterna, quæ concernit creaturas irrationales, illis promulgatur ea ratione, qua illius sunt capaces, scilicet imprimendo illis inclinationes, & instinctus, quibus ducuntur in finem ipsis à Deo per legem æternam præfixum; quæ verò concernunt rationales, intimantur

illis

illis suo pariter modo: scilicet illa est promulgatio metaphorica, & impropria, ista verò propria.

Inst. Irrationales creaturæ non sunt capaces præcepti; ergo nec legis.

Resp. dist. ant. præcepti moralis, conc. ant. præcepti naturalis, neg. ant. & conf. vel eam similiter distinguo: nam homines sunt capaces præcepti moralis, quo dirigantur in suis moribus ad honestè, & laudabiliter agendum; creaturæ verò irrationales præcepti naturalis, quod fit per impressionem virtutis activæ, & motricis, qua dirigantur ad finem suum naturalem. Sic *præceptum omnibus posuit, & non præteribit.* Sic *armabit creaturam ad ultionem contra insensatos*.

Objic. 2. Ea tantùm subjiciuntur legi, quæ præmii propter obedientiam, vel pœnæ propter inobedientiam sunt capacia; sed tales non sunt creaturæ omnes preter rationales; ergo istę solę subjiciuntur legi ęternę. Prob. min. Nam istę solę sunt liberę; ergo & solę capaces pręmii, & pœnę.

Resp. dist. mai. legi morali, conc. maj. & min. legi naturali, neg. maj. & min. & conf. Nam, ut docet Anselmus, *unaquæque creatura cum sibi præceptum ordinem naturaliter, aut rationabiliter servat, Deo obedire dicitur*. Vides pręcepta divina servari *rationaliter* ab homine, & Angelo, & *naturaliter* ab irrationabilibus: & hoc sensu *ignis, grando, nix, glacies dicuntur facere verbum Dei*.

Inst. Si creaturę rationales dirigerentur, & subjicerentur legi divinę, nulla evenirent fortuita; sed falsum conf. innumerata enim talia eveniunt singulis momentis; ergo non subjiciuntur legi ęternę.

Respondeo dist min. plura eveniunt fortuita, & monstruosa respectu causarum particularium, conc. min. respectu Dei gubernantis, neg. min. & conf. illa, quę dicimus fortuita, & monstruosa, sic dicuntur respectu causarum particularium, extra quarum ordinem fiunt, non verò respectu Dei, qui omnia facit *in pondere, numero, & mensura*, & scit quomodo, & quare hęc fiant.

Objicies 3. ex Scriptura. Iniqui non subjiciuntur legi divinę; ergo nec omnes creaturę rationales. Prob. ant. [1] *Sapientia carnis inimica est*

[1] *Rom.* 8.

Deo, legi enim Dei non est subjecta.

Resp. dist. ant. & prob. non subjiciuntur de facto, idest non obediunt, conc. non subjiciuntur de jure, & non debent obedire, neg. ant. utrumque: non obediunt quidem, sed non minùs subjiciuntur, quàm justi; sicut enim isti de facto subjiciuntur, & obediunt, ideoque legi præmianti subjacent; ita illi de jure subjiciuntur, & debitores sunt obedientiæ, & incidunt in pœnas legis, cui nolunt obedire, & sic declinantes legem incurrunt in legem, *Sicut ea, quæ cœli ambitu continentur* (idem est de omni circulo) *non esse sub Cœlo, aut elongari à Cœlo non possunt, nec fugere cœlum, nisi appropinquando; ita licèt nullus Angelus, vel homo divinæ voluntati subjacere velit; tamen eam fugere non valet, quia, si vult fugere de voluntate præcipiente, fugit sub voluntatem punientem*, quod breviùs dixit Boetius: [1] *Ordo cuncta complectitur, ut si quis ab assignato ordine recesserit, in alium ordinem relabatur*. Sic lex æterna optimè comparatur circulo, in quo inclusus non potest recedere ab una parte circumferentiæ, quin accedat ad aliam.

CONCLUSIO III.

Lex æterna est in se una, sed formaliter, & objectivè multiplex, invariabilis secundum se; & origo aliarum omnium legum.

Prob. 1. ex Scoto, [2] qui docet, regulas æternas contineri in luce increata, quæ est *primum principium speculabilium, & ultimus finis operabilium*: & cum August. quòd *veritates infallibiles videntur in regulis æternis* &c. ergo ex Scoto habent unitatem entitativam, pluralitatem terminativam, & formalem secundum diversa objecta, ad quæ terminantur.

Prob. 2. quia, ut suppono ex Theologis, intellectus divinus respectu necessariorum, sicut voluntas divina respectu contingentium est ratio summa, & unica, in qua continentur eminenter omnes veritates tam practicæ, quàm speculativæ; ergo sicut una est in entitate summa, & æterna veritas, ita est una lex æterna; & sicut formaliter, & terminativè sunt plures veri-

[1] 4. *consol. pro. 6.*
[2] *d. 3. q. 4. P. & 1.*

veritates, ita & leges æternæ. Ideò Scotus leges illas semper exponit pluraliter, ut patet ex innumeris textibus, ut cùm dicit, [1] quòd *non est necessaria specialis illustratio ad videndum in regulis æternis, quia Aug. non ponit in eis videri nisi vera, quæ sunt necessaria.*

Prob.2.p. ex eodem. Nam lex æterna est de regulis æternis, quæ sunt veritates æternæ, necessariæ, & immutabiles in mente divina, scilicet leges illæ in Deo sunt immutabiles, quia nihil sunt realiter distinctum ab ejus intellectu, & voluntate; ergo in se non potest esse nisi immutabilis.

Confir. ex August. *Quis dubitat*, inquit, *istam legem intervallis locorum, & temporum nec majorem esse, nec minorem, cùm potentia superet omnia? Hæc est lex omnium artium, cùm sit omninò immutabilis*, &c. loquitur autem de lege æterna, & alibi: *Lex illa, quæ summa ratio nominatur, cui semper obtemperandum est, potest ne cuipiam intelligenti non incommutabilis, æternaque videri?* scilicet secundum se, non autem terminativè, & quoad effectus suos, secundum quos variatur, cum sint temporales, & contingentes.

Prob. 2. ratione jam tacta ex Doctore, quia lex æterna est actus intellectus, seu judicium ejus de veritatibus practicis necessariis, & æternæ veritatis, & complacentia interna voluntatis ejus, qua illas approbat, & vult eas observari; sed omnes actus interni intellectus, & voluntatis Dei sunt immutabiles secundum se; ergo & lex æterna. Maj. constat ex concl. 1. minor supponitur ex Theologis de immutabilitate Dei.

Prob. 3. p. ex Scoto, qui post August. docet, quòd *nulla est lex, nisi quæ vel dejicendit à lege divina, sicut conclusiones pract.cæ à principiis practicis, vel quæ concordat legi divinæ, ad minùs quæ non discordat;* ergo lex æterna est origo aliarum legum.

Prob. 4. ex Scriptura, qua constat Deum esse auctorem omnis potestatis, & regulam omnis regiminis, ac politiæ, & legislationis; *Non est potestas nisi à Deo, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*, inquit Apost. [2] Et Christus dicebat Pilato, [3] *Non haberes in me potestatem, nisi tibi datum esset desuper.* Et,

Y 2

[1] *Ibid.* F. [2] *Rom.* 13. [3] *Jo.* 19.

Et *Per me reges regnant*, (inquit divina sapientia) *per me principes imperant, & legū conditores justa decernūt*.

Confir. ex Patribus, maximè ex August. [1] *In lege temporali nihil iustum, atque legitimum, quod non ex hac æterna sibi homines derivaverint*. Et alibi: *Non tribuamus dandi regni, imperiique potestatem, nisi Deo vero, qui dat felicitatem regnorum piis, regnum verò terrenum & piis, & impiis, sicut ei placet, cui nihil placet injustè. Nam qui dedit Mario, ipse Cajo Cæsari, qui Augusto, ipse & Neroni* &c. *qui Constantino Christiano, ipse & Apostatæ Juliano*.

Prob. 5. ratione: quia omnis vis causativa vim causandi participat à causa prima; ergo omnis lex vim habet obligandi, & dirigendi à Deo. Prob. ant. quia quod est primum in omni genere, est mensura, & causa cæterorum.

Confirmatur: quia de facto omnia, quę in legibus positivis tam humanis, quàm divinis statuuntur, respiciunt vel cultum Dei, & directionem hominis in suum finem ultimum, vel quietam vitam civilem; sed omnia hęc derivantur à lege ęterna, seu à judicio practico intellectus divini de veritatibus necessariis practicis, & à volitione obligandi ad illa; ergo leges omnes derivantur à lege ęterna ut conclusiones ex illis principiis deductę. Prob. min. inductione: nam quę spectant ad Deum pendent ad hoc principio, *Deus est colendus*; quę verò ad vitam civilem, pendent ab isto, *Nulli facienda est injuria*, vel, *Quod tibi non vis fieri* &c.

Objic. contra 1. p. In lege ęterna sunt plures regulę, & dictamina in ordine ad plura objecta; ergo non est in se una, sed multiplex. Prob. ant. Alię respiciunt creaturas omnes, etiam irrationales, alię solas rationales &c. ergo sunt plura dictamina; ideò in Patribus, & Scoto, & aliis nominantur pluraliter.

Resp. dist. ant. plures regulę materialiter terminativè, conc. ant. entitativè, & in se, neg. ant. & cons. unde plures sunt rationes objectorum, & materiarum diversarum, ad quas terminantur, non verò in se.

Objic. contra 2. p. Lex pręcipiens contraria est mutabilis; sed lex eterna precipit contraria; ergo &c. Prob. min. ex August. *Domine si modò imperas, quod ali-*

[1] *lib. arb. c. 6.*

aliquando vetasti, quis dubitat hoc esse faciendum? ergo imperat, vel imperare potest contraria.

Resp. dist. maj. si contrarietas sit intrinseca, & in motivo, conc. maj. & neg. min. si sit intrinseca, & terminativè, neg.maj. & cons. Contrarietas, si quę apparet in legibus divinis, reperitur in terminis extrinsecis, scilicet in creaturis, juxta diversitatem statuum, & temporum; sed ratio, & motivum legis semper est unum, & in hoc sensu loquitur Augustinus: Sic divina providentia modò gubernat, & providet nobis per media dulcia, modò per severa, & amara; aliis alia jubet; sed una est sapientia, & regula prima; tota diversitas est in terminis, & effectibus.

Objic. 2. Leges aliquæ ęternæ sunt conditionatæ; ergo & obnoxiæ mutationi, si videlicet adsit, vel absit conditio, quæ ponitur contingenter. Prob. ant. Deus enim non dicit absolutè, *Petrus salvabitur*, sed conditionatè, *si in gratia perseveraverit*, & idem est de Juda damnando. Hæc difficultas pendet ex dicendis de scientia Dei.

Respondeo tamen pro nunc absolutè neg. ant. Nam Deus æterna lege dicit, *Ubi ceciderit lignum, ibi erit*; ex hac autem regula sequuntur aliæ conditionatæ, ut: *Si ad dexteram, erit cum ovibus, & prædestinatis, sin verò ad sinistram, erit cum hœdis, & reprobis*. Uno verbo tota conditio, & varietas, seu mutatio est in effectu, & subditis, non autem in Deo, qui non hæsitat dubius.

Objic. cont. 3. p. Plures humanæ leges opponuntur æternæ; ergo non pendent ab ea. Prob. ant. Nam multa permittuntur, aut impunita sinuntur per humanas leges, quæ prohibet, & punit æterna.

Respondeo dist. ant. opponuntur negativè, & secundum rationes aliquas particulares, conc. ant. positivè, & secundum rationes communes, neg. ant. & cons. Nam nihil statuitur, nec fit contra providentiam generalem; & quæ lex humana prætermittit punire, aut vetare; id sibi reservat divina & prohibenda, & punienda. *Videtur mihi legem istam, quæ populo regendo scribitur rectè permittere, & per divinam providentiam vindicari: ea enim vindicanda sibi assumit, quæ satis sint conciliandæ paci hominibus imperiis*, inquit August. [1]

[1] 1.*lib.ar. c.5.*

Inst. Ipsæ leges humanæ inter se sunt contrariæ: una vetat, quod alia jubet: una abrogat aliam: ergo non possunt ab una, eademque æterna derivare.

Resp. neg. cons. imò ea contrarietas est juxta regulas æternas, quæ volunt, ut mutatis hominum statibus, & morbis, & indigentiis mutentur regulæ, & remedia; *Sicut ars Medicinæ cum eadem maneat, neque ullo pacto in se mutetur*, inquit August. *mutat tamen præcepta languentibus, quia mutabilis est nostra valetudo; ita divina providentia cum sit ipsa immutabilis, mutabilitati creaturæ variè subvenit*, &c.

Inst. 2. Plures legislatores inter homines neque norunt quid ferat lex æterna; nec ipsam legem hanc; ergo leges eorum non possunt ab ea derivare. Prob. ant. maximè de Paganis.

Resp. dist. ant. non norunt clarè, & immediatè, conc. ant. mediatè, & confusè, neg. ant. & cons. Nam qui non norunt legem, nec legislatorem æternum immediatè, & in se, norunt illum, & legem æternam confusè, & in lege naturali, quæ est prima legis æternæ emanatio, ut dicebamus non semel: [1] *Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*: lex autem naturalis est omnibus nota, ut probatum est.

Objic. 3. Si leges humanæ vim haberent à divina, obligatio earum esset de jure divino; sed cons. est falsum; ergo & ant.

Resp. neg. seq. Nam jus illud mensuratur ex potestate immediati legislatoris, quales sunt homines pro legibus humanis; non verò ex eo, à quo habet potestatem, nisi valdè remotè, & reductivè: & hoc sensu dicit Apost. cit. [2] *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*. Et, *Qui vos spernit, me spernit*.

Objic. denique. Concupiscentia dicitur vera lex ab Apostolo: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*; sed concupiscentia non derivatur à lege æterna; ergo nec omnis lex. Idem est de legibus infidelium, quibus præcipiebatur Idololatria.

Resp. neg. ant. absolutè enim non est lex, sed pœna legis, in quantum concupiscentia est afflictiva, & sequela quædam privationis justitiæ, & gratiæ origina-

[1] *Ps.* 3. [2] *Rom.* 7.

ginalis, quam peccatum invexit; ideò dicitur lex peccati, sed valde metaphoricè.

Alia quæri possent de hac lege, quæ videre est apud Theologos, & alibi videbuntur: nam solet ista lex confundi cum providentia divina.

QUÆSTIO II.

De lege divina positiva, seu temporali, An, & quid sit, & quotuplex.

LIcèt lex æterna sit aliquo sensu positiva, quia consistit in actu positivo intellectus Dei, & voluntatis in sensu a nobis explicato; tamen non solet absolutè dici positiva in comparatione legum, quas Deus in sua quidem æternitate, sed pro tempore, & ad extra tulit, maximè pro hominibus dirigendis in finem suum supernaturalem, & quia tam naturalis, quàm æterna sunt de universalissimis principiis practicis, nec satis descendunt ad specificas occasiones, in quibus homo indiget directione; dari autem hujusmodi leges divinas Fides docet, & universa Scriptura, & traditio. Hanc expetebat David, [1] *Legem pone mihi Domine in viam justificationum tuarum*, &c. *Quomodo dilexi legem tuam Domine?* & ejus utilitatem, & excellentiam commendat dicens 1. *lex Domini immaculata*, quia nihil mali continet, sed prohibet, damnat, & punit omne peccatum. 2. *convertens animas* a terrenis ad cœlestia, a vitiis ad virtutes, a creaturis ad Deum. 3. [2] *testimonium Domini fidele*, quia certissimè docet, quod rectum est, & honestum, & detegit vitiorum iniquitatem, & turpitudinem. 4. *sapientiam præstans parvulis*; quia nos parvulos, & ignorantes erudit, & manuducit in viam salutis præceptis familiaribus. Hanc Prophetæ prænuntiarunt: *De Sion exibit lex*; veterem Christus implevit; *non veni solvere legem, sed implere*, & illius finis est, [3] *Finis legis Christus*.

[1] *Ps.* 118. [2] *Ps.* 18. [3] *Isa.* 1.

CONCLUSIO.

L*Ex divina positiva est regula divinæ sapientiæ per decretum liberum voluntatis ejus præscribens modum hominibus necessarium, quo aptè perveniant ad finem supernaturalem.*

Prob. 1. ex Scoto, qui has leges vocat *regulas prædeterminatas a divina sapientia, vel magis a divina voluntate, & quantum ad creaturam rationalem beatificandam, quæ sunt regulæ ordinatæ justitiæ*; nam sic assignat principales conditiones hujus legis.

Prob. 2. Nam per hanc descriptionem explicatur natura hujus legis, prout convenit cum aliis, & ab illis distinguitur. Dicitur 1. *regula prædeterminata a Deo*; & per hoc convenit cum æterna, & differt a naturali, quæ obligat independenter ab ullo actu positivo. 2. *præscripta a voluntate per decretum liberum*; & per hoc differt etiam ab æterna, quæ licèt importet volitionem ad intra, tamen non ita positivè, nec liberè, nec limitatur ad solam creaturam rationalem, nec ad finem supernaturalis beatitudinis, sicut neque lex naturalis; sed generaliter præscribit regulas generales ad finem supernaturalem. Hæc autem conditio, & hic finis sunt propria legi huic positivæ, imò & per easdem particulas distinguitur etiam a legibus humanis, maximè civilibus, quæ per se non ordinantur nisi ad vitam, & felicitatem naturalem civilem.

Dixi, *modum necessarium*; nam quæ præcipiuntur hac lege, sunt necessariò servanda necessitate præcepti, quæ venit a voluntate divina, ut docet Scotus: [1] nam in omni peccato mortali voluntas inordinatè se habet respectu alicujus necessarii ad finem. Unde illud necessarium dico, quod est a voluntate divina præcipiente illud observari: [2] *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; non ab alio syllogismo practico, *hic enim non oportet quærere moralem doctrinam Philosophorum, sed præcepta Dei*, in Scriptura scilicet; nam ista necessitas venit non ex natura rei, sicut in iis, quæ præcipiuntur lege naturali, vel æterna, sed contingenter ex decreto, & ordinatione Dei libera.

Obji-

[1] *D.39.D.n.8.*
[2] *Matth. 19.*

Objicies 1. Homo sufficienter dirigitur ad ultimum finem per legem naturalem, & æternam; ergo non datur, aut frustra datur alia positiva per decretum liberum. Probat. antec. Per illas leges Deus est amandus super omnia, non est odiendus, nec blasphemandus, aut contemnendus; parentes colendi; omne bonum prosequendum, & omne malum vitandum; sed hæc sufficiunt ad ultimum finem attingendum; ergo &c.

Respondeo neg. ant. & min. prob. Nam 1. ut diximus ex Scoto, quamvis lex naturalis, aut æterna præciperent ea, quæ sic sufficiunt; tamen respectu hominis necesse fuit eadem præcipere positivè cum præscriptione præmii, aut pœnæ; quia sic fortiùs movetur ad eorum observantiam, 2. quia lex positiva divina multa statuit ad statum hominis lapsi necessaria, ut sunt leges sacramentales, sine quarum auxilio non posset observare alias illas, cùm sint sanativæ, & præscribant remedia illi necessaria contra lapsus, & vulnera, & infirmitates contractas ex peccato; & 3. quia sic naturalia, & æterna præcepta meliùs intimantur, & clariùs.

Objic. 2. [1] *Deus fecit hominem rectum, & dimisit eum in manu consilii sui*; ergo supposita lege naturali, aut æterna non egebat alia directione, aut regulis ad consequendam beatitudinem, agendo liberè secundum illam rectitudinem: Et confir. ex Apostolo; [2] *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, & ipsi sibi sunt lex*, &c. scilicet absque lege divina positiva faciunt, quæ lex naturalis dictat.

Resp. neg. conf. propter eandem rationem; quia homo defecit ab ea rectitudine, & læsus est in intellectu, & voluntate, ideoque indiget legibus medicinalibus, & supernaturalibus, quibus reparentur vires tam intellectus, quàm voluntatis. Ad confir. etiam negatur, quòd gentes sine lege divina possint pervenire ad beatitudinem, ut explicat August. [3] *Si autem hi, qui naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum, quos Christi justificat gratia, sed in eorum potiùs, quorum etiam impiorum,*

[1] *Eccle.* 15. [2] *Rom.* 2.
[3] *De spir. & lit. c.* 27.

rum, nec Deum verum veraciter, justèque colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ secundum justitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam meritò, rectèque laudamus, quamquam, si discutiantur, quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ justitiæ laudem debitam, defensionemque mereantur: sed de hoc aliàs.

CONCLUSIO II.

L*Ex positiva divina potest dividi in legem naturæ, seu non scriptam, & scriptam, & hæc in veterem, seu Mosaicam, & novam, seu Euangelicam.*

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui omnes has leges agnoscit, 1. quidem dicens, quòd [2] *lex naturæ paucioribus præceptis fuit contenta, quæ memorialiter ad filios per Patres devenerunt*. Illi etiam homines magis erant præditi in naturalibus, & ideò modica doctrina inspirata potuit eis sufficere; scilicet per inspirationem tradita, & promulgata fuit primis parentibus, deinde filiis per parentes sine scriptura: de Mosaica potest dici, quòd *ordinatus processus scripturæ ostendit ejus Doctorem*. Denique de nova, quòd *ad devotionem conferuntur illa, quæ dicta sunt in novo testamento, & hæc etiam est scripta in toto Euangelio, & aliis libris, qui dicuntur novi Testamenti*.

Prob. 2. ex Scriptura, & Patribus, & communi sensu omnium Theologorum, qui in omnibus statibus hominum agnoscunt veras leges positivas divinas. Nam, ut loquitur Tertullianus, *Ut congruit bonitati Dei, & æquitati ejus, utpote plasmatoris generis humani omnibus gentibus eam dedit legem, quam certis, & statutis temporibus observari præcepit, quando voluit, & per quos voluit, & sicut voluit: nam in principio mundi ipsi Adæ legem dedit, ne de fructu arboris plantatæ in medio paradisi ederet. In hac lege data omnia præcepta recondita cognoscimus, quæ postea pullulaverunt data per Moysen, idest, diliges Dominum Deum tuum, &c. primordialis lex data fuit Adæ, & Evæ in paradiso quasi matrix omnium præceptorum Dei. Denique ante legem Moysis scriptam in tabulis lapideis legem fuisse contendo non scriptam, quæ naturali-*

[1] *Q. 2. prol. E. n. 15.* [2] *Et 3. d. 37. H. n. 11.*

taliter intelligebatur, & a Patribus observabatur; quod inductione ex historia sacra probat de Abraham, de Melchisedech, &c. Ex quo arguit fuisse sacerdotium, & Levitas, qui sacrificia Deo offerebant: *Sic enim post supradictos Patriarchas data est lex Moysi,* &c.

Prob. 3. Quia valde congruebat secundum immensam Dei bonitatem, & misericordiam, ut nullum statum generis humani relinqueret sine regulis, & directione, quibus possent homines justificari a peccato, maximè originali, & mereri, & pervenire ad supernaturalem beatitudinem, quam illis præparaverat, & propter quam illos creaverat; qui enim vult finem, vult & media. Porrò de lege non scripta nihil restat addendum: certum est, quòd obligavit omnes prorsus homines ab Adamo usque ad promulgationem legis Mosaicæ pro Israelitis, & aliis gentibus usque ad promulgationem Euangelii: imò & adhuc viget quantum ad præcepta legis naturæ, & æternæ, quæ continebat, & quæ non sunt abrogata per leges scriptas, sed potiùs confirmata, & iterum promulgata, & scripta. De Mosaica, & Euangelica paucula restant delibanda, quæ potiùs spectant ad Theologos, quàm ad Philosophos.

QUÆSTIO III.

De lege veteri, seu Mosaica.

Usque ad tempus Moysis non fuerat ulla lex data hominibus per signa publica, & manifesta, per quam populi convenerint in unum Dei cultum, & actus externos religionis; sed singuli suo modo, & secundum diversa præcepta sibi specialiter inspirata, aut revelata, aut tradita serviebant Deo: v. g. ante diluvium legimus datam legem de subjiciendo appetitu, & de vivendo sub dominio rationis: *Sub te erit appetitus tuus:* post diluvium prohibita sunt homicidia, & in horrorem sanguinis comestio carnis cũ sanguine, *Carnem cum sanguine non comedetis*. Tempore Abraham data & lex circumcisionis in signum sensibile vocationis ejus, & posterorum ad cultum veri Dei, & fœderis inter populum fidelem, & Deum,

ut sit signum inter me, & vos, & gratiæ futuræ per Christum ex eis nasciturum, sed tempore illius Patriarchæ data fuit ista, quæ prima dici potest propriè lex, quæ solemniter fuit intimata hominibus per signa sensibilia; ideo dicitur 1. *scripta*, quia scriptis tradita in tabulis lapideis. 2. *Mosaica*, non quòd Moyses fuerit ejus auctor, sed quia illi fuit primùm revelata, & dictata a Deo per Angelum, & ipse ejus fuit promulgator ad Israelitas. 3. *Vetus* in comparatione Euangelicæ, quam præfiguravit, & per quam est antiquata. Hæc omnia ex Scriptura constant; sed hæretici quidam, inter quos Cordonianistæ, Manichæi, & Marcionistæ, & Valentiniani, teste D. August. [1] negarunt eam fuisse a Deo, nec bonam. *Illi*, inquit, *putabant Deum legis, ac prophetarum nec bonum Deum esse, nec patrem Christi Domini, sed illum Deum, quem justum appellabant*; contra quos sit

CONCLUSIO.

Lex vetus verè divina est, & bona, Moyses verò ejus tantùm fuit promulgator post Angelos, non autem auctor ejus. Est de fide.

Prob. 1. p. ex Scoto [2] dicente, quòd *quæcumque præcepta continentur in Scriptura pro tempore, pro quo observanda sunt; & tamen non sunt nota ex terminis, nec sunt demonstrabilia ex talibus notis, nec statim consona talibus verbis, qualia sunt præcepta legis naturæ, sunt merè de jure divino positivo, cujusmodi sunt omnes cæremoniæ Judæorum pro tempore illius legis*. Et idem docuerat [3] de judiciis ejusdem legis Mosaicæ, *Deus*, inquit, *non fuit fatuus, ut daret illa judicia contra rationem; licèt dederit aliqua dura: circumcisio fuerat instituta a Deo. Et lex vetus non erat mala, sed debuit synagoga cum honore sepeliri, ut ostenderetur fuisse bona pro tempore suo*. Docet etiam, [4] quòd fuit data a Deo immediate per Angelum loquentem ex parte Dei, cùm diceret; [5] *Ego sum Deus Abrahæ*, &c. Et denique vocat eam Mosaicam, *quia Moysi per Angelum fuit revelata, & per Moysem Judæis*.

Prob.

(1) *Con. Adimam. Et con. faust.*
(2) *4. d. 17. q. 1. B. n. 3.* (3) *d. 15. q. 3. D. n. 5.*
(4) *D. 3. q. 4. C. n. 4. Ibid. D.*
(5) *D. 8. q. 2. B. n. 3. Et d. 15. q. 3. C. n. 4.*

Prob. 2. ex Script. (1) & 1. ex ipso Moyse dicente, quod *locutus est Dominus cunctos sermones hos*, &c. Et Christus (2) ipse hanc legem vocat *mandatum Dei*. Et Zacharias dicit Deum esse, qui *loquutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt Prophetarum ejus*. Et (3) B. Virgo Incarnationem peractam in se, sicut Deus *loquutus est ad Patres*, &c. idem dicit D. Petrus (4) de passione: *Deus, qui pronuntiavit per os omnium Prophetarum pati Christum Filium suum*. Et idem D. Paulus (5) de *Euangelio Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos*: & quod *multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis*; ergo etiam ex novi testamenti oraculis vetus testamentum, seu lex vetus est a Deo; ergo non Moyses, sed Deus ipse est auctor illius legis.

Prob. 2. ex Conciliis, (6) in quibus anathematizantur, qui dixerint *alium Deum esse priscæ legis, alium Euangeliorum*; & quod Ecclesia (7) *omnes libros tam veteris, quam novi testamenti, cùm utriusque unus Deus auctor sit, pari pietatis affectu, ac reverentia suscipit*, ergo illa lex vetus est a Deo æque ac nova.

Prob. 2. p. de bonitate, 1. quia si est a Deo, ut patet, non potest esse nisi bona, & sancta. 2. quia eam Christus ipse approbavit, & implevit, (8) *Non veni solvere legem, sed implere*; & in ipso impleta sunt, quæ in ea prædicebantur, aut præfigurabantur, *Oportet*, inquit, *impleri omnia, quæ scripta sunt in lege, & in Psalmis, & in Prophetis de me*; & quod (9) *si crederetur Moysi, crederetur & ipsi*, quia ille de me scripsit, *scrutamini scripturas* (scilicet veteris testamenti, quippe novum nondum erat scriptum) *quia vos putatis in illis vitam habere, & illa sunt, quæ testimonium perhibent de me*; id non diceret, nisi essent bonæ, & veræ, & sanctæ. D. Paulus, (10) *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum; & scimus, quia bona est lex*, si quis ea legitime utatur; *& lex pædagogus noster fuit in Christo*, ad quem scilicet nos duxit, ut ex fide justificemur.

Prob. 3. p. & primo si Moyses fuisset institutor, lex illa

[1] *Exod.* 20. [2] *Matth.* 15. [3] *Luc.* 1.
[4] *Act.* 3. [5] *Rom.* 1. [6] *Tolet. confecr.*
[7] *Trid. sess.* 4. [8] *Matth.* 5.
[9] *Jo.* 5. [10] *Exo.* 21. & 25.

illa non fuisset divina, sed humana; sed hoc est falsum; & contra Scripturam; ergo Moyses non fuit nisi promulgator. Prob. min. nam Scriptura sacra dicit, quod *Loquutus est Dominus ad Moysen, dicens, loquere filiis Israel, ut tollant mihi primitias: loquutusque est Moyses ad filios Israel omnia, quæ loquutus est ei Dominus.* Quid clarius, ut probetur hunc hominem fuisse tantum promulgatorem legis a Deo datæ? Item, *Lex per Moysen data est.*

Prob. 4. p. scilicet quod promulgator ejus fuerit post Angelos; quia illi priores, & immediate eam acceperunt a Deo, & Moysi (1) intimarunt, ut patet ex Scriptura (2) dicente, quod lex illa fuit ordinata per Angelos in manu mediatoris (sic vocatus est Moyses.) [3] *Ego*, inquit ipse, *sequester, & medius fui inter Dominum, & vos in tempore illo, ut annuntiarem verbum ejus vobis.* Legimus etiam in Actis: *Hic est, qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina*, &c. Et, *Si enim qui per Angelos dictus est sermo*, &c.

Objic. 1. multa Scripturæ ipsius loca, in quibus dicitur lex vetus *non bona*, quod *peccatum per eam operatur*, quod *iram operatur*, &c. *Dedi enim legem non bonam, & præcepta, in quibus non vivent.* Et, *Passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris*, &c. *Lex iram operatur.* Et, *Ubi non est lex, nec prævaricatio.* Et, *Lex subintravit, cum abundaret delictum.* Et, *Virtus peccati lex, & propter transgressionem lex posita est*; sed lex, quæ omnia hæc inducit, non est a Deo, nec bona; ergo lex vetus non est a Deo, nec bona.

Resp. ea loca debere conciliari cum præallatis, quæ magis positiva sunt. Unde S. Hieron. locum Ezechielis explicat non de lege veteri, sed de legibus iniquis, tyrannicis, & impiis Gentilium, quibus Judæi dispersi, & vagabundi propter suas iniquitates justo Dei judicio premebantur. S. Gregor. dicit legem veterem vocari *non bonam*, non absolute, & in se, sed comparative ad meliorem, qualis est nova lex: *Mala enim*, inquit, *quasi desinunt esse mala ratione pejorum, & bona quasi non bona sunt in comparatione meliorum.*

Ita

[1] *Gal.* 3. (2) *Deuter.* 5.
(3) *Act.* 7.

Ita melioribus novi testamenti præceptis subsequentibus præcepta bona, quæ rudibus data sunt, non bona esse memorantur. S. Augustinus (1) Apostolo opponit sequentia ejusdem verba: *Quid ergo dicemus? lex peccatum est? absit: imo ipsa arguit peccatum, & vetat concupiscentiam; nam peccatum non cognovit nisi per legem, quæ dicit,* non concupisces: *jam interrogo te, Manichæe, Mala est lex, quæ dicit,* non concupisces? S. Thomas docet, ea esse intelligenda, quod lex per accidens, & occasionaliter causabat peccatum, quia ex transgressione legis crescebat enormitas peccati; uno verbo seipsum explicat Apostolus, protestans se non accusare legem, sed potius laudare, quia vetat, & detegit enormitatem peccati; sed ita prohibebat, & accusabat, ut non daret tam efficacia media ad facienda bona, quæ præcipiebat, nec vitanda mala, quæ prohibebat, sicut lex Christi; & hoc sensu non erat bona, sicut ista.

Objic. 2. Lex, quæ opponitur Evangelicæ non est divina, nec bona; sed talis est vetus; ergo nec divina est, nec bona. Prob. min. vetus tribuit creationem Deo, & nova Verbo. 2. Vetus dicit hominem factum ad imaginem Dei, nova dicit eum esse ex diabolo. 3. Vetus dicit Deum quievisse 7. *die ab omni opere*, & Christus dicit, (2) *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*. 4. vetus ut dura, & crudelis inspirat vindictam per pœnam talionis, *oculum* jubet auferri *pro oculo, & dentem pro dente*; item (3) dictum est antiquis, *Odio habebis inimicum tuum*; nova autem utrumque improbat, *Audistis*, inquit Christus, (4) *quia dictum est antiquis, oculum pro oculo, & dentem pro dente: ego autem dico vobis non resistere malo: Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* 5. vetus dicitur *gravis*, & *intolerabilis*, & *jugum, quod nec patres nostri, neque nos portare potuimus*, ait Apostolus; (5) nova autem *jugum suave, & onus leve*. 6. vetus concessit usuras, & libellum repudii: nova utrumque prohibet, *Mutuum date nihil inde sperantes*. Et, (6) *Quod Deus conjunxit, homo non separet.*

Resp.

[1] *ser. 4. de ver. Apost. ibi lect. 1.* [2] *Gen. 1.*
[3] *Jo. 1. &* 8. [4] *Ex. 21. & Matth. 5.*
[5] *Act. 15. & Matth. 11.* [6] *Deuter. 13. & 24.*

Resp. neg. min. non est enim inter eas leges contrarietas proprie, sed differentia, quia nova abrogat, & reformat veterem, non quod mala esset, sed quod nova perfectior, & suavior, & efficacior. Ad 1. 2. & 3. nihil contradictionis est, quod Deus creaverit omnia cum Verbo suo, seu per Verbum, ut dicit Euangelium; neque 2. quod *fecerit hominem ad imaginem, & similitudinem suam*, & quod homo per depravationem, & malitiam imitetur diabolum, sicut filius patrem, ut faciebant Scribæ, & Pharisæi, ad quos id dicebat Christus; nec 3. quod quieverit septima die a creatione novorum entium, & quod deinceps non cessarit ab opere in conservandis, & propagandis iis, quæ tunc creaverat, ut cum dicitur, *Qui producit in montibus fœnum*.

Ad 4. dicitur 1. quod lex pœnæ talionis erat quidem dura, & severa, sed non mala; & eam severitatem correxit Euangelium. Unde S. Augustinus (1) explicat eum locum sic, ut non præcipiatur nec pœna talionis, nec vindicta, *sed ne excederent modum vindictæ, ne plus rependat quisque, quam accepit: nemo enim facile invenitur, qui pugno accepto pugnum reddere contentus sit; sed ira perturbatus immoderatius vindicat. Talem animum magna ex parte refrænavit lex, in qua scriptum est: Oculum pro oculo, &c. quibus nominibus significatur modus, ut injuriam vindicta nemo transeat; & hæc est pacis inchoatio; perfecta autem pax est talem penitus nolle vindictam*. In hoc ergo bona erat illa lex, sed non perfecta, ut est nova. Nam qui tantum reddit, quantum accepit, jam donat aliquid, quia non debet esse æqualis pœna pro eo, qui innocens passus est alapam, & pro eo, qui reus dedit. Addit alibi, (2) illam vindictam fuisse convenientem pro statu illo Judæorum ad terrorem; hanc verò misericordiam pro Christianis, qui magis amore, quam timore ducuntur.

Eadem est ratio ad 5. Nam pro populo duro necessaria erat lex durior, sicut pædagogus severus; sicut equis indomitis, & ferocioribus datur frænum gravius, & durius.

Ad 6. respondet S. Thomas, (3) quod lex vetus per-

(1) *de ser. Dom. in mon.* (2) *Con. Adim. c. 17.*
(3) *q. 13. de malo.*

permisit usuras, & repudium ob eandem duritiem illius populi, & ad vitandum majus malum, non tamen fuerunt approbata, nec praecepta: & licèt Deus dispensasset in illa lege quoad haec, & eadem prohibuerit in nova, non sequitur illam fuisse malam, sed diversam, quod saepe congruit, imo & necessarium est pro diversitate conditionum, & statuum hominum, in quibus quod bonum, & utile, aut tolerabile est pro uno, fit inutile, aut nocivum, ac intolerabile pro alio.

Inst. Lex vetus ordinabat sacrificia, quae Deus oderat; ergo illa non erat bona, nec divina. Prob. ant. (1) *Holocaustis non delectaberis: sacrificium, & oblationem noluisti*, ajebat David. *Quid mihi multitudo victimarum vestrarum?* ait ipse per Isaiam: (2) *Plenus sum: incensum abominatio est mihi: calendas vestras, & solemnitates vestras odivit anima mea*, &c. quod confirmat Apostolus, (3) *Oblationes, & sacrificia, & holocausta pro peccato noluisti, nec tibi complacita sunt, quae per legem offerebantur*; ergo &c.

Resp. dist. ant. quae Deus oderat ex prava dispositione, & affectione offerentium, con. ant. ex se, & secundum se, vel ratione legis, neg. ant. loca illa ex Psalmis intelliguntur de sacrificiis illis non pro tempore, quo scribebat David, sed pro tempore legis novae. Alia verò loca ex Isaja, (4) & Paulo intelliguntur de sacrificiis non in se, sed respective ad malum affectum, & dispositionem offerentium.

Objic. 3. Lex vetus dicitur inutilis, & imperfecta, & ideo abrogata est; ergo non est divina, nec bona, quia *Dei perfecta sunt opera*; & omnia opera, quae fecit Deus, perseverant in perpetuum. Prob. antec. ex D. Paulo: (5) *Reprobatio fit praecedentis mandati propter infirmitatem, & inutilitatem.*

Resp. neg. ant. quoad 1. p. & dist. quoad 2. imperfecta comparative ad novam, & ad conferendam gratiam, ad quod non pertingebant sacramenta ejus, conc. ant. in sua specie, neg. ant. Certè in sua specie fuit utilissima, 1. quia per eam agnoscebant Judaei peccatū; *Peccatum non cognovi nisi per legem*. 2. plurima praecepta mo-

[1] *Psal.* 50. & 39.
[2] *Isa.* 1. [3] *Hebr.* 7.
[4] *Deuter.* 32. [5] *Hebr.* 7.

moralia dabat ad instituendos mores. 3. præfigurabat Christum, ad quem propterea se disponebant per desideria; *Lex data est, ut gratia quæreretur*, inquit S. August. (1) unde orabant: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum*. Et (2) *Domine, inclina cælos tuos, & descende*. Et, (3) *Utinam disrumperes cælos, & descenderes*. 4. per observantiam veteris disponebantur ad obtinendam, & observandam novam, &c. quod autem abrogata fuerit per novam, nihil inde colligitur, nisi quod umbræ cedunt lumini, & figuræ veritati, &c.

Objic. con. 4. Ille, qui loquebatur Moysi, se dicit Deum, & Dominum; *Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te*, &c. ergo non Angelus, sed Deus ipse immediate, & per se dedit legem Moysi, non per Angelos.

Resp. neg. conf. Nam, ut dicit Doctor, *Angelus loquebatur in persona Dei, ego sum Deus Abraham*, & ut notat S. Gregorius, (4) *Angelus, qui apparuisse Moysi scribitur, modò Angelus, modò Dominus memoratur: Angelus, quia exterius loquendo serviebat: Dominus autem, quia interius præsidens loquendi efficaciam ministrabat. Per obsequium Angelus, & per inspirationem Dominus appellatur.*

CONCLUSIO II.

L*Ex vetus pro solis Israelitis data est, & eos tantum obligabat, & hoc usque ad mortem Christi, per quam fuit mortificata, sed non mortifera, nisi post promulgationem novæ*. Est etiam de fide saltem quoad 1. & 2 p. contra quosdam hæreticos, ut erant Cherintiani, Ebionitæ, & Nazaræi, & Anabaptistæ, qui existimabant illam adhuc vigere, & obligare cum nova, ut colligitur ex August. & Epiphanio.

Prob. 1. p. 1. ex Scoto (5) & Script. cum dicitur, quod *gens sine lege erat sibi lex vivens secundum legem naturæ, potest dici, quod quamvis non habebant legem scriptam Mosaicam, habebant tamen in corde legem, & bene vivebant sicut boni gentiles; non enim tenebantur tunc ad legem Moysis, nisi populus Israeliticus*,

[1] *De spir. & litt. c.* 19. [2] *Psal.* 143.
[3] *Isa.* 46. [4] *Præf. in lib. Job.*
[5] *4. d. 2. B. & in Refor. ibid. n.* 11.

cus, & qui volebant eis adhærere, & tunc debebant, circumcidi : unde Cornelius fuit bonus, dum vivebat extra legem Mosaicam: non adeò positivè loquitur in scripto Oxoniensi · *Dici potest, quòd si non erant obligati ad legem Moysis, nisi filii Israel, alii gentiles potuerunt justè vivere servando legem naturæ*, &c. ergo ex Scriptura, & Scoto pro solis Israelitis, non verò pro gentilibus data erat lex Moysis; & eos solos obligabat.

Confir. ex Scriptura, [1] *Quid ampliùs Judæo est? multum quidem, & per omnem modum; primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei*. Et, [2] *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis*; fuit quippe ista lex signum singularis amoris Dei in Judæos, quia cùm esset ex eis nasciturus Christus, debuerunt præ cæteris nationibus privilegiari, ut singulari sanctitate fulgerent. 2. quia cùm essent ad idololatriam proni, egebant speciali directione: unde *audi Israel, Dominus Deus tuus unus est*; nam unitas Dei est quidem nota lumine naturæ, sed fortiùs innotuit per legem positivam, & magis continebat populum per præcepta cæremonialia in veri Dei cultu.

Prob. 2. quia ex dictis lex non datur, nec obligat, nisi eos, quibus promulgatur; sed lex Moysis non dirigebatur, nec promulgabatur nisi Judæis; ergo pro illis solis erat, & eos solos obligabat. Maj. patet ex Apostolo, [3] *Quæcumque lex loquitur his, qui in lege sunt*. Patet etiam min. ex toto veteri testamento, & tota illa lege, quæ ad solos Israelitas dirigitur; *Loquere filiis Israel*.

Prob. 2. p. quòd obligarit usque ad mortem Christi, & 1. ex Scoto [4] dicente, quòd *tempus, quo baptismus fuit sub consilio, hoc non evacuavit circumcisionem, etiam quoad necessitatem; tempus autem istud erat à publicatione ejus*, scilicet baptismi, dicente Christo, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. usque ad Christi passionem.

Prob. 2. ex Scriptura: nam Christus ipse dixit, *Non veni solvere legem, sed implere*. Et revera quandiu vixit, eam exactè observavit, & observari fecit à suis, circumcidi voluit, offerri in purificatione

matris

[1] *Rom.* 3. [2] *Ps.* 140. [3] *Rom.* 3.
[4] 4. *d.* 3. *q.* 4. *l.* *n.* 7.

matris secundum legem Moysis; mittebat discipulos ad templum diebus festivis; Pascha etiam instante morte cum ipsis celebravit; misit leprosum ad sacerdotem, ut offerret munus, & decem alios, quos mundavit, *Ite, ostendite vos sacerdotibus*; jubebat obedientiam sedentibus super Cathedram Moysis, sedentibus Scribis, & Pharisæis quantumcumque inimicis suis, & iniquis. *Quæcumque, dixerint vobis, facite*, non secundum opera. Unde lex quidem ægrotare, & languere cœpit ab adventu Christi, sicut nox, & umbræ minuuntur adveniente luce, *Nox præcessit, dies appropinquavit*; lex umbram habet futurorum bonorum, sed non est penitus soluta, & extincta ante mortem Christi.

Hinc convincitur error quorumdam hæreticorum, qui putarunt veterem legem abrogatam à tempore Joannis Baptistæ, quia dicitur *lex, & Propheta usque ad Joannem*: Nam Joannes sicut non fuit institutor novæ legis, ita nec abrogator veteris, sed Christus solus; *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine*, Joannes prænuntiavit legis finem imminentem, sicut & Christi adventum.

Prob. 3. p. quòd scilicet lex vetus fuit mortificata per Christi mortem: nam inquit Doctor; [1] *à tempore passionis ejus usque ad tempus publicationis Euangelii circumcisio fuit licita, sed nec necessaria, nec utilis, quia in Christi morte legalia sunt consummata: quod prob. ex illo Joan. 19. morte imminente dixit Jesus, consummatum est; tertio vero tempore post publicationem Euangelii fuit mortifera*, &c. distinguit tria tempora circa cessationem hujus legis, & obligationem novæ. 1. fuit ab institutione baptismi, & prædicatione Euangelii, & tunc languebat quidem vetus, sed tamen vigebat, & necessaria erat circumcisio, baptismus verò tantùm sub Consilio. 2. à morte Christi usque ad promulgationem Euangelii, v. g. ad Pentecostem, & tunc circumcisio, & legalia mortificata erant, vigorem, & utilitatem amiserant, non tamen erant prohibita. 3. à publicatione Euangelii; & ex tunc obligavit baptismus, & lex nova, nec fuerunt ampliùs licita legalia.

Prob. 2. ex Scriptura, & Patribus; [2] *Lex pædagogus*

[1] 4.*d*.3.*q*.4.*F*.*n*.7. [2] *Gal*.3.

gogus noster fuit in Christo; at, ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo. Item, [1] *Translato sacerdotio necesse est, ut legis translatio fiat.* Certè *mortuo sacerdote*, inquit S. Thom. *non mutatur lex, nisi fortè sit introducta illa propter personam ejus; sed mutato sacerdote, mutatur totus modus, & ordo regiminis*; sed in Christi passione novum sacerdotium institutum est; ergo & nova lex. Ideò notant SS. Patres, quòd in ejus morte *templum veli scissum est à summo usque deorsum. Per veli scissionem repudiatos vos, ò Judæi, debuistis agnoscere*, ait S. Leo, [2] *& omne jus sacerdotii perdidisse*: adeò tunc à lege ad Euangelium, à Synagoga ad Ecclesiam, à multis sacrificiis ad unam hostiam, quæ Deus est, facta est translatio. Idem sentiunt alii, ut S. Ambrosius, *Velum templi scinditur, quo mysteriorum Synagogæ profanatio declaretur.* Idem docet Aug. *Velum templi scinditur, quia synagoga honore nudatur; observantia antiqua dissolvitur.* Eodem sensu explicant, quod clamavit Christus moriens *consummatum est*; scilicet quia *lex vetus umbratilis, & figurativa erat, & finis legis Christus Redemptor*; & sic dicens significabat omnes umbras, figuras, & prohetias esse impletas, & consummatas.

Dixi, *mortificata, non penitus extincta.* Nam adhuc licita erant legalia usque ad Euangelii solemnem promulgationem, & saltem usque ad Pentecostem in Jerusalem, & tota vicinia, ubi ex eo tempore sufficienter, & solemniter post adventum Spiritus sancti promulgatum est per Apostolos Euangelium: imò nec adhuc penitus ibi cessavit tam citò, ut dicemus.

Prob. 4. p. scilicet, quòd fuit mortifera post promulgationem Euangelii 1. ex Scoto [3] dicente, quòd tertio tempore *post promulgationem Euangelii circumcisio fuit mortifera*, pro quo tempore loquitur Paulus, [4] *circumcidamini, Christus nihil vobis proderit.*

Prob. 2. Nam circumcisio, & alia legalia veteris testamenti post sufficientem Euangelii promulgationem usurparentur, vel quatenus præcepta, & necessaria ad significanda illa, ad quæ instituta fuerant, vel tamquam utilia ad gratiam conferendam, vel ut media necessaria ex præcepto, vel per se ad salutem; sed jam nullum horum fieri potest sine pec.

[1] *Hebr.* 7. [2] 10. *de pass.* [3] *Ibid.* [4] *Gal.* 5.

peccato; ergo jam illa lex, & observatio ejus est mortifera post Euangelii promulgationem: prob. min. sine peccato nihil potest jam fieri, per quod significetur nos dubitare, aut inducantur homines ad dubitandum de novæ legis institutione, & efficacia sufficienti, & evacuatione veteris, & sepultura synagogæ per fundationem Ecclesiæ Christi, & necessitate absoluta impletionis legis Euangelicæ; sed si usurparentur legalia veteris testamenti ex uno talium motivorum, daretur occasio dubitandi de legis novæ existentia, efficacia, & sufficientia; ergo &c. prob. min. 1. si usurparentur ut figurativa legis novæ, & adventus Messiæ, significaretur eum non venisse; non enim se compatiuntur umbræ cum lumine, nec figuræ cum existentia figurati, tota autem lex vetus erat figura, & umbra Christi venturi: *Omnia quippe illa in figuris contingebant*. 2. si licerent adhuc legalia ut utilia, vel necessaria, non esset absolutè necessarius Baptismus, nec sufficiens lex nova, & non esset verum, quòd Sacramenta veteris legis fuerunt *vacua, & egena elementa*, ut dicebat Paulus; ergo non possunt usurpari legalia, quin detur occasio dubitandi de existentia, vel necessitate, aut sufficientia legis novæ.

Ut meliùs pateat vis argumenti hujus, suppono totam legem veterem ex divina intentione fuisse figurativam Christi venturi, & sacramentorum legis novæ. 2. ut regulativam cultus Dei veri per actus, & cæremonias, & signa externa, per quæ populus ille in unum conveniebat, & ab aliis nationibus distinguebatur. 3. continentem præcepta, & media necessaria, vel utilia, & efficacia ad causandam gratiam, & salutem æternam consequendam, & poterant legalia illa usurpari ex omnibus, vel ex aliquo ex illis motivis. Certum est autem, quòd post promulgationem Euangelii hoc non licet ob rationes datas, scilicet 1. quia consummatæ sunt figuræ, & Prophetiæ, & dissipatæ sunt umbræ ad præsentiam lucis expectatæ. 2. quia Christus est *lapis angularis*, qui facit *utraque unum*; una omnium fides, unum baptisma, nulla distinctio inter Judæos, & Græcos in Ecclesia. 3. nulla salus extra baptismum, & Ecclesiam, & si ante Christi adventum tam infirma erant Sacramenta, quid virtutis, & efficaciæ nunc haberent?

certè

certè si per Christum liceret nunc circumcidi in remedium peccati originalis, vel actualis, baptismus non esset necessarius, nec unica via ad reconciliationem.

Objicies 1. contra 1. p. Si lex Moysis obligasset solos Judæos, gentes, quæ legem non habebant, fuissent melioris conditionis; sed falsum conf. nam Judæi dicuntur *populus Dei, & populus electus, & hæreditas Dei;* ergo &c. prob. maj. Nam gentes illæ salvabantur per observantiam solius legis naturæ, nec onerabantur illo intolerabili præceptorum difficillimorum, & cæremonialium onere, quod in Scriptura ipsa vocatur *servitus;* ergo gentes illæ fuissent melioris conditionis, quia liberæ, isti verò servi.

Respondeo neg. maj. & conf. prob. Non enim attenditur melioritas conditionis ex libertate à lege, sed ex majori perfectione, & sanctitate status, licèt illi annectantur strictiores observantiæ; sicut conditio laicorum non est melior conditione clericorum, & religiosorum, licèt isti pluribus, & difficilioribus onerentur præceptis, ac regulis, & ideo magis Deo conjunguntur, & securiores tendunt ad finem salutis nobilioribus mediis, & sanctioribus: ita erat de Judæis in comparatione Gentilium, magis per legis observantias, & sacrificia conjungebantur, & consecrabantur Deo.

Inst. Absolutè dicitur de omnibus, qui erant extra legem, quod erant maledicti; ergo lex erat absolutè pro omnibus. Prob. ant. [1] *Maledictus, qui non permanet in sermonibus legis hujus;* ergo &c.

Respondeo neg. ant. & conf. prob. Nam illa maledictio cadebat in solos Judæos, quando recedebant à testamento legis: hanc, & alias maledictiones publicabat Levita in transgressores Judæos, ut patet ex textu.

Poterant tamen gentiles illi legi se subjicere aggregando se Judæis per circumcisionem juxta illud, [2] *Si quis peregrinus in vestram voluerit transire coloniam, & facere phase domini, circumcidetur prius omne masculinum ejus, & tunc rite celebrabit, eritque sicut indigena terræ,* ut de facto plures aggregati sunt; plures siquidem alterius gentis, & sectæ eorum

[1] *Deut.* 27. [2] *Exod.* 12.

eorum religioni, & cæremoniis nngebantur.

Certum etiam est, quòd licèt soli Judęi, & illi, qui eis sic aggregabantur, fuerint obligati ad observantiam legis quoad legalia, & cęremonialia, & alia præcepta, quę in illa erant specialia, & extra, vel supra legem naturę; tamen multa continebat, quæ erant de lege naturæ, ut maxima pars præceptorum moralium, & pręcipuè pręcepta Decalogi, & ideo ad hęc obligabantur omnes homines, & adhuc obligantur; sed, ut docet Scotus, hæc non urgent ex vi legis Mosaicæ, sed naturalis, aut Christianę.

Item certum est, quòd licèt in ratione legis obligatio spectaret ad solos Judęos, tamen aliquo modo spectabat ad omnes etiam Christianos, quatenus scilicet continebat in figuris, & promissionibus ea, quę per Christum Redemptorem peracta sunt: [1] *Omnia enim in figura contingebant illis, & quotquot promissiones sunt, in illo sunt* (scilicet in Christo) *impleta*.

Objic. contra 2. p. Lex vetus vocatur in Scriptura [2] *testamentum æternum*; ergo non potuit cessare, nec abrogari. prob. ant. *statuit illud Jacob in testamentum æternum*.

Resp. dist. ant. ęternum quoad pręcepta moralia de lege naturę, & quoad res promissas, & significatas, conc. ant. quoad obligationem, neg. ant. dicitur *pactum, & testamentum æternum* quoad res figuratas, ut sunt Christus, & Ecclesia, aut quia duraturum erat usque ad impletionem conditionum, & promissionum; sed cessavit figurare, & promittere, & obligare ad observantiam judicialium, & cęremonialium, seu sacramentalium. Item *æternum* in Scriptura sæpe sumitur pro longiori duratione.

Objic. 2. Lex vetus fuit bona, & a Deo instituta, qui non mutatur; ergo debuit esse perpetua.

Resp. neg. cons. Quia mutata est in melius, ad quod ordinabatur, & cessavit præcipuus finis ejus, qui erat figurare novam, & pręparare ad ejus receptionem, & observantiam.

Inst. Fides nostra non differt à fide veterum Judęorum, & Patriarcharum; sed illa perseverat; ergo & lex.

Resp.

[1] 1. *Cor.* 10. [2] *Ps.* 104.

Respondeo dist. maj. quoad substantiam, & obje-ctum *quod*, conc. quoad rationem, & objectum formale *quo*, neg. maj. Nam Deus, & Christus semper fuit, & est objectum fidei *quod* Patriarcharum, & nostrę; sed illi credebant in Christum ut venturum, nos verò in Christum ut natum, & mortuum, & viventem in cœlis.

Objic. 3. Lex non abrogatur, nisi per expressam revocationem, vel per legem novam contrariam priori; sed neutro ex capite cessavit lex Moysis; ergo non cessavit. prob. min. 1. nullibi constat de expressa revocatione: & 2. lex nova non est contraria veteri, nec incompossibilis cum illa; ergo neutro ex capite abrogata est.

Resp. 1. neg. maj. Nam si lex sit lata pro certis quibusdam temporibus, & circumstantiis, cessat ipso facto, si tempora, & circumstantię mutantur, ut contigit in lege veteri, quę data fuit pro tempore prę-cedente adventum Messię, & ad illum prefigurandum, *Donec veniret semen*, id est Christus: unde *lex, & prophetæ usque ad Joannem*; cessante ergo fine legis, cessat & ipsa.

Respondeo 2. neg. min. Nam 1. licèt expressis, & formalibus verbis eam Christus non revocaverit, id fecit ęquivalenter per institutionem novę *Legem mandatorum evacuantis*, inquit Apost. *& dum mutavit sacerdotium*, &c. & 2. duę illę leges sunt aliquo modo contrarię, quia nova datur ut se sola sufficiens ad salutem, & necessaria; quod non esset verum, si simul vigeret vetus. 2. sacramenta novę significant, & operantur gratiam mediatoris prę́sentis, & redemptionis peractę; ergo non debent adhiberi ea, quę significabant Messię venturi, & redemptionis futuræ. 4. vetus dabatur tantùm pro uno populo, ex cujus seminé Messias erat nasciturus; posterior est universalissima: hęc autem omnia inter se repugnant, ut patet.

Objicies contra 3. p. *Lex, & Prophetæ usque ad Joannem* viguerunt; sed Joannes diù vixit ante mortem Christi; ergo lex desiit obligare diù ante mortem Christi.

Respondeo dist. maj. usque ad Joannem, id est ad Joannis ętatem moraliter, & circiter, conc. maj,

mathematicè, & præcisè usque ad Joannis nativitatem, ut prædicationem, neg. maj. Joannes autem, & Christus eodem ferè tempore nati sunt, ille sex mensibus ante istum, & paulò ante mortuus est. Fuit etiam ultimus prophetans adventum Christi; & sic tunc prophetiæ terminatæ sunt, & lex vetus etiam; quia nova jam tunc imminebat, non tam futurum præmonstravit, quàm præsentem monstravit.

Objic. 2. Lex circumcisionis non debuit vigere post institutionem, & præceptum baptismi; sed baptismus institutus est, & præceptus ante mortem Christi; ergo & lex ante desiit. Prob. maj. Nam Christus ante dixerat, [1] *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* &c. Et de facto tam ille, quàm Apostoli baptizabant ante passionem; *Venit in terram judæam*, & illic baptizabat, & id narrant Joanni, *Ille*, inquiunt Judæi, *cui testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum* &c. ergo non vigebat lex circumcisionis, sed baptismi ante mortem Christi. Apostolos [2] etiam baptizasse docet Hugo Victor.

Resp. neg. min. Nam baptismus fuit quidem institutus vivente Christo, sed non fuit sub præcepto, benè verò sub consilio, ut dicit Scotus, & alii Theologi, & ideò lex circumcisionis languebat quidem, & non erat absolutè necessaria pro originali, sed non erat penitus extincta. *Quantum ad circumcisionem distinguo 4. tempora*, inquit Scotus: *pro 1. erat necessaria: scilicet ante institutionem baptismi: pro 2. utilis, non necessaria, scilicet à tempore instituti baptismi usque ad mortem Christi; quia tunc alterutrum sacramentum sufficiebat ad sanctificationem à peccato originali: pro 3. nec utilis, nec necessaria; tamen licita; scilicet à morte Christi usque ad solemnem promulgationem Evangelii, & paulo ultra, pro 4. omninò illicita, & mortifera.* Quando inceperit istud 4. tempus dicetur postea.

Objicies contra 4. p. Non solùm post mortem Christi, sed etiam post Pentecostem, & in Jerusalem apud ipsos Apostolos adhuc viguerunt cæremonialia legis judaicæ; ergo non fuit mortificata, nec mortifera per mortem Christi. Prob. ant. *Vide*, inquit Di. Jaco-

[1] *Jo.* 3.
[2] *de sacram. p. 6. c. 4.*

Jacobus, [1] *quot millia hominum in Judæa crediderint, & omnes æmulatores sunt legis*; sed hoc contigit post promulgationem Euangelii; ergo nequidem tunc fuit mortua, nec mortifera legis observantia.

Respondeo dist. ant. non fuit mortua quoad usum, conc. quoad utilitatem, & efficaciam, neg. ant. fuit quidem tunc licita, sed non fructifera ad justificationem, & gratiam internam. De hoc ampliùs in seq.

CONCLUSIO III.

Usus legis veteris non fuit statim illicitus nec post passionem Christi, nec post prædicationem Euangelii. Ita Scotus cum suis, & aliis.

Probatur 1. ex Scoto, & Scriptura, *Apparet Actuum* 21. inquit, *ubi legitur de Paulo, qui ascendit in Jerusalem, & ibi de Consilio Jacobi, & aliorum fratrum post* 4. *Synodum habitam Jerosolymis purificatus secundum legem ascendit templum, & obtulit pro se sacrificium, quamvis solemniter ante jam ibi fuerat Euangelium publicatum: quia ibidem dixit Jacobus, vide, quot millia hominum jam crediderunt in Judæa, & omnes sunt æmulatores legis; ergo stante tanta publicatione Euangelii ibi, & in ipso Paulo, & in Judæis conversis approbatur observatio legis, & ipse Paulus ibidem inter tot Christianos opus legis implevit: quo autem tempore facta fuerit ista Pauli purificatio, & oblatio secundum legem conjici potest partim ex textu actuum, & partim ex magistro historiarum. Istud enim fuit ante captionem Pauli per septem dies, sicut patet act.* 21. *illa autem captio fuit circa principium regni Neronis, quia* 3. *anno regni Neronis venit secundum magistrum historiarum; Nero autem cœpit regnare circa* 20. *annum post Christi passionem. In tanto autem tempore videtur Euangelium satis publicatum fuisse, & maxime in Judæa, ubi tamen Paulus observavit legalia* &c. Lege totum hunc textum, in quo clarè hoc explicat Doctor, & ostendit, quòd diù post publicationem Euangelii mortua quidem fuit lex Moysis, id est inutilis, sed non mortifera, sed tolerata pro Judæis etiam conversis; ut patet de facto

[1] *act.* 21. [2] *Ibid.*

Pauli, qui prȩsentibus, & approbantibus aliis Apostolis observavit legalia.

Confir. hoc 1. ex eadem Scriptura: nam idem S. Paulus ascenderat Jerosolymam ad consulendos fratres Apostolos super factum Concilii, & super quȩstionem, an gentes conversȩ tenerentur ad observanda legalia; & D. Jacobus tanquam Episcopus Jerosolymitanus tulit sententiam hanc; *Ego judico non inquietari eos; qui ex gentibus convertuntur ad Deum, & scribere ad eos, ut abstineant se à contaminationibus, ab idololatris, à fornicatione, à suffocato, & à sanguine*, , &c. Inter quatuor hȩc prohibita priora duo erant necessaria, sed duo posteriora erant solùm congrua, ne Judȩi conversi eos abhorrerent, & faciliùs cum gentilibus conversis in unum corpus Ecclesiȩ convenirent, quia Judȩi abhorrebant à sanguine, & suffocato. D. ipse Paulus circumcidit Timotheum; ergo non putavit legem etiam multis annis post publicatum Euangelium esse mortiferam, ut de facto non fuit saltem Judeis, modò non crederent illam esse necessariam, neque utilem.

Objic. 1. Lex Moysis est nunc mortifera, & quidem à longissimo tempore; sed non potest assignari aliud, quàm tempus solemnis publicationis Euangelii; ergo ab eo tempore fuit mortifera. Maj. patet ex concl. prȩcedenti: [1] *Absit*, inquit Ecclesia, *ut in illam damnatam hæresim incidamus, quæ perperam affirmabat legem cum Euangelio, & circumcisionem cum baptismo servandam*. Prob. min. nullibi enim legitur alia prohibitio quoad Judȩos: nam illa decisio Jerosolymitani Concilii erat tantùm pro gentibus conversis, ut patet ex textu allato; ergo vel adhuc esset licita Judȩis conversis, vel fuit illicita ex tempore publicationis baptismi.

Resp. neg. min. & cons. prob. Nam inquit Doctor citans illam decretalem; *Ecclesia non judicaret hæresim, nisi lex circumcisionis fuisset aliquando revocata, imò & à Deo prohibita per revelationem factam Apostolis; videtur, quòd hoc fuit propter aliquam revocationem simpliciter factam à Deo*, licèt non habeamus prȩcise tempus talis revocationis, & prohibitionis, nec fuerit simpliciter explicitum in Scriptura;

[1] *c. majores de bapt.*

ra; & id factum est, ne Judęi perfidi haberent inde occasionem asserendi, aut credendi non venisse adhuc Messiam, quandoquidem duraret lex circumcisionis: certum est autem ex textibus allatis, quòd id non accidit statim post Pentecostem.

Objic. 2. D. Paulus in faciem restitit D. Petro, & graviter eum reprehendit, quòd gentes conversas cogeret judaizare, [1] *Dixi Cephæ coram omnibus, quomodo gentes judaizare cogis, si tu, cum judæus sis, gentiliter vivis?* scilicet cum Judęi quidam à Jerosolymis venissent Antiochiam, ubi Petrus sedebat, hic propter illos segregans se à gentibus observabat legalia, vel observare fingebat cum Barnaba socio Pauli; & iste hoc videns arguebat publicè, & acriter Petrum; ergo ex ipsa Pauli sententia lex Moysis erat mortifera etiam pro Judęis à tempore promulgationis Euangelii, alioqui injusta fuisset reprehensio, & non verè diceret Paulus, quòd *Petrus reprehensibilis erat*.

Hęc difficultas grande excitavit dissidium inter SS. Ecclesię Doctores Augustinum, & Hieronymum. Putabat iste, Apostolos numquam syncerè observasse legalia post promulgatum Euangelium, sed simulatè. *Ego dico, & Petrum, & Paulum timore fidelium Judæorum legis exercuisse, imo simulasse mandata*: idem dicit de reprehensione Pauli, quę etiam simulata fuit, & ex conjecto inter Apostolos. Augustinus verò dicit, eos id fecisse syncerè, *non mentientis astu, sed compatientis affectu; nec simulatione fallaciæ, sed compassione misericordiæ*. Dicebat enim Paulus, [2] *Factus sum judæis tanquam judæus, ut judæos lucrifacerem*: ideò concludit, quòd tunc lex erat quidem mortua, id est inutilis, sed non mortifera, quia licebat Judęis eam exercere non tanquam necessariam, imò neque utilem; sed ex quadam complacentia, & commiseratione in fratres, ut eos sic allicerent ad fidem.

Resp. autem cum Aug. & Scoto verè, & sincerè Apostolos inter Judęos legalia servasse aliquandiù post promulgatum Euangelium, & Pauli reprehensionem etiam fuisse synceram; alioqui si semel admittamus aliquam fictionem in textu sacro, maxima

[1] Gal. 2. [2] Cor. 9.

sit illi injuria, & infirmatur ejus summa certitudo? Certè si Paulus simulatè se purificasset Jerosolymis, & Timotheum gentilem virum circumcidisset post istud factum, qua fronte potuisset simulationis arguere Petrum? *Necesse est dicere ista verba esse simpliciter vera*, inquit Doctor, *vel totius Scripturæ auctoritas aufertur*.

Inst. 1. In quo ergo peccaverat Petrus? Si observando legalia; ergo & Paulus ipse postea peccavit purificando se legaliter, & circumcidendo Timotheum, & tunc jam erant mortifera, quòd si non peccavit; ergo vel Paulus ipse peccavit injustè arguendo, vel arguebat simulatè, ut scilicet dum Petrus favebat Judæis judaizando cum ipsis, ipse instrueret gentes probando non esse judaizandum.

Resp. Petrum peccasse venialiter saltem vel non conformando se Ecclesiæ, quam fundaverat, & quæ erat ex gentilibus conversis, quibus non licebat judaizare, ex quo id definitum fuerat, vel quia sic cogebat gentiles conversos judaizare contra Decretum Concilii Jerosolymitani, quo statuebatur, ne illud jugum eis imponeretur: cogebat autem, dum ipse summus eorum pastor se subtrahebat, ut Judæis advenïs adhæreret, vel enim privabantur suo pastore, vel ei se debebant conformare. 3. quia ante adventum Judæorum ab Jerosolyma vescebatur cum gentilibus; & tunc apparuit, quòd non sensit fore abstinendum à gentilibus conversis ad fidem, & in 2. facto ab eis discedebat: seu ostendit, quòd hoc esset faciendum, & id vocat Paulus *simulationem*, *in quam trahebat alios*, inquit Paulus. 4. illa condescendentia cum Judæis decedebat summum Ecclesiæ Christi pastorem; *Non utebatur auctoritate pastoris*, ait Doctor, *cum enim esset superior illis nuntiis Jacobi, debet iste constanter tenere veritatem in opere, & eos deducere ad rectitudinem suam potiùs, quàm propter timorem eorum flecti ad illud, quod eis placebat, & talis timiditas, seu remissio prælati est pro tempore reprehensibilis*: Hanc insinuat textus: *segregabat se ab aliis timens circumcisos*. Non enim ibi erat verè timor quia licebat Judæis non servare legem, & maximè quando erant inter gentes.

Quòd si quæras; *an peccarit mortaliter*: Respondet

det Doctor, si possint verba Pauli in Scriptura salvari, melius est dicere, quocumque ex illis 4. modis peccaverit; potiùs fuisse veniale, quàm mortale.

Dices, posse Petrum excusari, quia id faciebat ad vitandum scandalum Judæorum.

Contra. Non enim erat ibi materia scandali perfectis, neque parvulis, sed tantum Pharisæis, de quo scandalo non est curandum; de tali actu non debebat scandalizari, nisi male sentiens de libertate Euangelica, quæ non tenebatur, sed potiùs debebat abstinere à legalibus veteris legis: unde valebat regula juris, *Utilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur*.

Breviter ergo concludit Scotus *Paulus licitè inter Judæos servavit legalia, etiam multo tempore post tertium Concilium, & hoc fuit licitum, dum tamen ipse non poneret in eis spem, licèt non esset utile, nec necessarium necessitate præcepti, nec medii: inter gentes autem gentibus* se conformabat, &c.

Inst. 2. Convenientius est, si amoveatur à principe Apostolorum error, vel peccatum; sed hoc fit, si dicatur cum Hieronymo tam Petrum, & alios simulatè servasse legalia, quàm Paulum reprehendisse Petrum sibi superiorem; ergo ita dicendum est.

Resp. neg. min. Nam neque ad litteram, & sensum Scripturæ id dici potest, neque ad finem excusationis à peccato: non primum, quia revera cùm Paulus ex consilio aliorum Apostolorum purificatus est juxta legem, id fecit, non ut id putarent alii, & id ipse videretur fecisse, cùm non fecisset, sed *ut id scirent*, inquit textus; *Et scient omnes, quoniam quæ de te audierunt, falsa sunt, sed sequeris hoc ipse custodiens legem*. Profectò si hoc syncerè non dicitur, nihil est in Scriptura, quod ut syncerum capiatur: *scire* non est *putare*, & *velle ut sciant*, non est *velle ut putent*. Si revera sic legalia reprobaret Paulus, quemadmodum de illo auditum erat, & ideò celebranda susciperet, ut actione simulata suam posset occultare sententiam, non diceret Jacobus, Et, *scient omnes*, sed, *putabunt omnes, quoniam quæ de te audierunt falsa sunt* (inquit August.) 2. nec etiam licitè sic potuerant simulare, quia talis simulatio annexum habet mendacium, irreligionem, & scandalum, 1. menda-

peccato; ergo jam illa lex, & observatio ejus est mortifera post Euangelii promulgationem: prob. min. sine peccato nihil potest jam fieri, per quod significetur nos dubitare, aut inducantur homines ad dubitandum de novæ legis institutione, & efficacia sufficienti, & evacuatione veteris, & sepultura synagogæ per fundationem Ecclesiæ Christi, & necessitate absoluta impletionis legis Euangelicæ; sed si usurparentur legalia veteris testamenti ex uno talium motivorum, daretur occasio dubitandi de legis novæ existentia, efficacia, & sufficientia; ergo &c. prob. min. 1. si usurparentur ut figurativa legis novæ, & adventus Messiæ, significaretur eum non venisse; non enim se compatiuntur umbræ cum lumine, nec figuræ cum existentia figurati, tota autem lex vetus erat figura, & umbra Christi venturi: *Omnia quippe illa in figuris contingebant*. 2. si licerent adhuc legalia ut utilia, vel necessaria, non esset absolutè necessarius Baptismus, nec sufficiens lex nova, & non esset verum, quòd Sacramenta veteris legis fuerunt *vacua, & egena elementa*, ut dicebat Paulus; ergo non possunt usurpari legalia, quin detur occasio dubitandi de existentia, vel necessitate, aut sufficientia legis novæ.

Ut meliùs pateat vis argumenti hujus, suppono totam legem veterem ex divina intentione fuisse figurativam Christi venturi, & sacramentorum legis novæ. 2. ut regulativam cultus Dei veri per actus, & cæremonias, & signa externa, per quæ populus ille in unum conveniebat, & ab aliis nationibus distinguebatur. 3. continentem præcepta, & media necessaria, vel utilia, & efficacia ad causandam gratiam, & salutem æternam consequendam, & poterant legalia illa usurpari ex omnibus, vel ex aliquo ex illis motivis. Certum est autem, quòd post promulgationem Euangelii hoc non licet ob rationes datas, scilicet 1. quia consummatæ sunt figuræ, & Prophetiæ, & dissipatæ sunt umbræ ad præsentiam lucis expectatæ. 2. quia Christus est *lapis angularis*, qui facit *utraque unum*; una omnium fides, unum baptisma, nulla distinctio inter Judæos, & Græcos in Ecclesia. 3. nulla salus extra baptismum, & Ecclesiam, & si ante Christi adventum tam infirma erant Sacramenta, quid virtutis, & efficaciæ nunc haberent? certè

certè si per Christum liceret nunc circumcidi in remedium peccati originalis, vel actualis, baptismus non esset necessarius, nec unica via ad reconciliationem.

Objicies 1. contra 1. p. Si lex Moysis obligasset solos Judæos, gentes, quæ legem non habebant, fuissent melioris conditionis; sed falsum conf. nam Judæi dicuntur *populus Dei*, *& populus electus*, *& hæreditas Dei*; ergo &c. prob. maj. Nam gentes illæ salvabantur per observantiam solius legis naturæ, nec onerabantur illo intolerabili præceptorum difficillimorum, & cæremonialium onere, quod in Scriptura ipsa vocatur *servitus*; ergo gentes illæ fuissent melioris conditionis, quia liberæ, isti verò servi.

Respondeo neg. maj. & conf. prob. Non enim attenditur melioritas conditionis ex libertate à lege, sed ex majori perfectione, & sanctitate status, licèt illi annectantur strictiores observantiæ; sicut conditio laicorum non est melior conditione clericorum, & religiosorum, licèt isti pluribus, & difficilioribus onerentur præceptis, ac regulis, & ideo magis Deo conjunguntur, & securiores tendunt ad finem salutis nobilioribus mediis, & sanctioribus: ita erat de Judæis in comparatione Gentilium, magis per legis observantias, & sacrificia conjungebantur, & consecrabantur Deo.

Inst. Absolutè dicitur de omnibus, qui erant extra legem, quod erant maledicti; ergo lex erat absolutè pro omnibus. Prob. ant. [1] *Maledictus, qui non permanet in sermonibus legis hujus*; ergo &c.

Respondeo neg. ant. & conf. prob. Nam illa maledictio cadebat in solos Judæos, quando recedebant à testamento legis: hanc, & alias maledictiones publicabat Levita in transgressores Judæos, ut patet ex textu.

Poterant tamen gentiles illi legi se subjicere aggregando se Judæis per circumcisionem juxta illud, [2] *Si quis peregrinus in vestram voluerit transire coloniam, & facere phase domini, circumcidetur prius omne masculinum ejus, & tunc rite celebrabit, eritque sicut indigena terræ*, ut de facto plures aggregati sunt; plures siquidem alterius gentis, & sectæ eorum

[1] *Deut.27.* [2] *Exod.12.*

eorum religioni, & cæremoniis ungebantur.

Certum etiam est, quòd licèt soli Judęi, & illi, qui eis sic aggregabantur, fuerint obligati ad observantiam legis quoad legalia, & cęremonialia, & alia præcepta, quę in illa erant specialia, & extra, vel supra legem naturę; tamen multa continebat, quæ erant de lege naturæ, ut maxima pars præceptorum moralium, & pręcipuè pręcepta Decalogi, & ideo ad hęc obligabantur omnes homines, & adhuc obligantur; sed, ut docet Scotus, hæc non urgent ex vi legis Mosaicæ, sed naturalis, aut Christianę.

Item certum est, quòd licèt in ratione legis obligatio spectaret ad solos Judęos, tamen aliquo modo spectabat ad omnes etiam Christianos, quatenus scilicet continebat in figuris, & promissionibus ea, quę per Christum Redemptorem peracta sunt: [1] *Omnia enim in figura contingebant illis, & quotquot promissiones sunt, in illo sunt* (scilicet in Christo) *impleta*.

Objic. contra 2. p. Lex vetus vocatur in Scriptura [2] *testamentum æternum*; ergo non potuit cessare, nec abrogari. prob. ant. *statuit illud Jacob in testamentum æternum*.

Resp. dist. ant. ęternum quoad pręcepta moralia de lege naturę, & quoad res promissas, & significatas, conc. ant. quoad obligationem, neg. ant. dicitur *pactum, & testamentum æternum* quoad res figuratas, ut sunt Christus, & Ecclesia, aut quia duraturum erat usque ad impletionem conditionum, & promissionum; sed cessavit figurare, & promittere, & obligare ad observantiam judicialium, & cęremonialium, seu sacramentalium. Item *æternum* in Scriptura sæpe sumitur pro longiori duratione.

Objic. 2. Lex vetus fuit bona, & a Deo instituta, qui non mutatur; ergo debuit esse perpetua.

Resp. neg. cons. Quia mutata est in melius, ad quod ordinabatur, & cessavit præcipuus finis ejus, qui erat figurare novam, & pręparare ad ejus receptionem, & observantiam.

Inst. Fides nostra non differt à fide veterum Judęorum, & Patriarcharum; sed illa perseverat; ergo & lex.

[1] 1. *Cor.* 10. [2] *Ps.* 104.

Respondeo dist. maj. quoad substantiam, & objectum *quod*, conc. quoad rationem, & objectum formale *quo*, neg. maj. Nam Deus, & Christus semper fuit, & est objectum fidei *quod* Patriarcharum, & nostrę; sed illi credebant in Christum ut venturum, nos verò in Christum ut natum, & mortuum, & viventem in cœlis.

Objic. 3. Lex non abrogatur, nisi per expressam revocationem, vel per legem novam contrariam priori; sed neutro ex capite cessavit lex Moysis; ergo non cessavit. prob. min. 1. nullibi constat de expressa revocatione: & 2. lex nova non est contraria veteri, nec incompossibilis cum illa; ergo neutro ex capite abrogata est.

Resp. 1. neg. maj. Nam si lex sit lata pro certis quibusdam temporibus, & circumstantiis, cessat ipso facto, si tempora, & circumstantię mutantur, ut contigit in lege veteri, quę data fuit pro tempore pręcedente adventum Messię, & ad illum prefigurandum, *Donec veniret semen*, id est Christus: unde *lex, & prophetæ usque ad Joannem*; cessante ergo fine legis, cessat & ipsa.

Respondeo 2. neg. min. Nam 1. licèt expressis, & formalibus verbis eam Christus non revocaverit, id fecit ęquivalenter per institutionem novę *Legem mandatorum evacuantis*, inquit Apost. *& dum mutavit sacerdotium*, &c. & 2. duę illę leges sunt aliquo modo contrarię, quia nova datur ut se sola sufficiens ad salutem, & necessaria; quod non esset verum, si simul vigeret vetus. 2. sacramenta novę significant, & operantur gratiam mediatoris pręsentis, & redemptionis peractę; ergo non debent adhiberi ea, quę significabant Messię venturi, & redemptionis futuræ. 4. vetus dabatur tantùm pro uno populo, ex cujus semine Messias erat nasciturus; posterior est universalissima: hęc autem omnia inter se repugnant, ut patet.

Objicies contra 3. p. *Lex, & Prophetæ usque ad Joannem* viguerunt; sed Joannes diù vixit ante mortem Christi; ergo lex desiit obligare diù ante mortem Christi.

Respondeo dist. maj. usque ad Joannem, id est ad Joannis ętatem moraliter, & circiter, conc. maj, mathe-

mathematicè, & præcisè usque ad Joannis nativitatem, ut prædicationem, neg. maj. Joannes autem, & Christus eodem ferè tempore nati sunt, ille sex mensibus ante istum, & paulò ante mortuus est. Fuit etiam ultimus prophetans adventum Christi; & sic tunc prophetiæ terminatæ sunt, & lex vetus etiam, quia nova jam tunc imminebat, non tam futurum præmonstravit, quàm præsentem monstravit.

Objic. 2. Lex circumcisionis non debuit vigere post institutionem, & præceptum baptismi; sed baptismus institutus est, & præceptus ante mortem Christi; ergo & lex ante desiit. Prob. maj. Nam Christus ante dixerat, [1] *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* &c. Et de facto tam ille, quàm Apostoli baptizabant ante passionem; *Venit in terram judæam*, & illic baptizabat, & id narrant Joanni, *Ille*, inquiunt Judæi, *cui testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum* &c. ergo non vigebat lex circumcisionis, sed baptismi ante mortem Christi. Apostolos [2] etiam baptizasse docet Hugo Victor.

Resp. neg. min. Nam baptismus fuit quidem institutus vivente Christo, sed non fuit sub præcepto, benè verò sub consilio, ut dicit Scotus, & alii Theologi, & ideò lex circumcisionis languebat quidem, & non erat absolutè necessaria pro originali, sed non erat penitus extincta. *Quantum ad circumcisionem distinguo 4. tempora*, inquit Scotus: *pro 1. erat necessaria: scilicet ante institutionem baptismi: pro 2. utilis, non necessaria, scilicet à tempore instituti baptismi usque ad mortem Christi; quia tunc alterutrum sacramentum sufficiebat ad sanctificationem à peccato originali: pro 3. nec utilis, nec necessaria; tamen licita; scilicet à morte Christi usque ad solemnem promulgationem Evangelii, & paulo ultra, pro 4. omninò illicita, & mortifera*. Quando inceperit istud 4. tempus dicetur postea.

Objicies contra 4. p. Non solùm post mortem Christi, sed etiam post Pentecostem, & in Jerusalem apud ipsos Apostolos adhuc viguerunt cæremonialia legis judaicæ; ergo non fuit mortificata, nec mortifera per mortem Christi. Prob. ant. *Vide*, inquit Di. Jaco-

[1] *Jo.* 3.
[2] *de sacram. p.* 6. *c.* 4.

Jacobus, [1] *quot millia hominum in judæa crediderint, & omnes æmulatores sunt legis*; sed hoc contigit post promulgationem Euangelii; ergo nequidem tunc fuit mortua, nec mortifera legis observantia.

Respondeo dist. ant. non fuit mortua quoad usum, conc. quoad utilitatem, & efficaciam, neg. ant. fuit quidem tunc licita, sed non fructifera ad justificationem, & gratiam internam. De hoc amplius in seq.

CONCLUSIO III.

Usus legis veteris non fuit statim illicitus nec post passionem Christi, nec post prædicationem Euangelii. Ita Scotus cum suis, & aliis.

Probatur 1. ex Scoto, & Scriptura, *Apparet Actuum* 21. inquit, *ubi legitur de Paulo, qui ascendit in Jerusalem, & ibi de Consilio Jacobi, & aliorum fratrum post* 4. *Synodum habitam Jerosolymis purificatus secundum legem ascendit templum, & obtulit pro se sacrificium, quamvis solemniter ante jam ibi fuerat Euangelium publicatum: quia ibidem dixit Jacobus, vide, quot millia hominum jam crediderunt in judæa, & omnes sunt æmulatores legis; ergo stante tanta publicatione Euangelii ibi, & in ipso Paulo, & in judæis conversis approbatur observatio legis, & ipse Paulus ibidem inter tot Christianos opus legis implevit: quo autem tempore facta fuerit ista Pauli purificatio, & oblatio secundum legem conjici potest partim ex textu actuum, & partim ex magistro historiarum. Istud enim fuit ante captionem Pauli per septem dies, sicut patet act.* 21. *illa autem captio fuit circa principium regni Neronis, quia* 3. *anno regni Neronis venit secundum magistrum historiarum; Nero autem cœpit regnare circa* 20. *annum post Christi passionem. In tanto autem tempore videtur Euangelium satis publicatum fuisse, & maxime in Judæa, ubi tamen Paulus observavit legalia* &c. Lege totum hunc textum, in quo clarè hoc explicat Doctor, & ostendit, quòd diù post publicationem Euangelii mortua quidem fuit lex Moysis, id est inutilis, sed non mortifera, sed tolerata pro Judæis etiam conversis; ut patet de facto Pauli,

[1] *act.* 21. [2] *Ibid.*

Pauli, qui prçsentibus, & approbantibus aliis Apostolis observavit legalia.

Confir. hoc 1. ex eadem Scriptura: nam idem S. Paulus ascenderat Jerosolymam ad consulendos fratres Apostolos super factum Concilii, & super quçstionem, an gentes conversç tenerentur ad observanda legalia; & D. Jacobus tanquam Episcopus Jerosolymitanus tulit sententiam hanc; *Ego judico non inquietari eos; qui ex gentibus convertuntur ad Deum, & scribere ad eos, ut abstineant se à contaminationibus, ab idololatris, à fornicatione, à suffocato, & à sanguine*, , &c. Inter quatuor hçc prohibita priora duo erant necessaria, sed duo posteriora erant solùm congrua, ne Judçi conversi eos abhorrerent, & faciliùs cum gentilibus conversis in unum corpus Ecclesiç convenirent, quia Judçi abhorrebant à sanguine, & suffocato. D. ipse Paulus circumcidit Timotheum; ergo non putavit legem etiam multis annis post publicatum Euangelium esse mortiferam, ut de facto non fuit saltem Judçis, modò non crederent illam esse necessariam, neque utilem.

Objic. 1. Lex Moysis est nunc mortifera, & quidem à longissimo tempore; sed non potest assignari aliud, quàm tempus solemnis publicationis Euangelii; ergo ab eo tempore fuit mortifera. Maj. patet ex concl. prçcedenti: [1] *Absit*, inquit Ecclesia, *ut in illam damnatam hæresim incidamus, quæ perperam affirmabat legem cum Euangelio, & circumcisionem cum baptismo servandam*. Prob. min. nullibi enim legitur alia prohibitio quoad Judços: nam illa decisio Jerosolymitani Concilii erat tantùm pro gentibus conversis, ut patet ex textu allato; ergo vel adhuc esset licita Judçis conversis, vel fuit illicita ex tempore publicationis baptismi.

Resp. neg. min. & conf. prob. Nam inquit Doctor citans illam decretalem; *Ecclesia non judicaret hæresim, nisi lex circumcisionis fuisset aliquando revocata, imò & à Deo prohibita per revelationem factam Apostolis; videtur, quòd hoc fuit propter aliquam revocationem simpliciter factam à Deo*, licèt non habeamus prçcise tempus talis revocationis, & prohibitionis, nec fuerit simpliciter explicitum in Scriptura;

[1] *c. majores de bapt.*

ra; & id factum est, ne Judęi perfidi haberent inde occasionem asserendi, aut credendi non venisse adhuc Messiam, quandoquidem duraret lex circumcisionis: certum est autem ex textibus allatis, quòd id non accidit statim post Pentecostem.

Objic. 2. D. Paulus in faciem restitit D. Petro, & graviter eum reprehendit, quòd gentes conversas cogeret judaizare, [1] *Dixi Cephæ coram omnibus, quomodo gentes judaizare cogis, si tu, cum judæus sis, gentiliter vivis?* scilicet cum Judęi quidam à Jerosolymis venissent Antiochiam, ubi Petrus sedebat, hic propter illos segregans se à gentibus observabat legalia, vel observare fingebat cum Barnaba socio Pauli; & iste hoc videns arguebat publicè, & acriter Petrum; ergo ex ipsa Pauli sententia lex Moysis erat mortifera etiam pro Judęis à tempore promulgationis Euangelii, alioqui injusta fuisset reprehensio, & non verè diceret Paulus, quòd *Petrus reprehensibilis erat*.

Hęc difficultas grande excitavit dissidium inter SS. Ecclesię Doctores Augustinum, & Hieronymum. Putabat iste, Apostolos numquam syncerè observasse legalia post promulgatum Euangelium, sed simulatè. *Ego dico, & Petrum, & Paulum timore fidelium Judæorum legis exercuisse, imo simulasse mandata:* idem dicit de reprehensione Pauli, quę etiam simulata fuit, & ex conjecto inter Apostolos. Augustinus verò dicit, eos id fecisse syncerè, *non mentientis astu, sed compatientis affectu; nec simulatione fallaciæ, sed compassione misericordiæ.* Dicebat enim Paulus, [2] *Factus sum judæis tanquam judæus, ut judæos lucrifacerem:* ideò concludit, quòd tunc lex erat quidem mortua, id est inutilis, sed non mortifera, quia licebat Judęis eam exercere non tanquam necessariam, imò neque utilem; sed ex quadam complacentia, & commiseratione in fratres, ut eos sic allicerent ad fidem.

Resp. autem cum Aug. & Scoto verè, & sincerè Apostolos inter Judęos legalia servasse aliquandiù post promulgatum Euangelium, & Pauli reprehensionem etiam fuisse synceram; alioqui si semel admittamus aliquam fictionem in textu sacro, maxima

 fit

[1] *Gal.* 2. [2] *Cor.* 9.

sit illi injuria, & infirmatur ejus summa certitudo.
Certè si Paulus simulatè se purificasset Jerosolymis, & Timotheum gentilem virum circumcidisset post istud factum, qua fronte potuisset simulationis arguere Petrum? *Necesse est dicere ista verba esse simpliciter vera*, inquit Doctor, *vel totius Scripturæ auctoritas aufertur*.

Inst. 1. In quo ergo peccaverat Petrus? Si observando legalia; ergo & Paulus ipse postea peccavit purificando se legaliter, & circumcidendo Timotheum, & tunc jam erant mortifera, quòd si non peccavit; ergo vel Paulus ipse peccavit injustè arguendo, vel arguebat simulatè, ut scilicet dum Petrus favebat Judæis judaizando cum ipsis, ipse instrueret gentes probando non esse judaizandum.

Resp. Petrum peccasse venialiter saltem vel non conformando se Ecclesiæ, quam fundaverat, & quæ erat ex gentilibus conversis, quibus non licebat judaizare, ex quo id definitum fuerat, vel quia sic cogebat gentiles conversos judaizare contra Decretum Concilii Jerosolymitani, quo statuebatur, ne illud jugum eis imponeretur: cogebat autem, dum ipse summus eorum pastor se subtrahebat, ut Judæis advenis adhæreret, vel enim privabantur suo pastore, vel ei se debebant conformare. 3. quia ante adventum Judæorum ab Jerosolyma vescebatur cum gentilibus; & tunc apparuit, quòd non sensit fore abstinendum à gentilibus conversis ad fidem, & in 2. facto ab eis discedebat: seu ostendit, quòd hoc esset faciendum, & id vocat Paulus *simulationem*, *in quam trahebat alios*, inquit Paulus. 4. illa condescendentia cum Judæis decedebat summum Ecclesiæ Christi pastorem; *Non utebatur auctoritate pastoris*, ait Doctor, *cum enim esset superior illis nuntiis Jacobi, debet iste constanter tenere veritatem in opere, & eos deducere ad rectitudinem suam potiùs, quàm propter timorem eorum flecti ad illud, quod eis placebat, & talis timiditas, seu remissio prælati est pro tempore reprehensibilis*: Hanc insinuat textus: *segregabat se ab aliis timens circumcisos*. Non enim ibi erat verè timor quia licebat Judæis non servare legem, & maximè quando erant inter gentes.

Quòd si quæras; *an peccarit mortaliter*: Respondet

det Doctor, si possint verba Pauli in Scriptura salvari, melius est dicere, quocumque ex illis 4. modis peccaverit; potiùs fuisse veniale, quàm mortale.

Dices, posse Petrum excusari, quia id faciebat ad vitandum scandalum Judæorum.

Contra. Non enim erat ibi materia scandali perfectis, neque parvulis, sed tantum Pharisæis, de quo scandalo non est curandum; de tali actu non debebat scandalizari, nisi male sentiens de libertate Euangelica, quæ non tenebatur, sed potiùs debebat abstinere à legalibus veteris legis: unde valebat regula juris, *Utilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur*.

Breviter ergo concludit Scotus *Paulus licitè inter Judæos servavit legalia, etiam multo tempore post tertium Concilium, & hoc fuit licitum, dum tamen ipse non poneret in eis spem, licèt non esset utile, nec necessarium necessitate præcepti, nec medii: inter gentes autem gentibus* se conformabat, &c.

Inst. 2. Convenientius est, si amoveatur à principe Apostolorum error, vel peccatum; sed hoc fit, si dicatur cum Hieronymo tam Petrum, & alios simulatè servasse legalia, quàm Paulum reprehendisse Petrum sibi superiorem; ergo ita dicendum est.

Resp. neg. min. Nam neque ad litteram, & sensum Scripturæ id dici potest, neque ad finem excusationis à peccato: non primum, quia revera cùm Paulus ex consilio aliorum Apostolorum purificatus est juxta legem, id fecit, non ut id putarent alii, & id ipse videretur fecisse, cùm non fecisset, sed *ut id scirent*, inquit textus; *Et scient omnes, quoniam quæ de te audierunt, falsa sunt, sed sequeris hoc ipse custodiens legem*. Profectò si hoc syncerè non dicitur, nihil est in Scriptura, quod ut syncerum capiatur: *scire* non est *putare*, & *velle ut sciant*, non est *velle ut putent*. Si revera sic legalia reprobaret Paulus, quemadmodum de illo auditum erat, & ideò celebranda susciperet, ut actione simulata suam posset occultare sententiam, non diceret Jacobus, Et, *scient omnes*, sed *putabunt omnes, quoniam quæ de te audierunt falsæ sunt* (inquit August.) 2. nec etiam licitè sic potuerant simulare, quia talis simulatio annexum habet mendacium, irreligionem, & scandalum, 1. menda-

cium toties committitur, quoties assumitur signum falsum ad insinuandam falsam opinionem cum intentione fallendi, quod fecissent Apostoli, si voluissent credi servare legalia fingentes ea servare, & adhibentes actus externos legales cum intentione contraria. 2. irreligio committitur per actus contrarios religioni in cultu Dei; sed si putassent ceremonias legales prohibitas in Religione Christiana, exercuissent in cultu Dei actus prohibitos per religionem veram; ergo irreligiosè egissent. Et certè tot SS. Martyres non putarunt sibi licere thurificare idola etiam fictè. Exemplum habemus in Eleazaro Machabæo, qui noluit fingere esum carnis porcinæ. 3. Ille scandalum dat alteri, qui facto suo confirmat illum in errore, & peccato; sed sic Apostoli confirmassent Judæos in errore, & peccato contra fidem Euangelii, si fictè servassent legalia, quæ de facto credebant prohibita, & peccata; ergo scandalum dedissent illis.

Inst. 3. Quando sic agebat Petrus, acceperat spiritum sanctum; ergo erat confirmatus in gratia; ergo non poterat peccare; ergo nec reprehensibilis esse.

Resp. dist. conf. non poterat peccare mortaliter saltem potentia morali, conc. venialiter, neg. conseq. dixi autem cum Scoto, peccatum Petri fuisse veniale.

Objic. 2. Paulus erat inferior, & subditus Petro, qui erat Princeps Apostolorum, & Vicarius Christi, & caput Ecclesiæ; sed inferior non potest syncerè reprehendere superiorem; ergo reprehensio fuit mystica, & simulata.

Resp. dist. min. ex Aug. non potest reprehendere superiorem cum auctoritate, & juridicè, conc. min. charitativè, seu ex libertate charitatis, neg. min. & ita se gessit Paulus: *Ipse verò Petrus quod à Paulo fiebat libertate charitatis, sancta, ac benigna pietate humilitatis accepit, atque sanctius, & rarius exemplum posteris præbuit, ut non dedignarentur à posterioribus corripi.*

Constet igitur, legem Moysis mortuam quidem fuisse per mortem Christi, & à fortiori per solemnem publicationem Euangeli, sed non statim fuisse mortiferam, seu illicitam, saltem pro Judæis; sed tole-

toleratam per plurimos annos, modò qui exercebant eam, non ponerent in ea spem, nec putarent eam utilem, nec necessariam ad gratiam ullam obtinendam ex operibus illis

CONCLUSIO IV.

Lex vetus jam mortua est quoad omnia sua praecepta. Est Scotistarum, & aliorum magis communiter.

Supponendum ex Scoto, & omnibus, quod triplicis generis erant praecepta veteris legis, *moralia*, *caeremonialia*, & *judicialia*: *Moralia* pertinebant ad dirigendos mores sub morali regula justitiae, temperantiae, & fortitudinis; & haec continebantur praecipuè in duabus tabulis decalogi, licèt alia fortè addita essent, quae videbantur extra illas, sed facile ad haec reduci possent. *Caeremonialia* spectabant Dei cultum, & religionem sub divina revelatione, & ordinatione, qualia erant sacramenta, sacrificia, sacra, & observantiae. *Judicialia* pertinebant ad justitiam rectè administrandam in ordine ad pacificam cohabitationem, & convictum populi sive inter se, sive ad exteros. Nam ordinabant 1. principes erga subditos. 2. subditos ad se invicem. 3. populum illum Israeliticum ad extraneos, & 4. singulas familias ad domesticos.

2. Supponitur, quòd eadem praecepta moralia quoad decalogum sicut antea viguerant, utpote quae sunt de lege naturae, ut diximus, ita & nunc vigent; sed quaeritur an ex vi talis legis. Idem est de pluribus judicialibus, imò & de aliquot ceremonialibus, quae adhuc servantur in lege nova, ut decimae, primitiae, &c. His suppositis.

Prob. concl. 1. ex Scoto [1] citato saepiùs, ex quo patet legem illam fuisse pro solis Judaeis, & illam mortuam fuisse in morte Christi, &c. Et clarissime id docet, & probat dicens, *nec moralia, nec caeremonialia, nec judicialia mansisse eadem in lege nova, sed perfectiora. In lege erant moralia, sive legalia, judicialia, & caeremonialia: quantum ad quodlibet istorum potest intelligi verbum Christi: Non veni solvere legem,* sed

[1] 4.d.3.q.4.O.n.16.

sed implere, quia decalogus simpliciter manet, quem Judæi intelligebant: v. g. illis dicebatur, *non occides*, nobis nequidem licet dicere fratri *Racha*: illis prohibebatur mœchari, nobis concupiscere mulierem. Judicialia autem manent non in se, sed in æquipollenti quantùm ad finem, ut puta de pœna talionis, quæ non sic firmat pacem, quàm condonatio injuriæ, & amor inimici, qui jubetur in nova. *Unde breviter nullum judiciale illius legis, seu quatenus illius legis erat, ligat nunc. Licet tamen benè principibus nunc statuere aliqua, quæ erant de lege Moysis; & illa ligant auctoritate principis nunc statuentis, non auctoritate veteris legis*. Sic precepta novæ legis, quæ erant etiam in veteri, obligant nos ex vi novæ, non autem veteris: cæremonialia autem non manent in se, sed in suis significatis, quia umbra transiit, & veritas successit, &c.

Prob. 2. ex iisdem locis Scripturæ, quibus probavimus absolutè cessationem illius legis; nam indistinctè loquuntur.

Prob. 3. quia, ut dicebamus, lex illa erat pro solis Judeis, & pro illo tempore, nec obligabat eos, qui extra synagogam erant; ergo jam ex vi talis legis ad nullum præceptum tenemur, nec ullum ampliùs viget, quia Christiani omnes sunt extra synagogam, imò nec illa extitit ampliùs.

Objic. 1. ex Scriptura. Christus non venit solvere legem, sed implere; sed hoc intelligitur saltem de moralibus; ergo lex quoad moralia viget adhuc.

Confir. Nam quærentibus, *quod est mandatum magnum in lege*, respondet Christus; [1] *In lege quid scriptum est?* replicant, *Diliges Dominum Deum*; annuit Christus, & addit secundum, *diliges proximum*, &c. Et alias suadet adolescenti circa idem præceptum, *hoc fac, & vives*, id est possidebis vitam æternam. Item legem Apostolus [2] precipit Romanis, & Ephesiis eorumdem præceptorum obedientiam; *Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione*. Idem præcipit S. Jacobus, [3] *Si tamen legem perficitis regalem secundum scripturas diliges proximum tuum*, &c. ergo hec precipiunt, ut precepta ex veteri lege.

Resp.

[1] *Luc.* 10. [2] *Rom.* 13. [3] *Ephes.* 6.

Resp. ut supra neg. cons. Nec enim in eo sensu hæc dixit Christus, quasi vellet nos ad illa obligari ex vi legis, quam sepeliebat in morte sua, sed quia illam per se, quamdiu vixit, implevit, & quia non tam solvit, quàm perficit, & in melius mutat, ut mox vidimus ex Scoto, & eadem præcepta perseverant, non ut à veteri lege statuta, sed ut præcepta legis naturæ, & Euangelicæ, in qua hoc positivè præscripsit, & id solum probatur per alios textus; nullus enim illorum asserit hanc obligationem venire à lege Moysis, sed tantùm quòd hæc illa docebat suos subditos.

Objic. 2. ex Patribus, & Theologis, qui sæpe utuntur textibus veteris legis, ut adstruant præcepta moralia, v.g. ut usuras damnent, utuntur testimonio Psalmistæ, *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*; ergo præcepta moralia veteris legis adhuc obligant, & vigent.

Resp. neg. cons. vel dist. vigent ex vi legis novæ divinæ, aut Ecclesiasticæ, conc. ex vi legis veteris, neg. cons. nec enim id prætendunt SS. Patres, nec Theologi: cùm autem citant hujusmodi textus, eos adducunt ut exempla, & præjudicata ex parte Dei pro Judæis, non autem ut præcepta, quæ nos obligent ex vi talis legis, nam dicebamus ex Scoto, *Rex aliquis videns aliquam legem inter Judæos, vel alios populos esse bonam, & salutarem potest eam statuere pro suis*. Et, *tunc isti tenebuntur eam observare, non ut latam à Moyse pro Judæis, vel ab alio principe, sed ut latam à proprio rege:* ita est de preceptis omnibus, quæ ex veteri lege in novam translata sunt, obligant ex vi istius.

QUÆSTIO IV.

De lege divina nova, seu Euangelica.

LEx ista dicitur veriùs *lex Christi*, quàm præcedens dicatur Moysis, quia iste non fuit auctor, sed purè promulgator veteris; Christus autem fuit verus legislator, & auctor istius, quidquid oblatrent hæretici Lutherani, & Calviniftæ, & ex professo videbimus in tract. de Incarnatione, si Deus

dederit: 2. dicitur *Nova*, quia successit Mosaicæ, quæ veteravit, & antiquata est. Unde per eam [1] *vetera transierunt, & nova facta sunt omnia*: nam novus homo Christus venit in mundum, *nova præcepta dedit mundo, & vitæ nostræ veteri contrarietatem opposuit novitatis suæ*; inquit S. Gregor. 3. [2] dicitur *Euangelica* ab Euangelio. Nam Euangelium est *bonum nuntium*, inquit Imperf. bona autem hominibus nuntiantur, quando promittitur eis beatitudo celestis, peccatorum remissio, adoptio filiorum, mortuorum resurrectio, immortalis vita, &c. 4. *Lex fidei*, quia apertiùs nobis proponit mysteria divina, v. g. Trinitatis, Incarnationis, &c. *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei*, illis autem, qui foris sunt, *omnia in parabolis fiunt*, &c. Et in hoc amorem suum singularem ostendit, *Vos dixi amicos, quia omnia, quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis*. 5. *Lex gratiæ*; nam ipsa est summa gratia, & per eam gratiæ fontes aperiuntur nobis. *Lex per Moysem data est, gratia, & veritas per J. C. facta est*: dicitur etiam *lex amoris*, sicut vetus *lex timoris*.

Quæritur ergo hìc, an sub Christo Redemptore detur aliqua lex præceptiva, quæ obliget ad sui observantiam, quænam sint ejus præcepta, & quomodo à lege veteri differat, & quando cœperit obligare, &c. 2. & alia, quæ hìc breviter decidemus.

CONCLUSIO I.

D*Atur vera lex præceptiva à Verbo Dei incarnato instituta, in Euangelio præcipuè scripta, & per Apostolos promulgata*. Est de fide contra hæreticos hujus temporis, qui docent, quòd homini Christiano nulla lege opus est, cùm per fidem sit liber ab omni lege, & quòd non habuit Christus id operis, ac muneris, ut novam institueret legem inquit Calvinus, sed ut ab hominum cervicibus servile illud jugum auferret, &c. & arguit novos Theologos, qui pro liberatore legislatorem, qui nos in durissimam tradat servitutem, suscipiendum docent.

Prob. autem 1. ex Scoto, qui comparans novam legem

[1] 2. Cor. 5. [2] Hom. 22. in Euan.

legem cum veteri docet, quòd *in nova lege moralia sunt eadem, quæ in veteri, sed magis explicata. Cæremonialia sunt multò pauciora, & leviora, quæ imposita sunt per Christum, judicialia nulla posita sunt per Christum, sed magis est lex mititatis, & humanitatis*, &c. ergo ex Scoto in statu Euangelii habemus veram legem novam à veteri diversam, & per Christum datam, & verè præceptivam.

Prob. 2. ex Script. utriusque testamenti: nam in veteri promittitur Messias allaturus fœdus novum, & legem: [1] *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum, dabo legem meam in visceribus eorum*. Et, *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem*, quod de nova interpretatur D. Paulus. [2] Item Messias promittitur, ut *judex, & legifer noster*. Et in novo ipse Christus jubet, *Mandata mea servate*. Et, *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea*: & jubet Apostolis, ut eam doceant omnes gentes, [3] *Docete eos servare omnia quæcumque mandavi vobis*: & Paulus dicit, se in lege esse Christi; *Etsi enim qui per Angelos dictus est sermo legis ad Moysen factus est firmus, & omnis prævaricatio, & inobedientia accepit justam mercedis retributionem, quomodo non effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?* &c. scilicet si inobedientes legis Mosaicæ puniebantur, quantò magis nos, si hanc, quæ à Christo, & per Christum data est, neglexerimus? ergo verè legem habemus à Christo, & quidem præceptivam, quæ nos obliget: nam si lex nova esset purè directiva, ostendendo scilicet media, & viam salutis, non autem præceptiva, & constans veris præceptis, non obligaret sub pœnis, & quidem majoribus, & à fortiori quàm lex vetus.

Prob. 2. ex Concilio Tridentino [4] definiente, quòd, *si quis dixerit nihil præceptum esse in Euangelio præter fidem, anathema sit*. Et, *Si quis dixerit Christum I. à Deo datum hominibus ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui obediant, anath. sit*; ergo habemus à Christo veram legem, & verá præcepta alia, quàm quæ fidem imperant.

Prob.

[1] *Jerem.31.* [2] *Isa.2.* [3] *arbi,8.& 10.*
[4] *ʃʃ.6.can.19.& 21.*

Prob. 3 Nam Christus fuit Summus Pontifex, & princeps omnium hominum; ergo non solum potuit, sed etiam debuit leges ejs præscribere, quibus in statu suo regerentur ad finem, ad quem venerat ad eos, & maximè ad cultum divinum, scilicet ad salutem eos perducendum, patet cons. nam decet summum sacerdotem, & principem sic regere subditos, scilicet optimis legibus, & præceptis. Prob. ant. ex Scriptura; nam in ejus persona dicitur, [1] *Ego autem constitutus sum rex ab eo*, & de illo dicebat Angelus, [2] *dabit illi Dominus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob*, &c. Et ipse Christus sibi applicat illud Psalmistæ, [3] *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Et, [4] *Dominus judex noster, Dominus legifer noster ipso veniet, & salvabit nos*. Et D. Paulus. [5] *Habentes Pontificem magnum qui penetravit cœlos, Jesum filium Dei*.

Prob. 2. p. quòd *sit lex scripta, & præcipuè in Evangelio*: nam D. Joannes dicit [6] *Hæc scripta sunt, ut credatis, quia I. est Christus filius Dei, & ut credentes vitam habeatis*; loquitur autem de suo Euangelio, in quo habentur omnia credenda, speranda, & agenda ad vitæ æternæ consecutionem. Et Apostolus, [7] *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*. Et, *Per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus*. Item Deus per Christum dicitur nobis loquutus: & lex est in sermone non quidem solùm vocali, sed scripto, *Novissime loquutus est nobis in filio*; sicut olim *loquebatur in patribus, & prophetis*. Et *apparuit gratia Dei omnibus hominibus erudiens nos*, &c. Et, [8] *si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis; si quis sermonem meum servaverit*, &c. ergo lex nova vere scripta est.

Dixi *maximè in Euangelio*; nam plura habemus etiam scripta in litteris Apostolorum, in actis, & Apocalypsi, & alia ex traditione, quæ Apostoli ab ipso Christo ore tenus acceperunt; & alia successivè ab Apostolis usque ad nos: sed de hoc alias.

Prob. 3. p. Nam ex Euangelio constat, Chistum Aposto-

[1] *Ps.2.* [2] *Luc.1.* [3] *Math.22.*
[4] *Isa.35.* [5] *Hebr.4.* [6] *Jo.20.*
[7] *Rom.35.* [8] *Jo.16.*

Apostolos destinasse in mundum universum *prædicare Evagelium omni creaturæ*; nec de hoc dubitatur.

Objicies 1. Christus venit potiùs, ut redimeret nos à lege, quàm ut subjiceret legi; *Misit Deus filium suum natum ex muliere factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret*, unde exclamabat Calvinus, *ò miserabilem justitiam! ò perniciosum errorem prædicantium Christum novum legislatorem; quasi veterem legem abrogaverit, ut novam Christianis imponeret*, &c. Item, *Lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Jesum Christum facta est*; ergo Christus venit non ut legislator, sed ut liberator hominum à legis servitute.

Resp. dist. conf. à servitute legis Mosaicæ, quæ est lex servitutis, conc. & de ista loquuntur isti textus; à subjectione legis novæ, quæ est lex gratiæ, & libertatis, neg. conf. & de hac non loquuntur illi textus. Lex vetus erat lex servitutis, non solùm ob multitudinem, & duritiem præceptorum, sed etiam ob raritatem, & debilitatem mediorum, & auxiliorum, nova autem dicitur gratiæ, & libertatis tum propter paucitatem præceptorum, tum quia dat auxilia ad facienda ea, quæ jubet: ideò jugum, sed suave, onus, sed leve, & ipse clamat; *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, tollite jugum meum*, &c. Videat Calvinus, si sit error prædicantium Catholicorum, qui cum Scriptura, & Christo ipso loquuntur.

Inst. ex Apostolo *Non estis sub lege, sed sub gratia*, &c., *si spiritu ducimini, non estis sub lege*: ergo qui spiritu Dei ducuntur, ut christiani omnes, non habent legem.

Resp. ut supra, neg. conf. Nam, inquit Aug. *Non sumus sub lege veteri bonum quidem jubente, non tamen dante; sed sumus sub gratia, quæ id, quod lex jubet faciens nos amare, potest liberis imperare.* Ideò non tam sumus sub lege, quàm cum lege, quia lex ipsa gratiæ nobiscum agit per gratiam Christi, quam secum affert. Nonne ipsemet agnoscit legem Christi, cùm dicit, *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.*

Objic. 3. alios textus: v. g. [1] *ubi spiritus Domini, ibi*

[1] 2. Cor. 4.

ibi libertas ab obligatione legis: *non enim accepistis spiritum servitutis, sed spiritum adoptionis filiorum*: præcepta non dantur filiis, sed servis, & subditis, & dicitur quidem lex, *sed libertatis*. Denique *justo non est lex posita*; ergo nec christianis, qui per baptismum, & fidem justificati sunt.

Resp. eodem modo ad textus istos, & similes; scilicet quod per [1] *spiritum gratiæ Christi liberati sumus à servitute legis Mosaicæ*, quæ erat lex timoris, & servitutis, quia ejus observatoribus, & contemptoribus non proponebat nisi pœnas, & mercedes temporales: nova autem non proponit nisi spirituales, & ex amore implenda sunt præcepta; idieò dicitur lex libertatis, & amoris. [2] *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea*: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui me diligit*: Et hunc spiritum, quo timore filiali, & amore ducimur, non timore pœnarum temporalium, accepimus in baptismo. Ultimum locum sic exponit S. August. [3] *Justus non est sub lege, quia in lege Domini est voluntas ejus: qui enim sub lege est, secundum legem agitur; ergo ille liber est, iste servus, qui est sub lege, quia portat legem ut onus, ille portatur à lege, in qua quiescit ejus voluntas*.

Objices 3. Lex ista vocatur Euangelium, id *est bonum nuntium*; quia promittit vitam æternam per fidem; quod non faciebat vetus, nisi sub conditione mandatorum ejus; ergo ista non est præceptiva nisi per fidem.

Respondeo neg. conf. Nam per excellentiam dicitur Euangelica non propter solam fidem, sed propter innumera spiritualia, quæ promittit, ut beatitudo cœlestis, peccatorum remissio, adoptio filiorum, resurrectio mortuorum &c. nec propter solam fidem, sed etiam propter alia bona opera, & maximè charitatis, quæ præcipiuntur; *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem*, &c. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est*: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me*.

Objic. contra 2. p. pro S. Thoma, [4] qui docet hanc legem

[1] *Gal. 5.* [2] *Jo. 15.* [3] *in Ps.*
[4] 1. 2. q. 105. a. 1.

legem non esse scriptam; sed inditam. Lex nova est lex novi testamenti; sed ista est indita in mentibus fidelium; ergo non est scripta, sed indita. Prob. min. ex Apostolo. [1] *Hoc est testamentum, quod ponam domui Israel post dies illos, dabo leges meas in monte eorum, & in corde eorum superscribam*; sed loquitur de lege nova; ergo hæc est indita saltem principaliter, & primariò.

Confir. ex Apostolo, [2] qui docet eam esse *legem fidei*, quæ tota est interior: & quòd lex *spiritus vitæ in Christo liberavit me à lege peccati*. Unde Aug. docet, [3] quòd *sicut lex factorum scripta fuit in tabulis lapideis, lex fidei scripta est in cordibus fidelium. Quæ sunt leges Dei ab ipso Deo scriptæ in cordibus, nisi ipsa præsentia Spiritus Sancti?* scilicet lex nova, cùm sit lex gratiæ, quæ in cordibus residet.

Respondeo neg. min. loquendo de *indita*, prout excludit signa externa vocis, aut scripturæ, per quæ objectum aliquod percipitur ab anima; sicut de lege naturæ dicitur, quòd sit *indita*; quia non docetur exteriùs, nec ab extra venit in mentem per voces, aut scripturas. Ad Apostolum dico, legem hanc præ veteri dici mentibus inscriptam, quia per Spiritus Sancti unctionem maxime se insinuat in animos, ipsisque inhæret, verbis, & scriptis plantatur; sed Deus internè dat incrementum. Non sic erat de veteri, quæ statim scripta est in tabulis lapideis digito Dei, seu per Angelos, aut Moysen. Eodem sensu loquitur Augustinus.

Idem resp. ad confir. Nam dicitur *lex fidei*, & *gratiæ*, quia fidem, & gratiam abundantem secum affert in comparatione veteris, quæ sterilis erat, & per mysteria redemptionis, quę annuntiat, & continet.

Objic. 2. Unaquæque res videtur esse, quod in ea est potissimum, ex Phil. sed gratia Spiritus Sancti, quæ datur per fidem, est potissimum in lege nova, & hæc gratia inspiratur, non scribitur; ergo lex principaliter est indita, seu inspirata, non verò scripta, nisi secundariò, quatenùs habet quædam sicut dispositiva ad gratiam, & ad usum ejus pertinentia, quæ sunt secundaria in illa lege, & de quibus instruendi sunt fideles verbis, & scriptis.

Resp.

[1] *Hebr.* 8. [2] *Rom.* 3. & 8. [3] *de spir. & litt.*

Resp. dist. min. est potissimum in lege causaliter, conc. min. formaliter, neg. min. gratia Spiritus Sancti est principalis effectus legis, quatenus eam secum trahit à Deo, & continet sacramenta, quæ illam causent, & præcepta, per quæ mereamur eam. Fatetur ipse D. Thomas; sed malè confunditur effectus legis cum ipsa legis entitate formali.

CONCLUSIO II.

Lex nova præter præcepta moralia decalogi, quæ renovat, & ampliat, continet etiam alia quædam tam positiva, quam negativa, ut sunt vel sacramentalia, vel moralia, vel fidei, & præter hæc continet consilia.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Decalogus simpliciter manet, sed perfectiùs exponitur, quàm judæi intelligunt. ut patet Matthæi 5. audistis quia dictum est antiquis, non occides, ego autem dico vobis, quicumque dixerit fratri suo Racha, reus erit.* Similiter dictum est, *non mœcaberis, ego autem dico vobis, quicumque viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est in corde suo*, &c. Vides eadem præcepta decalogi præcipi modo perfectiori, quàm intelligerent iudæi: & plura addit cap. 6. & 7. ejusdem Euangelistæ.

Prob. 2. ex Script. nam adolescenti quærenti *quid faciendo vitam æternam possidebo?* respondet Christus, *in lege quod scriptum est*: ille, *diliges Dominum*, &c. *rectè respondisti*, ait Christus? *hoc fac., & vives*; ergo etiam in lege nova dantur illa præcepta, & adhuc obligant, non quidem ex vi prioris legis, sed ex vi legis naturæ, quæ indefectibilis est, & novæ, in qua hæc Christus renovavit.

Prob. 3. p. nam ex locis citatis à Scoto patet, quòd ea præcepta novis quibusdam explicationibus, & amplationibus Christus tradidit: v. g. cùm præceptum *non occides* extendit ad prohibitionem injuriarum; *non mechaberis* ad prohibitionem actus interni concupiscentiæ, & desiderii fornicandi, & præceptum dilectionis proximi ad dilectionem etiam inimici; ergo in lege nova præcepta decalogi præcipiuntur cum perfectioribus explicationibus, & ampliationibus.

Prob.

[1] 4.*d*.3.*q*.4.*Q*.*n*.19.

Prob. 4. p. de aliis præceptis extra decalogum: nam inquit Scotus. *cæremonialia veteris legis non manent in se, sed in suis significatis*; scilicet habemus præcepta sacramentalia, v.g. baptismi pro omnibus juxta illud, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua; & Sp. S. non potest introire in regnum Dei*. Et, [1] *docete gentes baptizantes eos*, &c. 2. Eucharistiæ pro adultis; *nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, & sic de aliis, ut videbimus l. 4.

De præcepto fidei patet, [2] *Qui credierit, & baptizatus fuerit, salvabitur, qui vero non crediderit, condemnabitur*. Et,[3] *Si non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro* &c.

Dices. Fuit etiam fides in Deum necessaria pro omni lege, & statu; ergo quoad hoc nihil est speciale in lege nova. Prob. ant. *Sine fide impossibile est placere Deo*; ergo &c.

Contra: quia in lege naturæ, nec Moysis fidei mysteria non fuerunt sic explicitè proposita, maximè trinitatis, & incarnationis, & redemptionis; ergo hæc sunt specialia in hac lege, in qua hæc magis explicitè tenentur christiani credere, & quidem incarnationem, & redemptionem non ut futuram, ut Judæi, & Patriarchæ, sed ut peractam. Idem est de sacramentis, & eorum necessitate, ac efficacia.

Prob. denique 5. p. 1. ex Scoto [4] id supponente, cum ait, quod *generaliter promulgatio de consilio divino obligat ad non contemnendum; qui enim consilium contemnit, contemnit consulentem, in quantum consulentem, & ideò nolens servare consilium Euangelicum, quasi contemnens illud tanquam irrationabile, & infructuosum, peccat mortaliter*. Inter hæc autem numerantur maximè hæc tria, paupertas, obedientia, & castitas.

Prob. 2. ex Script. *de Virginibus præceptum Domini non habeo. consilium autem do*, &c. inquit Apostolus; quod colligit ex Euangelio, & verbis Christi dicentis, *sunt Eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cælorum: qui potest capere capiat*. Item, *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, &*

aa

[1] *Jo.6.* [2] *Mar.* 16.
[3] *Jo.8.* [4] *Ibid. E.*

da pauperibus, & sic de aliis, quæ non præcipiuntur ut necessaria, sed consuluntur ut utilia ad perfectionem, & valde salutaria.

Objic. 1. pro hæreticis, qui putant Christum nos liberasse ab obligatione veteris legis quoad præcepta decalogi, quia putant ea impossibilia. [1] *Christus nos redemit de maledicto legis*: ergo hæc non debent censeri præcepta pro statu legis novæ.

Respondeo neg. conf. Nam quòd præcepta non sint impossibilia, videbimus suo loco. Et cùm dicitur, *nos redemisse de maledicto legis*, sensus est, quòd nos liberavit à maledictione, & morte, quam incurrebant transgressores legis veteris, quatenus meruit nobis auxilia abundantiora, & efficaciora ad eam servandam, & ipsamet secum affert gratias novas, ut dictum est.

Objic. 2. pro eisdem: sufficit sola fides ad salutem: ergo non dantur alia præcepta. Prob. ant. [2] *Justus ex fide vivit*. Et, [3] *Crede tantùm, & salva eris*, &c. Et, *Justo non est lex posita*.

Resp. neg. ant. & conf. prob. Nam 1. justus vivit quidem ex fide, sed non sola. 2. ly, *crede tantùm* non est ad propositum exigebat fidem à patre, ut filiam ejus suscitaret. 3. jam diximus, quo sensu dicatur; quòd justo non est posita lex.

CONCLUSIO III.

Lex *nova omnibus est necessariò recipienda de necessitate salutis, imò & observanda*.

Prob. 1. ex Script. [4] quæ ad omnes, nullo excepto, cujuscumque nationis, vel conditionis sic loquitur dicens, *Qui non crediderit, condemnabitur*: & Christus mittit Apostolos, [5] ut *doceant omnes gentes in mundum universum*: pro omnibus dicitur, [6] *nisi quis renatus fuerit ex aqua* &c. sicque baptismus est omnibus necessarius necessitate medii ad salutem. Item, [7] *An Judæorum Deus tantum? Nonne & gentium; imò & gentium, quoniam quidem unus est Deus* &c. scilicet sicut unus est Deus omnium, ita & legem hanc gratiæ, & salutis dedit pro omnibus, & omnes tenen-

[1] *Gal.* 3. [2] *Rom.* 1. [3] *Luc.* 8. [4] *Mar.* 16. [5] *Matth. ult.* [6] *Jo.* 1. [7] *Rom.* 4.

tenentur illi obedire. Idem prædicebant Prophetæ. *Fluent adeum omnes gentes; exibunt popouli multi, & dicent: ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, quia de Sion exibit lex*, &c.

Confir. Nam docet Apostolus, *Deus vult omnes salvos fieri, & in cognitionem veritatis venire, quia unus est Deus omnium*. Item, *Christus pro omnibus venit, & mortuus est*; ergo vult legem suam omnibus imponi, & servire, & ab omnibus observari: *Unus est enim mediator omnium homo Christus*. Non tamen singuli ad singula ejus præcepta obligantur; sed omnia prorsus obligant omnes in communi, & collectivè, aliqua verò singulos per distributionem accommodam secundum diversos status, & conditiones: v.g. præceptum baptismi omnes, & singulos obligat: Præceptum confessionis solos adultos, & lapsos in peccatum post baptismum. Item non omnes matrimonii juribus subsunt, sicut nec omnes sunt sacerdotes.

CONCLUSIO IV.

Lex nova in aliquibus convenit, & in multis differt à veteri, in quibus absolutè præcellit eam, & longè mitior, ac levior est.

Prob. 1. p. 1. ex Scoto: [1] quia 1. *quoad moralia in lege nova eadem, quæ tunc, sed magis explicata*. 2. *idem finis, scilicet Christus in veteri relatus, & figuratus, & in nova revelatus*. [2] *Finis legis Christus ad justitiam omni credenti; & hominis salus sanctificatio*. 3. *eadem causa, scilicet Deus utriusque auctor, utraque divina est, & Christus utriusque causa meritoria*. Nam si quæ gratia ex veteri percipiebatur, maximè ex sacramentis à Christi meritis, & fide in eum venturum pendebat; ergo in aliquibus conveniunt.

Prob. 2. p. Nam 1. vetus [3] per Moysen data est, ista per Christum, qui fuit legislator, & redemptor, & primus promulgator. 2. vetus debilior, inefficacior, & imperfectior; nova fœcundior per gratias abundantiores: *nam passio Christi exhibita plus meretur*

de

[1] *3.d.40.B.n.3.* [2] *Rom.10.*
[3] *Ibid. F. n. 7.*

de gratia credentibus eam jam exhibitam, *quam ipsa ut exhibenda meruit illis, qui crediderunt eam exhibendam*, inquit Doctor: & ideò sacramenta nostra, quæ habent efficaciam ex merito passionis exhibitæ, plus conferunt de gratia, quàm sacramenta veteris legis. 3. in nova majorem efficaciam habent sacramenta, quæ gratiam conferunt tam ex opere operato, quam operantis, quam vetera non conferebant nisi ex opere operantis, excepto forte sacramento pro infantibus, & peccato originali, de quo aliàs. 4. plura habemus adiutoria gratiæ, quia plura sacramenta; nam illi præter matrimonium (si tamen fuit illis sacramentum) nullum habuerunt nisi cirumcisionem; & hoc pro remedio contra originale: post verò recidivationem, si mereri potuerunt gratiam aliquo motu proprio, bene quidem, sed ad gratiam acquirendam nullum tunc habuerunt sacramentum pœnitentiæ institutum apud eos: nos autem habemus septem sacramenta, & quidem efficacissima. 4. Habemus in nova doctrinam explicativam, & declarativam veritatis, & exempla sanctorum plura, & efficaciora ad incitandum. 5. plura merita sanctorum, qui forte non tantum sibi, sed & nobis meruerunt, & nos etiam meremur invocando auxilium eorum, & intercessionem apud Deum. 6. nobis promittit lex nova explicitè vitam æternam, & alia bona spiritualia, in veteri autem vel raro, vel numquam promittebantur nisi bona temporalia; ideò servilis erat. 7. gratia in nova lege constituit simpliciter filios Dei adoptivos; non sic illa, juxta Apostolum; [1] *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum*. Et, [2] *Cùm essemus parvuli sub elementis mundi hujus eramus servientes, at ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, ut adoptionem filiorum reciperemus*: ergo in his, & aliis multis lex nova differt, & præcellit veterem. 9. denique lex vetus temporanea fuit, nova erit æterna, *novum, et æternum testamentum*, numquam finietur nisi cum mundo; ergo in his & aliis multis lex nova differt, & præcellit veterem.

Prob. 3. p. de majori suavitate 1. ex Scriptura [3] nova lex dicitur *jugum suave, & onus leve* vetus e con-

[1] Rom. 8. [2] Gal. 4. [3] Matth. 11.

contra onus grave; [1] *Quare vultis nobis imponere onus grave, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?* Nam licèt moralia præcepta sint eadem in nova, aut forte arctiora, & magis explicata, ut diximus; tamen aliunde sunt perfectiora, & habemus longè plura, & majora auxilia, quæ difficultatem minuunt; ex alia verò parte etiam levior est; nam nova non habet tot præcepta cæremonialia externa, non prohibentur tot cibi, & tot actiones, ut tactus mortuorum, quibus legaliter polluebantur judæi, & egebant importunis purificationibus. Denique lex nova nulla habet judicialia præcepta; ergo in hoc levior est.

Objic. contra hanc partem. Opera, quæ lex nova præcipit, sunt perfectiora; ergo & difficiora. Prob. ant. in veteri sufficiebat non occidere; in nova non licet irasci, at virtus est circa bonum arduum; ergo quò perfectus est opus, ad quod lex obligat, eò difficilius; ergo & lex gravior.

Resp. dist. conf. cæteris paribus, conc. conf. aliter, neg. conf. nam quando adsunt nobiliora, & ampliora auxillia gratiæ, facilius est christiano propter Deum omnia relinquere, quàm diviti avaro dimittere nummum etiam ex necessitate. *Jugum Christi amanti suave est*, *Dominus dat suavitatem*: & ut dicebat David, *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*, scilicet inspirando amorem.

CONCLUSIO ULTIMA.

In *lege nova nulla humana potestas potest proprie dispensare*, Dico *nulla potestas humana*, nec enim dubium est 1. quin Christus ipse eadem potestate, qua illam instituit, posset & abrogare, aut dispensare, aut revocare, saltèm in his, quæ ipse statuit. 2. quin potuerit eandem potestatem hominibus, vel Ecclesiæ suæ committere; sed conclusio est de facto, quòd scilicet nulli eam potestatem dederit.

Prob. 1. ex Scoto, [2] quia *nulli inferiori licet in lege superioris dispensare*; sed omnes homines sunt inferiores Christo; ergo nullus potest dispensare in lege divina nová.

Prob.

[1] *Act.* 15. [2] 4. *d.* 25. *q.* 3. *G. n.* 8.

Prob. 2. quia jus illud dispensandi in homine, etiam in Papa, non constat neque ex Script. neque ex traditione ulla, neque ex usu, vel consuetudine; ergo non potest asseri: ant. patebit ex solutione objectionum.

Prob. 2. ex ipsis SS. Canonibus: nam si quis homo id posset, maximè Summus Pontifex; sed ipse Papa declarat se id non posse; ergo nullus homo id potest. Prob. min. Nam Sanctus Leo Papa declarat, [1] *ne in dubiis quidem posse quidquam statui præceptis euangelicis contrarium*: & Urbanus, *Summoperè sciendum est, quia inde Romanus Pontifex novas leges condere potest, unde euangelistæ aliquid, & prophetæ nequaqam dixerunt; ubi vero apertè Dominus, vel ejus Apostoli, & eos sequentes SS. Patres aliquid definierunt, ibi novam legem Romanus Pontifex dare, sed potiùs quod prædicatum est usque ad animam, & sanguinem confirmare debet, si enim quod docuerunt Apostoli, & Prophetæ, destruere (quod absit) niteretur, non sententiam dare, sed magis errare convinceretur.* Imò Zozimus [2] fatetur, nequidem posse condere, nec mutare contra statuta Patrum. Idem asierit Marcellinus, scilicet, *nec quidquam contra Evangelicæ, vel Propheticæ, aut Apostolicæ doctrinæ constitutionem*: & Alexander III. loquendo [3] de usuris, in quibus non dispensat, dicit, quòd *cùm usurarum crimen utriusque testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus.*

Objic. 1. Christus concessit Petro, & successoribus illimitatam potestatem: *Quodcumque ligaveris, & quodcumque solveris* &c. ergo Papa potest dispensare in omni lege divina.

Resp. neg. conf. Nam illa potestas ligandi, & solvendi intelligitur de peccatis, & pœnis eorum, quæ retinere, aut solvere potest, non de legibus: alioqui nihil penitus esset reservatum pro ipso, nequidem in præceptis legis naturæ; nam idem esset iudicium de his, atque de aliis.

Objic. 2. De facto Papa dispensat in votis; sed hæc sunt de lege divina; nam præcipit, *Vovete, & reddite Domino Deo*: ergò & in aliis.

Resp. dist. ant. dispensatione impropria, conc. ant. pro-

[1] *Ep. 90. c. sicut quædam dist. 14. 25. q. 1. c. sun. quidã.*
[2] *Contra statuta* [3] *c. super cel. de usuris.*

propria, neg. ant. de quo patet ex dictis de dispensatione. Dispensatio impropria fit vel per Epichejam interpretando legem, dicendo, quòd in tali, vel tali casu lex non obligat; seu quòd legislator non intendit obligare; & hanc potestatem communiter agnoscunt Theologi in Papa pro legibus etiam divinis, per clavem scientiæ simul, & jurisdictionis; & proterea in conclusione dixi, quòd *nulla humana potestas potest propriè dispensare*; quod autem possit impropriè, docent, ut dixi, communiter DD. Nam interpretatio legum solet committi rectoribus reipub. sed Papa est Summus Rector Reipublicæ Christianæ, saltem in spirituali bus; ergo, &c.

DISPUTATIO IX.

De lege positiva humana.

DIXIMUS dari leges, quas divisimus in *naturales*, *& positivas*; & has in *æternas*, *& temporarias*; & rursus istas *in divinas*, quæ à Deo sunt, ut *vetus*, *& nova*; *& humanas*, quæ sunt ab hominibus: & de his restat agendum, & quidem primò de illis pauca prælibabimus in communi, antequam ad ultimas species descendamus.

QUÆSTIO I.

An, & quid sit lex humana; an sit in hominibus potestas legislativa, & unde.

MAxima pars hujus quæstionis patet ex dictis supra de legibus in communi, ubi dedimus divisiones, & definitionem legis, & conditiones ejus expendimus, & probavimus contra hæreticos dari in hominibus potestatem legislativam, & verè obligativam, scilicet in Papa pro tota Ecclesia, in aliis Prælatis pro suis diœcesibus quoad spiritualia; & in summis Principibus, atque communitatibus perfectis sæcularibus in suis statibus, & pro suis subditis quoad temporalia; & quòd hæ leges obligant in conscientia, idest sub peccato: nam ex definitione legis in communi facile patebit, quid competat legi humanæ positivæ.

Porrò lex humana largè, & impropriè sumitur pro quovis rationis humanæ dictamine, seu decreto vi ratiocinationis naturalis elicito ex principio legis naturalis, quo regulantur actiones humanæ: & hoc sensu spectat ad legem naturalem; sed propriè sumitur pro decreto emanato ab homine habente potestatē, quo aliqua generaliter præcipiuntur, aut prohibentur; & hoc sensu dicitur *lex positiva humana*.

Igitur lex *humana* describi potest *Regula constans, & vera honestæ operationis ab homine potestatem habente præscripta, & obligans ad aliquid faciendum, vel omittendum*. Id patet ex descriptione prædicta legis in communi, cui nihil additur præter particulam, *ab homine potestatem habente præscripta*, per quam exprimitur differentia limitans descriptionem generalem, & constituens istam distinctam à legibus divinis positivis; & hæc sufficiunt pro 1. p. quæstionis.

Quoad 2. verò probatum est etiam, quòd potestas legislativa residet in hominibus; sed restat videndum, unde illa derivetur.

Potestas describitur *facultas quædam propinqua ad exercendam aliquam operationem in aliquo supposito*. Sic in Architecto potestas domificativa est facultas, qua proximè, & quando voluerit, potest cōstruere domum: sic potestas *jurisdictionis*, de qua hic agitur, (1) est *facultas propinqua dicendi jus, seu ferendi sententiam, aut legem etiam in invitum*. Alia (2) est *spiritualis* jurisdictionis Ecclesiasticæ, & est *potestas à Christo data Apostolis, & eorum legitimis successoribus supernaturaliter, & specialiter ad ædificationem Ecclesiæ suæ militantis secundum leges Evangelicas pro consecutione felicitatis æternæ*. Alia *sæcularis*, seu *laica*, & est *facultas à populo ex successione hæreditaria, vel ex electione alicui tradita ad ædificationem communitatis quoad res civiles, & secundum leges item civiles pro consecutione convictus pacifici*: sic definit Gerson apud Almainum. De utraque quæritur unde sit, quamvis satis hoc colligatur ex allatis definitionibus.

CON-

[1] *Alm. de pot. Eccle.* [2] *Ibid.*

CONCLUSIO I.

Potestas legislativa tam civilis, quàm Ecclesiastica, seu spiritualis est à Deo; civilis quidem mediante populo, spiritualis verò immediatè.

Prob. 1. ex Scoto. (1) Nam ad legem justam requirit in legislatore prudentiam, & auctoritatem; quomodo autem auctoritas justa habeatur, quæ requiritur ad legem justam, sic concludit: *Duplex est principatus, & auctoritas, scilicet paterna, & politica; & politica duplex, scilicet in una persona, vel communitate. 1. seu paterna justa est ex lege naturæ, qua omnes filii tenentur parentibus obedire; nec ista per legem aliquam Mosaicam, vel Euangelicam est revocata, sed magis confirmata: Auctoritas verò politica, quæ est super extraneos, sive in una persona resideat, sive in communitate, potest esse justa ex communi sensu, & electione ipsius communitatis. 1. respicit consensum naturalem, quamquam non cohabitantes civiliter. 2. respicit cohabitantes quantumcumque nulla consanguinitate, vel propinquitate conjunctos;* & ista auctoritas politica civilis venit immediatè ab electione populorum.

Quantùm ad potestatem Ecclesiasticam docet, (2) quod *in Ecclesia est duplex forus, unus secretissimus, in quo idem accusator est reus, & alius forus publicus; quia & Ecclesia habet auctoritatem corrigendi delicta publica, & ibi requiritur auctoritas,* (scilicet ligandi, & solvendi) *de hac potestate data Ecclesiæ habetur, dicente Christo ad Petrum, si peccaverit in te frater tuus, dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Et sequitur; (3) *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis:* ergo hæc potestas in Ecclesia est immediatè a Deo, & in populis est laica.

Prob. 2. tota concl. ex Scriptura. (4) *Audite reges, quoniam data est vobis a Domino potestas:* & Christus; *Non haberes in me potestatem, nisi tibi datum esset desuper.* Et, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita*

A a 2

[1] 4.*d*.6.*q*.2.*E*.*n*.6. [2] 4.*d*.19.*q*.1.*K*.*n*.11.
[3] *Matth*.18. [4] *Rom*.13.

dita sit; non est enim potestas, nisi à Deo. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit; ergo omnis potestas legislativa tã civilis, quã Ecclesiastica est à Deo. Item, (1) *Per me reges regnant, per me principes imperant, & legum conditores justa decernunt:* & de se David (2) fatebatur; *Ego autem Rex constitutus sum ab eo*. Hoc probat de potestate civili.

Confir. ex illo loco Ezechielis. (3) *Suscitabo super eos pastorem unum, qui pascat eos, servum meum David; ipse pascet eos. Ego autem Dominus ero eis in Deum, & servus meus David princeps in medio eorum*. Item D. Petrus monet Christianos: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi præcellenti, sive Ducibus ab eo missis*. Denique monet Deus ipsos reges suam ab ipso potestatem agnoscere acceptam; (4) *Audite ergo reges, & intelligite; discite judices finium terræ, quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus*: quod sic exponit Glossa: *Potestas judiciaria in terra quoad sententiæ definitionem, & virtus puniendi quoad potentiæ executionem, vel potestas in causis civilibus, & virtus in criminalibus data est vobis ab Altissimo, qui interrogabit opera omnia*. Hæc maximè probant de potestate laica, & civili.

Quoad Ecclesiasticam autem ratio particularis est, quia cùm illa sit spiritualis, & extendatur ad animas, non potest esse nisi à Deo. Unde dicitur Petro, (5) *Tibi dabo claves regni cœlorum, quodcumque ligaveris*, &c. Item, (6) *Pasce oves meas, pasce agnos meos*. Item, (7) *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, id est cum simili potestate ad gubernandam Ecclesiam, & fideles. *Quis putas est fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* Et Apostolus (8) docet, quòd *nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron*. Denique Christus vult seipsum æstimari, loqui, audiri & sperni in Apostolis, & Prælatis, (9) *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit*: & ideò in Conciliis, cùm decernunt, & statuunt aliquid, dicunt; *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*, ut significent se vice

[1] *Prov*.8. [2] *Ps*.20.
[3] *Ezech*.34. [4] *Sap*.5.
[5] *Matth*.16. [6] *Jo*.21.
[7] *Luc*.12. [8] *Hebr*.5. [9] *Luc*.10.

vice Dei loqui; ergo potestas Ecclesiastica legislativa est à Deo immediatè.

Prob. 2. p. scilicet quòd civilis sit à Deo mediatè: Nam ut ex Scoto videbamus, potestas ista ordinariè, & originaliter venit ab electione populorum, qui convenientes in unam civitatem, aut provinciam, & videntes se non posse bene regi sine aliqua auctoritate, poterant concorditer consentire, ut vel uni personæ, vel pluribus committerent illam communitatem, & uni vel pro se tantùm, & successores eligerentur, sicut ipse, ut faciunt Poloni, vel pro se, & tota sua posteritate, ut in aliis regnis, ubi coronæ sunt hereditariæ; ergo hanc Deus dat mediante populi electione.

Prob.2. Nam si hæc potestas legitima veniret aliunde immediatè, hanc haberent vel à Deo, vel à natura; sed neutrum dici potest; ergo immediatè est à populis. prob.min.non à Deo,quia licèt divinæ providentiæ beneficium sit, ut nobis dentur tales reges, & principes, tamen de via ordinaria id non facit, nisi ex populorum consensu, & libera electione; ut de facto videmus contigisse de omnibus, quos agnoscamus. Dico, *de via ordinaria*: non enim dubitamus, quin Deus possit reges, & principes immediatè, & se solo constituere; & ita videtur constituisse Moysem, & Josue, & Saul, & David; imò & hos quidem elegit, & designavit, sed accedente populi electione, & consensu, ut in Saul mediantibus sortibus, & in David, qui 1. unctus est à viris Juda, ut regnaret super domum Juda, deinde à toto Israele. Idem est de Salomone, & Jesu: & sic prædixit, & statuit: *Moyses cum ingressus fueris terram, & eam possederis, & constituam super te regem*, &c. 2. non à natura, & per se; quia omnes à natura nascuntur liberi; ergo nullus in alterum habet auctoritatem jure naturæ; ergo restat, ut hanc habeant ex populorum voluntate, Deo tamen sic disponente. Deus siquidem hanc inclinationem hominibus indidit, ut auctor naturæ, ut conveniant in societatem, & communitatem unam. *Nihil principi Deo in rebus humanis est gratius, quàm homines habere inter se societatem ordinatam, & perfectam*, ajebat Cicero; (2) non potest autem esse or-

[1] *Ibid.* [2] *De Amicit.*

ordinata, & perfecta societas, nisi in ea sit, & vigeat suprema auctoritas, ad quam ex officio spectet bono communi invigilare, & providere. Privati quippe singuli propriis intendunt commodis, nec de communibus curant. Ad hoc autem bonum necessariæ sunt leges, quibus promoveantur, & foveantur boni, & contineantur mali, & sic constituantur, quæ ad pacem, justitiam, & felicitatem communem sunt necessaria.

Prob. 3. p. de potestate Ecclesiastica: nam extenditur ad animam, & tendit ad finem supernaturalem, ad quem animas dirigit per actus religionis; sed hæc non cadunt sub potestatem hominum; ergo nullus homo potest dare potestatem condendi leges Ecclesiasticas. major est certa: min. patet ex Script. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam non possunt occidere.* Unde Papa non accipit potestatem ab electoribus; & cùm ordinantur sacerdotes, & Episcopi, imponuntur eis manus, & accipiunt Spiritum Sanctum, *ut quorum remiserint peccata, remittantur eis*; &, ut dicebamus, cùm definiunt Apostoli ipsi aliquid, dicunt, *Visum est Spiritui sancto, & nobis*: & dicuntur *in spiritu sancto congregati*.

Objectiones, quæ fieri possunt contra hanc conclusionem, jam propositæ sunt, & solutæ supra, quatenus videntur impugnare hanc potestatem in hominibus.

QUÆSTIO II.

De materia legis humanæ, quænam possit illa præcipere, & prohibere, an actus internos.

JAm constat ex dictis de lege in communi, & conditionibus ejus, quòd materia, circa quam versatur, debet esse honesta, justa, utilis, & possibilis, adeò ut non possit præcipere, nisi actus honestos, & virtutis, & utiles communitati, & possibiles etiam moraliter. Difficultas esse posset de actibus indifferentibus, & de internis, an scilicet cadere possint sub legem humanam, & per eam præcipi, vel prohiberi.

Actus aliqui hominis sunt purè *externi*, ut purè *animales*, qui ex vi, & motu spirituum animalium in po-

potentiis externis absque directione intellectus, & imperio voluntatis consummantur, ut sunt actus dormientium. Alii sunt purè *interni*, qui consummantur in solis facultatibus interioribus animæ absque interventu facultatum externarum, & cogitationes, & volitiones: alii sunt *mixti*, quia *externi* habent dependentiam, & connexionem aliquam cum *internis*, & vicissim *interni* cum *externis*, quatenùs consummantur interventu motuum, & actionum externarum; & hæc connexio est vel *physica*, quando actus interni concurrunt ad physicam entitatem, & existentiam externorum, ut quando cognitio, & volitio causant, vel impediunt actus externos per imperium efficax; & sic non concurrunt ad moralitatem actus, sed ad solum materiale, non ad formale virtutis, aut vitii; vel connexio, & dependentia est *moralis*, quando actus interni intellectus, & voluntatis concurrunt ad moralitatem externorum, & ad formale virtutis, & vitii: v. g. in recitatione horarum, vel auditione missæ actus purè externus est præsentia physica in Ecclesia, dum missa celebratur, & prolatio physica Psalmorum, & orationum, quibus constant horæ canonicæ, hæc præsentia, & recitatio physica non possunt esse sine imperio voluntatis, quo movetur ad veniendum in templum, & ad recitandos psalmos; & illa assistentia, & recitatio non erit virtuosa, si fiat sine recta intentione satisfaciendi, & attentione aliquali ad rem sacram; & sic attentio, & intentio requiruntur, ut illi actus sint religiosi, & meritorii, & pertinent ad esse morale talium actuum. Denique *meditatio*, *contemplatio*, *cogitatio*, *volitio*, & *nolitio* per se sunt actus purè interni.

Quæstio non procedit de actibus internis, qui concurrunt ad esse physicum actuum externorum: nam evidens est, istos non posse præcipi, sic nec existere sine illis; sed procedit de illis, qui faciunt ad esse morale, & virtuosum: v. g. an lex humana possit præcipere attentionem, & devotionem in auditione missæ, & recitatione breviarii, ita ut non satisfaciat illis præceptis, qui assistit, aut recitat cum voluntaria distractione.

CONCLUSIO I.

Lex humana non potest præcipere directè actus purè internos, benè verò indirectè eos, qui connexionem habent necessariam ad esse physicum, & imò ad esse morale externorum. Est communis quoad 1. p. & communior quoad 2.

Prob. 1. ex Scoto (1) dicente, quòd *ultra jus positivum divinum, quod continetur in Scriptura divina, Ecclesia statuit multa & propter observantiam honestiorem in moribus, & propter reverentiam majorem in suscipiendis, & administrandis sacramentis*; sed non potest esse observantia in moribus, nec reverentia illa sine actibus interioribus intentionis, & devotionis: ergo Ecclesia, & per consequens lex humana præcipere potest indirectè saltem actus internos.

Prob. 2. quia potestas legislativa, quæ est in hominibus, vel est à Christo pro lege canonica, vel ab hominibus, & populis pro civili; sed à neutris data est potestas in actus purè internos: ergo nulla lex humana cadere potest in actus purè internos. Prob. min. de Christo: nam licèt potuerit eam dare, qualis erat in ipso, & ipse haberet sine dubio jurisdictionem directam, & immediatam in animas, & posset actus internos præcipere, ut de facto præcepit actus fidei, spei, & charitatis: tamen non constat, quòd eam ut talem communicaverit Ecclesiæ: ergo non est asserenda. Prob. ant. Christus non communicavit Ecclesiæ, nisi potestatem condendi leges ad rectam fidelium gubernationem humano modo: sed non possunt gubernari fideles humano modo quoad actus purè internos: quia horum cognitio directa, & immediata soli Deo reservatur: *Scrutator cordium Deus*. Et, *Homo videt ea, quæ patent, Dominus autem intuetur cor*. Item Ecclesia est visibilis, nec regit homines directè, nisi circa ea, quæ sunt visibilia, seu sensibilia: unde manavit effatum, *Ecclesia non judicat de occultis*.

Prob. 2. ex SS. Canonibus: [2] nam Innocentius III. docet, quòd fideles non feriuntur pœna canonica, *nisi excessus eorum essent manifesti Ecclesiæ, quæ non judicat de occultis*. Et cap. seq. *Nobis*, inquit, da-

[1] 4. *d*. 17. *q*. 1. *B*. *n*. 1. [2] *c*. *sicut tuis de simo*.

datum est de manifestis tantummodo judicare; & ideò qui peccant ex pura intentione interna mala, apud districtum judicem, qui scrutator est cordium, & cognitor secretorum, culpabiles judicantur. Et Ecclesia non damnat actus externos de se, & quoad apparentias non malas, quamvis ex prava intentione agentium sint mali, v. gr. simoniam, ut in casibus horum canonum.

Prob. eadem min. de lege civili, & quidem à fortiori: nam princeps temporalis non potest præcipere, aut vetare actus, de quibus non potest cognoscere an sint, vel non sint, ut bonos præmiet, malos puniat; sed non potest cognoscere purè internos, nec punire, aut præmiare; ergo nec præcipere, aut prohibere.

Confir. ex ipsis legibus civilibus, l. *cogitationis*, & refertur in can. [1] ubi dicitur, quòd *cogitationis pœnam nemo patitur*: & quòd *cogitatio non meretur pœnam lege civili*. Et Urbanus II. *De manifestis quidem loquimur, secretorum autē & cognitor Deus, & judex est*.

Confir. ex Philosophis, *Errat, si quis in servitutem putat totum hominem descendere, pars melior excepta est, corpora obnoxia sunt, & adscripta dominis, mens sui juris est*.

Denique potestas civilis non respicit, nisi gubernationem politicam, quæ tota est externa.

Prob. 2. p. de actibus internis necessariis ad esse materiale, & physicum externorum: nam qui habet jus imperandi jejunium v. g. habet jus imperandi quidquid requiritur ad esse physicum jejunii ab homine servandi; sed non potest quoad esse physicum servari ab homine sine actu voluntatis; ergo iste actus imperari potest, saltem indirectè, & quatenus concurrere debet ad illud jejunium. Idem est de actu interno orationis, &c. Prob. min. Nam homo, ut homo, non agit exterius, nisi liberè, & per voluntatem.

Prob. 3. p. de actu interno necessario ad esse morale. 1. quia qui habet jus præcipiendi aliquem actum, habet etiam jus præcipiendi omne id, quod necessariò requiritur, ut valeat ille actus; sed tales sunt plures actus externi, quos præcipiunt leges humanæ, ut contractus civiles, & actus sacramentales; ergo &c.

[1] *de pœnis. de pœnit. d. 1. c. 14. & 2. c. erubescant.*

&c. Et de facto leges civiles regulant contractus, qui valere non possunt in moralibus sine libero consensu: spectat enim ad politiam rectam, ut tales sic fiant, ut sint validi; & non sunt validi sine consensu interno: & Ecclesiasticæ imperant actus religionis, v. gr. orationes, adorationes, actus fidei, & charitatis, & pœnitentiæ in sacramentorum usu, qui existere nequeunt in esse morali sine actibus internis, ita ut sine illis non satisfiat talibus præceptis: v. g. in sacramento pœnitentiæ [1] exigit *detestationem de peccatis præteritis, & propositum non peccandi de cætero.* Item in cap. [2] *dolentes* præcipitur clericis attentio in recitatione horarum, quæ attentio est actus interior: *Præcipientes*, inquit Innocentius III. *in virtute obedientiæ, ut divinum officium nocturnum pariter, & diurnum, quantum Deus eis dederit, studiosè celebrent pariter, & devote*, glossa addit, *quantum ad officium cordis.*

Confir. Nam hæc propositio damnata est à sede Apostolica sub Innocentio XI. *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi*, &c. ergo cum exigitur juramentum à judice tam laico, quàm sacro, exigitur actus tam internus, quàm externus, adeò ut peccet, qui jurat sine intentione interna. Et ibidem prohibentur juramenta cum restrictionibus mentalibus, & amphibologiis: & quòd præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem. Item sub Alex. VIII. hæc damnatur: [3] *Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem actum externum formamque baptizandi observat; intus autem in corde suo apud se resolvit non intendo, quod facit Ecclesia* ergo præcipiuntur actus interni, qui faciunt ad validitatem moralem actuum externorum.

Dices, Ecclesiam non requirere per caput *dolentes*, & similia præcepta, nisi actus externos orationis cum omnibus circumstantiis pariter externis, v. gr. cum externa attentione, modestia, reverentia, sine oculorum divagatione, sine confabulatione, ita ut actus illi sint veræ religionis, si sic fiant, licèt absit attentio, vel intentio interna; sicut adoratio externa idoli, licet sine intentione, esset verum peccatum idololatriæ.

Conf.

[1] *Sess.* 14. c. 3. [2] *Dolentes de celebr. miss. Prop.* 25.
[3] *Prop.* 27. 28. 29. & 65.

Contra. Nam actus veræ religionis est *in spiritu, & veritate*: nec sufficit *in faciem benedicere*, vel ore tenus recitare orationes, ut facerent pueri, & psittaci; hoc enim non est orare: de iis dicitur, *Populus iste labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me*: nec paritas currit de idololatria: nam *bonum* (ut oratio, & religio) *est ex integra causa*, requirit autem actum internum æquè, ac externum; *malum* verò (ut idololatria) *est ex quocumque defectu*, qualis est actus externus ille adorationis.

Objic. 1. contra 1. p. Potestas Ecclesiæ à Christo data non limitatur ad externos actus; ergo extenditur tam ad internos, quam ad externos. Prob. ant. *Quæcumque ligaveritis super terram*, &c. sed tam actus externi, quàm interni fiunt super terram; ergo tam ad illos, quàm ad istos extenditur hæc potestas.

Resp. neg. ant. Nam limitatur ad ea, quæ per se cadunt sub cognitionem Prælatorum Ecclesiæ; & tales sunt actus externi, aut interni cum illis necessariò connexi, non autem purè interni: & sic intelligendus est locus Euangelii, *Quæcumque ligaveritis*, &c. non dixit, *Potestis omnia ligare, aut solvere*, sed, *quæ ligaveritis* rationabiliter, & quæ cadere possunt sub jurisdictionem humanam, quales non sunt actus purè interni.

Inst. 1. Potestas data sacerdotibus respicit salutem animarum, & omnia, quæ faciunt ad illam, sed actus interni non minus faciunt ad salutem animarum, quàm externi, imò isti nihil juvant, aut nocent sine internis; ergo tam interni cadunt sub illam potestatem, quàm externi.

Resp. dist. maj. ad salutem, quantum possunt ad eam concurrere humano modo, conc. maj. absolutè, & generaliter, neg. maj. & cons. alioqui deberent scrutari *corda*, & *renes*, quod Deo soli competit: habent connexionem necessariam cum externis; & sub hoc respectu cadunt sub legem.

Inst. 2. Sacerdos præcipit actus meditationis, contritionis, amoris Dei, attentionis, &c. sed isti sunt purè interni; ergo actus purè interni cadunt sub leges.

Resp. 1. dist. maj. quatenus connectuntur cum externis, conc. directè, ut purè internos, neg. maj.

& conſ. ſimiliter diſtincta minori: ſunt pure interni in ſe, conc. min. in circumſtantiis, in quibus præcipiuntur, neg. min. nam ſic dependent à ſacramento, quod eſt opus ſenſibile; & attentio connectitur neceſſariò cum oratione, ut ſit verus actus religionis.

Reſp. 2. diſt. maj. præcipit actus orationis internæ, meditationis, &c. ut Dei miniſter, & in foro purè interno conſcientiæ, conc. maj. in foro externo, neg. maj. & conſ. quoad actus legis, qui pertinent ad forum externum Eccleſiæ, non ſic præcipit.

Objic. 2. Eccleſia præcipit confeſſionem peccatorum purè internorum, verbi gratia cogitationum, & deſideriorum; ergo exercet poteſtatem in actus purè internos.

Reſp. 1. neg. ant. Nam confeſſio peccatorum tam internorum, quàm externorum eſt de jure divino, ſicut ipſa confeſſio.

Reſp. 2. neg. conſ. nam Eccleſia præcipit directè confeſſionem peccatorum, quæ eſt actus ſenſibilis: & ſic indirectè tantum attingit interna, quatenus peccata, & eorum accuſatio facit ad integritatem confeſſionis.

Objic. 3. Eccleſia diſpenſat, aut irritat vota pure interna; ergo habet poteſtatem in actus purè internos. Ant. patet ex praxi.

Reſp. 1. diſt. conſ. ut tollat obligationem, vel eam declaret nullam, conc. ut præcipiat, vel prohibeat directè, neg. conſ. alioqui etiam dicendum eſſet laicum id poſſe: nam parentes irritant vota filiorum ſub patria poteſtate exiſtentium. Igitur Eccleſia declarat vota non tenere, nec obligare: minus autem requiritur ad tollendam, quàm ad inferendam obligationem: nam odia reſtringenda ſunt potiùs, quàm amplianda, poteſtas præceptiva eſt oneroſa ſubditis.

Reſp. 2. diſt. ant. cùm deducuntur per actus externos ad forum externum, conc. ant. per ſe, & directè, neg. ant. & conſ. nam tunc ea vota non ſunt amplius occulta.

Vides ergo, quòd materia ordinaria, & immediata legis humanæ eſt actus hominis externus, indirectà verò, & mediata eſt actus internus, qui requiritur neceſſariò ad eſſe phyſicum actus interni, & ad morale, quatenus valeat externus in ſua ſpecie.

Objic. 4. Concil. Toletanum 1. anathematizat eos,

qui

qui crediderint aliquid contra fidem: & in Clementina *multorum* excommunicat Inquisitores, qui ex odio, vel amore, vel cupiditate lucri ea omittunt, quæ sunt sui officii; ergo Ecclesia prohibet actus illos internos *hæresis*, *amoris*, *odii*, *& cupiditatis*; ergo & actus purè internos, licèt non sint necessariò connexi cum externis.

Resp. dist. ant. qui crediderint, & errorem, seu hæresim aliquo signo externo ostenderint, conc. qui crediderint sine ullo signo externo, neg. ant. & conseq. Nam, ut colligitur ex Bulla dicta *in cœna Domini*, excommunicatio non cadit, nisi cùm hæresis interna ostenditur aliquo signo exteriori. Idem patet à fortiori de Inquisitoribus: nam illæ passiones amoris, vel odii, vel cupiditatis comitantur defectus externos in sui operis exercitio.

Inst. Ecclesia sic præcipit intentionem recipiendi ordines pro illo, qui recipit beneficium, ut puniat defectum talis intentionis privatione fructuum, quos debet restituere; ergo præcipit actus purè internos, qualis est illa intentio.

Resp. neg. conf. Nam intentio illa jure naturali, & divino est connexa cum aditione beneficii; ideo Ecclesia solùm declarat eum, qui adit beneficium sine illa, non facere fructus verè suos: qui enim non habet animum serviendi Ecclesiæ, non debet habere fructus annexos tali servitio: sicut qui non laborat, nec vult laborare, non debet recipere stipendium: & hoc dictat ipsa ratio naturalis.

CONCLUSIO II.

LEX humana potest præcipere quascumque externas virtutes, saltem quoad materiale, & prohibere quæcumque vitia, prout illæ sunt utiles, & ista vitia nociva sunt bono communi, vel contra legem divinam, aut naturalem; non autem actus indifferentes ut tales. Est communis.

Prob. ex Scoto, (1) 1. quatenus docet, legislatorem *non debere prætermittere ea, quæ secundum se congrua sunt in lege ordinata*, scilicet pro bono communi Reipublicæ, & pro conservatione pacifica, & felici politiæ

(1) 4. d. 20. F. n. 9.

tiæ suæ; sed omnes virtutes possunt esse secundum legem benè ordinatam ad bonum commune, & vitia omnia contra bonum commune; ergo illæ possunt præcipi, & ista prohiberi. 2. quatenus docet, quòd communitas potest leges, quas judicat rationabiles, sibi assumere; & ille, qui habet auctoritatem condendi leges in communitate illa, potest statuere illas observari; sed nulla est virtus, quæ non possit esse utilis, nec vitium ullum, quod non possit esse nocivum bono, & quieti communitatis alicujus tam civilis, quam Ecclesiasticæ; ergo nulla est virtus, nec vitium, quæ non possint esse materia legis, & ab ea præcipi, vel prohiberi.

[1] Confir. Nam ex D. Aug. docet, *Quæ est lex justa nulla, nisi vel quæ descendit à lege divina, sicut conclusiones practicæ à principiis practicis, vel quæ concordat legi divinæ, vel quæ non discordat*; sed lex, quæ prohibet quodcumque vitium, vel jubet quamcumque virtutem, non discordat a lege divina; ergo est justa.

Prob. 1. ratione, & ex Script. quia finis humanæ legis est omne malum prohibere, & omne bonum procurare communitati; sed nulla est virtus, quæ non possit congruere bono communi, nec vitium ullum, quod non possit nocere bono publico: ergo nulla est virtus, quæ non possit præcipi, nec ullum vitium, quod non possit prohiberi lege humana. Prob. maj. ex Scriptura; *Principes non sunt timori boni operis, sed mali: vis non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudes*: ergo scopus humanæ legis est prohibere omne malum, prout nocet communi bono, & promovere bonum: nam princeps *minister est hominis in bonum, & vindex in iram ei, qui operatur malum*, inquit idem Apost.

Confirmatur. Nam vitia omnia sunt inhonesta, & deordinantia in alterum, ut illa, quæ opponuntur justitiæ; vel contra se ipsum, ut illa, quæ opponuntur temperantiæ, ac fortitudini; sed priora sunt nociva aliis directè, posteriora verò saltem indirectè, & per scandalum; ergo omnia sunt contra bonum publicum directè, aut indirectè. Idem est de virtutibus moralibus. Theologicæ verò pertinent ad Dei cultum, & legem divinam, ac naturalem; ideò leges civi-

[1] *d. 25. q. 2. B. D. n. 6.*

civiles possunt prohibere vitia contraria utrisque; & ea punire in foro externo; *quia*, inquit Scotus, *pertinet ad leges reddere homines bonos, civiles, morales, honestos saltem in foro fori, naturalium, ac divinarum legum observatores*; divinæ verò leges obligant in utroque foro, maxime in foro conscientiæ sub pœna æterna à Deo infligenda; ergo contra publicos transgressores earum statuere potest lex humana quodvis temporale supplicium non prohibitum lege divina.

Imponuntur leges in politia morali propter observantiam in moribus, si fuerint civiles, & ob majorem reverentiam in sacramentis suscipiendis, ac ministrandis, si fuerint canonicæ in politia spirituali, ut docet idem Doctor subtilis.

Prob. 2.p. scilicet quòd *non præcipiat formale virtutis*. 1. quia formale virtutum pendet ab actibus pure internis, de quibus non cognoscit homo, quippe *videt tantum ea, quæ patent*; ergo non potest illud præcipere. Idem est de vitiis internis. Prob. ant. nam ad formale actus virtutis requiritur, ut fiat liberè, & propter honestatem ejus, non ex pravo fine, vel coactè, aut ex timore serviliter servili. 2. quia ut mox patebit, lex humana non aliud intendit per se, nisi bonum publicum; sed sufficit ad illud, ut virtutes externæ, & materialiter serventur, & vitia pariter externa vitentur; ergo extra fines legis humanæ est præcipere, vel prohibere formale virtutum, aut vitiorum.

Prob. 3. pars. Nam, ut dicebamus, objectum, & finis legis est bonum commune; ergo & legis humanæ: ergo in suis præceptis, aut prohibitionibus intendit positivè, & primariò bonum publicum, ut rectè docet S. Thomas. Prohibentur præcipuè illa vitia, quæ sunt in nocumentum aliorum, & sine quorum prohibitione societas humana conservari non posset; &c.

Non dixi, quòd de facto, sed quòd *potest præcipere quamlibet virtutem, & prohibere quodlibet vitium*, & quidem publicum: tum quia, ut dicit S. August. *Lex civilis, quæ regendis civitatibus fertur, multa concedit, atque impunita relinquit, quæ per divinam providentiam vindicantur*, &c. item non omnia omni-

tibus prohibentur, vel præcipiuntur; nec etiam ad omnes actus vitiorum, aut virtutum in particulari, vel specie atoma descendit lex; quia non omnes illi actus respiciunt bonum commune; prohibet tamen aliquos singulorum vitiorum, & præcipit aliquos singularum virtutum.

Prob. ultima pars de actibus indifferentibus: quia legis objectum, & finis est bonum commune; ergo nihil potest præcipere, vel prohibere ut indifferens, sed ut utile ad bonum commune. Fateor, quòd potest præcipere actus de se, & ex genere suo indifferentes, sed in circumstantiis, in quibus jubentur, debent esse utiles bono communi, ut sæpe contingit.

Objic. contra 2. & 3. p. Scriptura jubet, *Custodite omnia, quæ scripsi vobis*. Et, *Sancti estote, quia ego sanctus sum*. Et, *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est*; sed hæc esse non possunt, nisi actus vitiosi prohibeantur, & fiant omnes actus virtutum, etiam secundum formale; ergo lex obligat ad omnes actus virtutis formaliter, & prohibet similiter omnia vitia.

Resp. dist. conf. ex lege divina, vel humana spirituali, conc. ex humana, & civili, neg. conf. illi textus sunt de lege, & intentione divina, aut saltem de spirituali, quæ intendit etiam perfectionem internam hominis per actus externos conjunctos internis: civilis verò contenta est substantia exteriori actuum virtutis, & abstinentia ab actibus similiter externis vitiorum: his enim attingitur finis ab ea intentus, nempe felicitas publica, & temporalis civium.

Inst. Intentio legis est facere subditos virtuosos; ergo & obligare ad formale virtutum, & ad omnes actus earum.

Resp. dist. ant. virtuosos in foro suo proprio, conc. ant. ultra forum suum, neg. ant. forum legis humanæ, & maximè civilis est exterius, nec potest cognoscere de interiori; imò nec de externis occultis judicat.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

De obligatione legis humanæ, an obliget in conscientia, & sub peccato, & aliis pœnis.

DE obligatione legum humanarum in foro exter no nulla est difficultas, sed de interno. Nam cùm potestas legislativa Ecclesiastica sit spiritualis, & immediatè à Deo data, non est difficile creditu, quòd lex Ecclesiastica obliget in conscientia, & sub pœnam peccati venialis, aut mortalis secundum gravitatem præcepti, aut materiæ; sed dubium est præcipuè de civili: quia obligatio conscientiæ est spiritualis, & lex illa est temporalis, & non venit immediatè, nisi ab hominibus, ut dictum est; & id negant non solum hæretici plures, & Calvinistæ VValdenses, & Anabaptistæ, sed etiam aliqui Catholici Theologi, ut Almainus; [1] *Nullum est mortale*, inquit, *nisi quia contra legem Dei*. Et ex Gersone: [2] *Nulla transgressio legis naturalis, & humanæ ea ratione, qua est naturalis, aut humana, est peccatum mortale:* ex quo infert, quòd *aliquis potest satisfacere, & adimplere præceptum humanum per mortale peccatum, sicut & aliquis potest mereri transgrediendo præceptum humanum*.

Quæritur ergo 1. an leges humanæ tam civiles, quàm Ecclesiasticæ possint obligare in conscientia, & sub peccato; 2. an omnes, & semper; 3. an sub peccato mortali; 4. an cum periculo vitæ; quæ breviter decidenda sunt.

CONCLUSIO I.

LEges non solum Ecclesiasticæ, sed etiam civiles obligant in conscientia. Est communissima, & de fide quoad 1. p. communior quoad 2.

Prob. 1. quoad 1. p. cum Scoto [3] ex Script. *Est alius forus*, inquit Doctor, *quia & Ecclesia habet auctoritatem corrigendi delicta publica. De hac potestate Ecclesiæ data habetur, dicente Christo ad Petrum*, [4] *si pec-*

[1] *De potest. Eccle. c. 19. prop. 1.* [2] *ibid. cap. 1. prop. 2.* [3] 4. *d. 1. q. 1. K. n.* 15. [4] *Matth.* 18.

si peccaverit in te frater tuus, &c. *sequitur tandem*, *dic Ecclesiæ*, *si Ecclesiam non audierit*, *sit tibi sicut Ethnicus*, *& publicanus*, *& sequitur*, *amen dico vobis*, *quodcumque alligaveritis super terram*, &c. Ex quo patet, quòd Deus approbat solutionem, & ligationem Ecclesiæ factam in foro publico; hæc igitur est potestas excommunicandi, & ejiciendi ex Ecclesia, & reconciliandi; ergo & obligandi in conscientia per suas leges, quarum transgressioni annectit hanc pœnam, qua numquam ferit, nisi ob peccatum mortale: & Ecclesia habet jurisdictionem spiritualem in animas fidelium ad eas ligandas, aut solvendas.

Confir. ex aliis textibus: ut cum dicit, quòd etiam Scribis, & Pharisæis quantumcumque pravis obediendum, (1) *Quæcumque dixerint vobis*, *facite*. Et Apostolus, [2] *Obedite præpositis vestris etiam discolis*, & quod Deus in illis imperat [3] *Qui vos audit*, *me audit*; *& qui vos spernit*, *me spernit*. Et ipse Christus *posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*; & non tantum habent potestatem præcipiendi, sed etiam pœnis coercendi contumaces, ut patet de D. Paulo, [4] *Quid vultis? in virga veniam ad vos? an in spiritu mansuetudinis?* Item, *Hæc absens scribo*, *ut non præsens durius agam secundum potestatem*, *quam Dominus dedit mihi*. Sic quando excommunicavit, & tradidit [5] *Sathanæ in interitum carnis* incestuosum, & Hymenæum, & Alexandrum propter hæresim. Et ad Thessalonicenses scribebat; *Si quis non obedit verbo nostro per Epistolam*, *hunc notate*, *& non commisceamini illis*; ergo Apostoli, & Prælati eorum successores habent potestatem dandi præcepta, & leges, quibus regant Ecclesiam; & iis fideles tenentur obedire sub pœnam excommunicationis [& per consequens peccati] quam transgressores incurrunt.

Prob. 2. p. etiam ex Scriptura. Nam Christus ipse præcipit Cæsari obediendum in legibus tributalibus; [6] *Reddite*, *quæ sunt Cæsaris*, *Cæsari*: &, ut diximus; potestas civilis est à Deo, saltem mediatè; [7. *Non est potestas*, *nisi à Deo*. Item, *Qui potestati resistit*, *Dei ordinationi resistit*, *& qui resistunt ei*, *& ipsi sibi damnationem acquirunt*. Ideò *subditi estote non solum propter iram*,

[1] *Matth.* 23. [2] *Hebr.* 13. [3] *Jo.* 26. [4] 1. *Cor.* 4. [5] 2. *Cor.* 13. [6] *Matth.* 13. [7] *Rom.* 13.

iram, sed etiam propter conscientiam, id est *non solum propter ultionem præsentem, parit enim ira vindictam, sed & propter futurum judicium, ubi accusante conscientia punientur*, ait S. Ambr. item ex locis supra citatis, quibus probavimus illam potestatem esse à Deo: sequitur enim, quòd inobedientia illis exhibita Deum ipsum offendit.

Prob. 2. ex Scoto: (1) quia auctoritas politica justa est; ergo ex justitia teneris obedire, sicut ex justitia potest præcipere, & condere legem justam; ergo qui non obediunt, injustè agunt, & peccant, sicut qui non obediret patri, licèt hujus potestas sit à natura, illa verò ab hominibus. Unde qui furatur rem alienam invito domino, peccat contra justitiam, quæ exurgit ex distinctione dominiorum, quæ introducta est per legem humanam positivam, cùm ex natura essent omnia communia; *Prima distinctio dominiorum potuit esse justa à lege positiva justa, sive lata à patre, sive à principe*, &c. Sic qui vendit res ultra pretium à principe taxatum, peccat contra justitiam; sed hoc peccatum venit à transgressione legis taxativæ, quæ est civilis; ergo civilis lex obligat sub peccato.

Dices, eam obligationem legis humanæ venire ex conformitate, quam habet cum lege divina, vel naturali, non autem ex se, & prout humana est; ergo lex humana positiva non obligat ex se, sed per accidens, & indirectè.

Contra. Nam modò lex non sit contra jus divinum, aut naturale, potest ferri à principe civili, & tunc obligabit; sed tunc obligatio non veniet ab ulla lege divina, aut naturali; ergo veniet à lege humana, ut humana. Prob. maj. quando Saul præcepit jejunium unius diei usque ad vesperam, illud præceptum fuit purè humanum, & positivum; & tamen transgressio ejus per Jonatam displicuit Deo.

Dices 2. illam obligationem venire ab aliqua lege universali, & divina, aut naturali dictante, quod est obediendum legitimo superiori, & judici legitimè imperanti; ergo vis obligativa legis humanæ venit directè, & immediatè à lege naturæ, aut Dei.

Contra. Quæritur hìc de causa particulari, & immediata obligationis hujus, & hujus legis, quæ venit

(1) 4.d.15.q.2.E. & F.n.6. & 7.

nit præcisè à voluntate legislatoris, non verò de mediata, & universali; sed Deus, & lex naturæ in replica non proponuntur, nisi ut causæ universales, & remotæ: certum enim est, quòd cum potestas legislativa civilis sit à Deo mediatè, ut probatum est, ita & vis obligativa legum civilium, & influxus causæ universalis non impedit influxum causæ particularis; ergo sicut non recurritur in aliis effectibus ad causam universalem, quando potest assignari particularis, ita & nunc.

Denique undecumque venit vis illa obligativa in legibus principum sive à Deo, sive à natura, parum refert, modò verum sit, quòd lex civilis ab homine posita, & ut talis obliget in conscientia: nam Deus non contulit potestatem primariò principibus, nisi ut homines sunt; & sibi resisti dicit, cùm eis resistitur, ut patet ex Scriptura.

Objic. 1. cont. utramque p. Forum conscientiæ est spirituale, & soli Deo patet; ergo nullus homo potest in illo obligare. Prob. ant. homo non habet potestatem nisi in corpus, & quoad exteriora; ideò *animam non potest occidere*, nec propterea est timendus, sed posset occidere animam, si posset obligare in conscientia, & sub peccato mortali; ergo, &c.

Resp. dist. ant. soli Deo patet directè, & immediatè, conc. ant. indirectè, & mediatè, neg. ant. & cons. nam hoc ipso quod homo potest præcipere in foro exteriori, & actus externos, sequitur obligatio in interiori ad obediendum, alioqui frustra esset potestas illa.

Inst. Homo non potest infligere, nec remittere pœnam peccati; ergo nec obligare sub peccato. Ant. patet; utrumque enim soli Deo reservatur. Probat. cons. nam legislator non potest pœnam legi apponere, quam non potest infligere: pœnæ autem peccati sunt æterna, vel temporalis damnatio, & purgatio in alia vita.

Resp. neg. cons. & dist. probationem, pœnam apponere directè, & immediatè, conc. ant indirectè, & mediatè, neg. ant. Legislator, maximè civilis, non imponit directè pœnam peccati mortalis, aut venialis, & privationis gratiæ, vel damnationis, sed ponit præceptum, cujus transgressioni Deus alligavit eas

pœ-

pœnas, quas ipsemet infligit directè privans gratia sua inobedientes.

Objic.contra 2.p. Princeps laicus non potest ligare, nec solvere in conscientia; ergo ejus leges non ligant sub peccato. Prob. ant. non habet potestatem spiritualem, sed purè temporalem; sed ligare, aut solvere conscientias sunt effectus purè spirituales; ergo in eos nihil potest homo laicus.

Resp. similiter dist. ant. non potest ligare, aut solvere directè, conc. indirectè, neg. ant. Nam si quis furi, aut debitori remittat ablatum, aut debitum, solvit conscientiam ab obligatione restitutionis, & à peccato injustæ retentionis alieni; quia cessat illa esse injusta, & peccatum per illam condonationem externam; sed indirectè, & quandiu non condonat, tenet conscientiam ejus ligatam peccato furti, & injustitiæ, sed indirectè. Ita est de Rege præcipiente aliquid graviter; ponit materiam transgressionis, cui Deus annectit peccatum, & privationem peccati, & tenet subditum ligatum, quandiu vult legem servari.

CONCLUSIO II.

LEX *humana verè præceptiva quandoque obligat sub peccato etiam mortali*. Est communis.

Prob. 1.p. 1. ex Scriptura citata in præcedenti, ubi dicitur, (1) quòd *qui potestati resistunt, sibi damnationem acquirunt*. 2. quia hoc ipso, quod obligat in conscientia, sequitur, quòd in materia gravi graviter obligat; ergo qui tunc transgreditur, peccat graviter, seu mortaliter.

Confir. Nam supposito, quod inobedientia legi civili displiceat Deo, ut patet ex dictis, sequitur, quòd in re gravi displicet graviter, & leviter in levi; ergo si lex obligat in conscientia, ut probatum est, obligat etiam sub mortali, quando materia est gravis: nam solent peccata ponderari, & mensurari principaliter ex gravitate, vel levitate materiæ.

Confir. ex August. (2) *Quicumque legibus imperatorum, quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium*, scilicet apud Deum, apud quem non incurritur grave supplicium, nisi

[1] Rom. 13. [2] Ep. 50. ad Bonif.

nisi pro culpa gravi. Et certe in legibus Ecclesiasticis plures obligant sub pœnam majoris excommunicationis, quædam sunt mitiores; ita & in politicis quædam sub pœnam mortis, quædam sub pœnam carceris, & triremium.

Objic. 1. Peccatum omne est *dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam* ex August. ergo non peccatur, nisi contra legem divinam.

Resp. neg. conſ. Nam hoc ipso, quod lex Dei, vel naturæ obligant ad obediendum legitimo superiori justè jubenti, peccatur contra utrumque, scilicet contra legem illam generalem, & contra legem hominis in particulari. Lex divina jubet sub peccato obedire superioribus; sed superior Ecclesiasticus, vel civilis jubet abstinere à ludo taxillorum, v.g. qui ludit peccat contra utramque legem: & puto, quòd qui sic peccaret, non se sufficienter explicaret in confessione dicens, *non obedivi legi Dei*, quia non exprimeret totum peccatum; bene verò dicens, *non obedivi superiori in re gravi*; ergo ex lege humana contrahitur specialis obligatio in conscientia, & sub peccato mortali, aut veniali.

Objic. 2. ex Scoto, & Vulpe. Potestas legislativa civilis in principe laico venit immediatè ab hominibus, qui eum elegerunt Regem ad finem purè temporalem; ergo hæc potestas non extenditur ad conscientiam, nec ad finem spiritualem, qualis est obligatio sub peccato. Ant. quoad 1. p. patet ex dictis, imò & quoad 2. p. nam finis potestatis, & legis civilis est felicitas temporalis, & convictus pacificus populorum, sicut finis regiminis, & legis Ecclesiasticæ est felicitas æterna, & sanctitas animarum. prob. conſ. nam obligatio ad peccatum mortale, aut veniale respicit salutem spiritualem animarum, quas occidit; potestas verò civilis non potest occidere animas, sed tantùm corpus.

Resp. neg. utramq. conſ. Nam licèt directè princeps laicus, & leges ejus respiciant felicitatem temporalem, indirectè tamen etiam respiciunt spiritualem, quatenus ista dependet à debita subordinatione temporali, quam Deus statuit inter principes, & subditos; & lex naturæ dictat, quòd obediendum est superioribus; alioqui non essent superiores, aut frustra essent.

CON-

CONCLUSIO III.

LEX vere præceptiva semper obligat sub aliquo peccato ex se, ita ut non detur vera lex, quæ ex se sit purè pœnalis, saltem propriè loquendo.

Suppono distinctionem *culpæ*, & *pœnæ*, & *legis pœnalis*, quæ statuit aliquam pœnam in transgressores, v. g. amissionem gloriæ, & gratiæ, vel damnationem æternam, quæ sunt pœnæ spirituales; & sequuntur peccatum, vel pœnam mortis, carceris, virgarum, mulctæ pecuniariæ, &c. quæ sunt pœnæ temporales.

Rursus quædam est purè *pœnalis*, quæ propriè non prohibet, nec præcipit actum, sed pœnam directè imponit, aut præmium assignat facienti; quædam est *mixta*, quæ verè, & propriè præcipit, aut vetat actum, & pœnam statuit contra transgressorem.

Suppono 2. plures Theologos docere, quòd dantur leges *purè pœnales*, quæ non obligant transgressores nisi ad aliquas pœnas, & talia præcepta reperiri in pluribus regulis, & constitutionibus monasticis, quæ non obligant sub ullo peccato nequidem veniali, sed purè sub aliquibus pœnis, quas singulis præceptis alligant, & quas imponunt transgressoribus.

Suppono 3. *pœnam* propriè, & ex communi acceptione esse aliquod malum, vel damnum privans bono convenienti propter delictum; & dicitur *pœna canonica*, vel *legalis*, quæ statuitur à lege; & sic distinguitur à pœna naturali, quæ est à natura, ut morbi, & mutilationes. *Pœna* dupliciter potest considerari, inquit S. Thomas: (1) 1. secundum rationem pœnæ; & secundum hoc pœna non debetur, nisi peccato, quia per pœnam reparatur æqualitas justitiæ, in quantum ille, qui peccando nimis sequutus est suam voluntatem, aliquid contra suam voluntatem patitur. 2. in quantum est *medicina* non solum sanativa peccati, sed etiam præservativa à peccato futuro, & promotiva ad aliquod bonum: prima pœna non imponitur sine culpa, bene verò secunda, sed non sine causa. His suppositis

Prob. 1. ex SS. Canonibus: (2) quia non potest infligi

[1] *2.2.q.108.a.4.* [2] *c.cognoscentes de constit.*

Itigi vera pœna sine culpa: nam *rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit:* & ut docet Glossa, *nemo potest privari jure suo sine culpa*, saltem regulariter: unde statuitur hæc regula juris, *sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus*; sed omnis lex verè præceptiva obligat sub aliqua pœna; ergo & sub culpa.

Prob. 2. quia qui transgreditur talia præcepta, quæ dicuntur pœnalia, vel tenetur, vel non tenetur acceptare pœnam taxatam à lege; si tenetur, ergo obligat ad conscientiam, saltem indirectè, & mediatè; si non tenetur; ergo non est verum præceptum, quia vera lex præceptiva non est sine aliqua obligatione.

Prob. 3. quia omnis vera lex præceptiva exigit obedientiam & in conscientia, & id ex iisdem principiis, quibus aliæ omnes, quas cognoscimus obligare sub peccato, sive apponatur pœna, sive non; ergo omnis lex præceptiva obligat sub peccato. Prob. ant. 1. quia lex divina, & naturalis indistinctè præcipiunt, & dictant obedientiam superiori. 2. quia si quid istas distingueret, maximè appositio pœnæ exterioris; sed hæc appositio non tollit obligationem, sed potiùs eam firmat; sicut pœna mortis apposita præcepto Adæ dato de non comendendo pomo non abstulit obligationem à culpa mortali; ergo omnis lex verè præceptiva exigit obedientiam in conscientia, & sub peccato ex iisdem principiis, quibus aliæ quæcumque leges.

Confir. quia nisi transgressores harum legum tenerentur in conscientia, & sub peccato saltem acceptare pœnas taxatas, isti possent eas impunè omittere, nisi cogerentur à superiore illas subire; quod iste non posset facere juste, nisi constaret juridicè de transgressione; ergo non essent propriè leges præceptivę, & obligantes.

Dixi autem, *vere præceptivæ*, & *ex se*: nam vera lex, & vere præceptiva primariò cadit in actum jejunii v. g. & obligat ad illud, & secundariò tantum in pœnam; istæ verò, quæ sunt pure pœnales, cadunt directè in pœnam, ad cujus acceptationem obligant, supposita omissione, vel commissione actus; & istæ pœnæ non sunt propriè pœnæ, sed mala quædam medicinalia, quæ imponuntur sine culpa, sed ob aliquam aliam causam, verbi gratia ob præservationem

à causa in peccatum, vel ad incitamentum ad virtutem.

Objic. 1. Leges quarumdam religionum sunt purè pœnales; & obligant tantùm ad pœnas aliquas ibi taxatas; sed illæ sunt vere leges, & præceptivæ; ergo dantur leges verè præceptivæ, quæ obligant tantùm ad pœnas sine culpa.

Resp. neg. min. nec enim sunt veræ leges, nec verè præceptivæ, sed quædam statuta, & regulæ concernentes gubernationem externam.

Inst. Leges non obligant sub culpa, nec in conscientia, nisi quando Deus, aut natura dictant iis parendum; quia vis obligativa in conscientia, & sub culpa venit à Deo, vel naturæ dictamine; sed neque Deus, neque natura dictant parendum legi purè pœnali; ergo non obligant in conscientia, seu sub culpa. Prob. min. Deus, nec natura non dictant parendum superiori ultra intentionem ejus; sed superior in istis legibus non intendit obligare ultra pœnam; ergo nec Deus, nec natura dictant aliter esse parendum illis. Prob. maj. quia lex naturæ, aut Dei non dictant parendum superiori, nisi quantùm ipse jubet; ergo quando ille non jubet cum intentione obligandi in conscientia, non tenemur aliter obedire.

Resp. dist. min. 1. 2. & 3. argumenti, si non sint veræ leges, nec veræ pœnæ, conc. min. si sint veræ leges, & veræ pœnæ, ut pœnę, neg. min. nam, ut dictum est, Deus, & natura dictant superioribus obediendum verè præcipientibus, & acceptare pœnas, easque subire, quas alligant transgressioni; & sic semper obligant in conscientia vel ad præceptorum obedientiam, vel ad pœnarum executionem; aut non sunt veræ leges, nec veræ pœnæ ob rationes datas: sunt quædam ordinationes, & regulæ, non præcepta, & dicuntur leges quoad modum, quo feruntur, non quoad vim, sicut & pœnæ; sic enim vocantur impropriè; ideò tota hæc controversia dici potest de nomine; nam reducitur ad nomen, quo significentur hæc præcepta, & mala, quæ sequi debent eorum transgressionem.

Potest etiam dici, quòd tales regulæ, & præcepta non sunt absoluta, nec cadunt super actum faciendum, vel omittendum, sed super pœnam, & quasi da-

datur optio inter utrumque, quasi diceretur, *si velis jejunare, bene quidem, sed si non jejunes, volo, ut habeas talem mortificationem*, vel *non habebis talem facultatem*.

CONCLUSIO IV.

Lex humana in materia gravi obligat graviter, & sub mortali, & leviter sub veniali in materia levi, nec potest aliter obligare legislator humanus.

Suppono autem, quòd *gravitas* rei præceptæ, aut prohibitæ est vel *absoluta*, & *intrinseca*, vel *relativa*, & *extrinseca*. 1. est ex natura ipsius objecti independenter ab ulla circumstantia finis, aut personæ, aut loci, &c. 2. petitur non ex natura rei in se, sed ex aliqua circumstantia extrinseca: v. g. in præcepto, quo Deus prohibuit Adæ esum pomi scientiæ, non reperitur gravitas materiæ. Quid enim pomum unum inter tot, & tantos fructus, quibus abundabat Paradisus terrestris, ut prohiberetur sub tanta pœna, qualis est mors, & damnatio ipsius, & totius generis humani? Sed gravitas attenditur ab extrinseco, scilicet à circumstantia finis, quia Deus hanc ab Adamo exigebat obedientiam in testimonium, & recognitionem supremi dominii sui in eum, & ejus ab eo dependentiæ. Igitur conclusio nostra prætendit, quòd ad obligationem sub mortali præceptum debet esse in materia gravi gravitate absoluta, & intrinseca, vel extrinseca, & relativa; nec aliter potest homo ferre legem graviter obligantem. Hoc supposito

Prob. 1. concl. ex Scoto: [1] quia *potest quis consilium, vel præceptum superioris contemnere, id est judicare inutile, & infructuosum, seu irrationabile, modo non contemnat superiorem sanè præcipientem; sed potest procurare, ut amoveatur*. Et alibi dicit, quod *lex positiva justè requirit in legislatore prudentiam, ut secundum rationem dictet quid agendum*; ergo ex Scoto lex, seu præceptum debet esse rationabile; sed non est rationabile, nisi proportionetur materiæ, ita ut graviter præcipiat in materia gravi, & leviter in materia levi; ergo lex in materia gravi graviter obligare debet, & vicissim.

Prob.

[1] 4. d. 3. q. 4. E. n. 6.

Prob.2.quoad 1. p. quia lex debet esse justa; sed non esset justa, nisi gravitas obligationis proportionaretur materiæ: v. gr. si levissima, & nullius momenti præciperentur sub mortali, & è contra; ergo lex humana non præcipit,nec debet præcipere sub gravi peccato rem levem; loquor semper de gravitate intrinseca, & absoluta, vel extrinseca, seu relativa, seu accidentali.

Confir. Lex humana, ut sit justa, debet conformari legi divinæ; sed lex divina non obligat de facto graviter, & sub peccato mortali, nisi in materia gravi ex se, vel ex circumstantiis; ergo ita esse debet de lege humana.

Confir. 2. Potestas legislativa civilis derivatur immediatè à populis; sed populi non prætendunt posse obligari graviter pro levibus: alioqui lex esset onus intolerabile, si pro re minimi momenti imponeretur pœna mortis; potestas enim legislativa datur superioribus ad bonum publicum; & sic quæ non sunt notabiliter utilia, aut nociva bono publico, non debent graviter præcipi, aut prohiberi, nec graviter puniri. Et certè videtur esse contra dictamen rectę rationis,& per consequens contra legem naturæ, quòd obligatio præcepti superet exigentiam,& capacitatem materię.

Confir. 3. ex ipso Euangelio, in quo Christus materias leves peccati, & leves defectus comparat festucis, & graves trabibus; & quòd priùs tollendæ sunt trabes, quàm festucæ; ergo in materia levi superiores non possunt ponere gravem obligationem.

Prob. quoad 2. p. ex iisdem principiis. Nam omninò irrationabile videtur, ut superior, qui procurare debet bonum publicum,sive ad finem supernaturalem, & spiritualem, ut Ecclesiasticus, sive temporalem, ut politicus, leviter imperet res summi momenti ad illos fines; ergo superior tam Ecclesiasticus, quàm politicus debet graviter præcipere, & obligare in materia gravi, non autem leviter. Prob. ant. Nam ordinariè in materia gravi transgressio graviter, seu notabiliter avertit à fine legis: & sic respectivè ad Deum peccatur mortaliter; ergo si homo hæc præciperet, obligaret tantum venialiter ad vitandum peccatum mortale; & sic lex illa humana esset contraria divinæ, ac naturali.

Prob. 2. Obligatio ex lege naturæ debet mensurari ex dissonantia cum recta ratione; sed quando res graviter servit, aut nocet bono publico, omissio, vel commissio actus graviter dissonat à recta ratione; ergo & graviter obligare debet. prob. min. nam recta ratio dictat grave malum graviter nocere bono publico, & fini, quem intendere debent leges omnes; nec unquam ulla communitas voluit dare potestatem rectoribus suis, ut sic perturbarent ordinem rerum, leviter curando gravia, & graviter levia, & multò minùs id voluit Deus permittere Prælatis Ecclesiæ, ut tollendarum festucarum essent solliciti, & negligentes trabium. Profectò æqualis iniquitas, & deordinatio est punire occisionem gallinæ morte hominis, & homicidium punire morte gallinæ.

Objic. 1. Obligatio legis pendet à voluntate legislatoris; ergo si velit in re levi graviter obligare, & leviter in re gravi, hoc pendet ab ejus arbitrio. Prob. ant. lex pendet in esse legis obligatoriæ à voluntate ejus per nos; ergo & in gravitate, vel levitate obligationis.

Resp. neg. ant. & conf. prob. Nam lex in esse pendet quidem à voluntate legislatoris, quatenus potest eam dare, vel non; sed supposito, quòd ferat legem, hæc debet esse prudens, justa, & conformis legi Dei, & per consequens proportionata materiæ. Et sic lex quoad hoc non pendet absolutè ab arbitrio legislatoris, sed à voluntate justa, & rationabili.

Inst. In materia gravi potest velle obligare tantùm ad pœnam aliquam, & non ad culpam; ergo & in genere culpæ poterit obligare ad levem tantum etiam in materia gravi.

Resp. neg. ant. & conf. utrumque enim falsum est: ant. quidem, ut patet ex concl. præcedenti; conf. verò: quia supposito, quòd aliquid præcipiatur, culpa, vel pœna debet proportionari materiæ, ita ut, si hæc gravis est, illa quoque sit gravis; si una levis, ita & alia: id enim ratio naturalis dictat.

Hinc colliges, meritò dari has regulas ad dignoscendum, an lex obliget sub veniali, aut sub mortali. 1. si sit in materia gravi ex se, vel ex circumstantiis, obligat graviter, & sub mortali, & leviter, ac sub veniali, si est materia levis. 2. est, quòd illa, quæ præcipit

ali-

aliquid sub gravi pœna, censetur etiam obligare graviter, & sub mortali; quæ verò præcipit sub pœna levi, obligat venialiter: & ratio petenda est ex his fundamentis; nam gravitas, vel levitas pœnæ apposita legi significat levitatem, aut gravitatem obligationis culpæ, non solùm ex intentione legislatoris, quæ se explicat in pœna apposita, sed etiam ex gravitate, aut levitate materiæ, cui proportionata censetur illa pœna. Hæc tamen non est adeò certa in hominibus, qui possunt ab hac proportione deviare. 3. quòd gravitas, & levitas obligationis, seu obligatio ad veniale, aut mortale non satis certò colligitur ex verbis, quibus legislator humanus intentionem suam significat: & ratio est eadem; nam intentio in homine posset esse injusta, si videlicet vellet obligare sub mortali in materia levi, aut è contra.

Nulla ergo est certior regula ad dignoscendum, an lex aliqua humana, & maximè canonica obliget sub mortali, aut veniali, quàm prudens, & justa materiæ gravitas, aut levitas attentis omnibus circumstantiis. Nonnihil tamen juvant verba legis, & qualitas pœnæ, quibus mentem suam explicat legislator, qui ordinariè præsumendus est prudens, & justus, ita ut non sine ratione urgenti præceptis suis apponat pœnas tam culpæ, quàm pœnæ: v. g. cùm Pontifex, aut Prælati præcipiunt, vel prohibent *sub interminatione divini judicii, vel maledictionis æternæ, vel sub indignatione omnipotentis Dei, vel sub pœnam excommunicationis, & similibus*, significant sine dubio legem obligare sub mortali.

Hinc Clemens Papa V. regulam tradit ad dignoscenda præcepta regulę obligantia Fratres minores sub mortali, scilicet ea, quæ jubentur verbis præceptivis, ut *præcipio, impero, jubeo, prohibeo, veto*, &c. signa verò æquivalentia sunt, *debent, obligentur, teneantur*, &c. sed tamen existimo alia verba ex se precisè non sufficere ad inferendam obligationem sub mortali, quia tam positivè potest prohiberi mendacium jocosum, quàm seriosum, & præcipi temperantia à potu extra prandium, quàm jejunium in die veneris: unde cum talibus signis, & verbis debet attendi gravitas materiæ ex se, vel ex circumstantiis,

QUÆSTIO IV.

An lex humana obliget cum periculo vitæ.

CErtum est, quòd bona corporis, & à fortiori bona fortunæ sunt diligenda in ordine ad bonum animæ, & istud in ordine ad Deum, & ideo debemus exponere vitam corporalem, & omnia alia bna externa potius, quàm admittere peccatum ullum per transgressionem legis divinæ, vel alterius obligantis in conscientia, stante tali obligatione: sed dubium est, an leges humanę tam Ecclesiasticæ, quàm civiles obligent ad sui observantiam cum tanto rigore, ut nullum incommodum, nequidem vitæ periculum, excuset ab earum observantia, vel obligatione.

Porrò lex humana 1. quædam præcipere potest adeò necessaria bono publico, ut nisi ea fiant, respublica gravissimum damnum passura sit, ut tempore belli, aut pestis; nam tempore belli, maximè defensivi, facilè patietur ruinam respubl. nisi milites exponant se alicui periculo, ut repellant injustos aggressores, & tempore pestis plurimi morientur sine sacramentis, & incurrent damnationem æternam, si sacerdotes omnes, & parochi fugiant. Idem est, si ageretur de tuenda fide, & religione.

2. Quædam verò alia posset præcipere, quæ non essent multùm necessaria bono communi, sed potiùs spectarent ad bonum particulare, ut jejunium, auditio missæ, & similia, quæ quidem præcipiuntur graviter, & sub mortali, sed illa respiciunt bonum animæ particulare. Idem est, si agatur de salvanda vita unius, aut alterius hominis, aut domum conflagrantem; & juxta hanc diversitatem casuum diversa debet esse resolutio.

CONCLUSIO I.

ORdinariè loquendo leges humanæ non obligant cum graviori incommodo, vel dispendio vitæ, aut famæ ad sui observantiam, benè verò aliquando, scilicet in casibus extraordinariis. Est communis.

Prob.

Prob. 1. ex Scoto, [1] *Expedit*, inquit, *quòd aliquis exponat vitam suam in causa justa, utpote contra inimicos Ecclesiæ*: & approbat illud dictum Philosophi 9. Ethic. quòd scilicet *propter bonum virtutis debet se virtuosus exponere morti*, &c. Et licèt hoc dicat in occasione vitandi peccatum, ac offensam contra legem Dei, tamen id etiam non negaret in casibus, de quibus loquimur; ergo ex Scoto, leges humanæ non obligant cum dispendio vitæ, nisi in quibusdam casibus extraordinariis.

Prob. 2. quoad 1. p. ex praxi. Nam leges ipsæ divinæ nequidem obligant cum gravioribus incommodis, aut damnis, maximè communibus: unde solet dispensari in feriatione à laboribus servilibus in diebus dominicis, urgente necessitate vindemiarum, quod non faceret Ecclesia, nisi judicaret in his casibus legem divinam de sabbato custodiendo non obligare. Sic legimus de David, [2] qui urgente necessitate comedit panes propositionis, quos lex divina prohibebat laicis. Et Christus [3] id non improbat, nec violationem sabbati à sacerdotibus in templo; ergo id à fortiori dicendum est de legibus humanis tam Ecclesiasticis, quàm civilibus. Unde in casu infirmitatis non obligant ad jejunia, nec ad auditionem missæ, quamvis alioqui leges illæ obligent in conscientia, & sub mortali.

Confir. Nam nullus est legislator, qui velit sic obligare subditos in casibus ordinariis cum graviori dispendio vitæ, sanitatis, aut famæ, aut aliorum bonorum: non quidem Ecclesia, quę est pia mater; nec etiam à fortiori legislator politicus, qui forte non habet eam potestatem; quia potestas regitiva non collata est illi ad gravandos sine ratione urgenti subditos, sed potius ad eos levandos; ergo, ex humana positiva regulariter non obligat cum dispendio vitę, neque famę, aut cum graviori aliquo incommodo.

Prob. 2. p. Nam quilibet homo secundum bona vitę, aut famę temporalis est membrum communitatis, seu corporis politici; sed in quolibet toto pars aliqua exponitur pro conservatione illius; ergo in toto corpore politico quilibet particularis potest obligari ad

[1] 4.d.15.q.4.F.n.6. & d.50.q.2.F.n.11.
[2] 1.Reg.21. [3] Matth.12.

ad exponendum se pro conservatione communitatis, & notabilissimo ejus bono, quod longè bono aliquo privatorum præponderaret. Sic de facto quilibet civis in particulari tenetur ad arma, & bellum currere pro defensione civitatis injustè aggressæ. Sic Judith laudatur, quòd se exposuit tantis vitæ, & honoris periculis pro defensione populi sui; ita & Esther apud Assuerum ingrediendo non vocata.

Prob. 2. Communitas, aut princeps summus habet sufficientem potestatem, etiam ex subditorum consensu, ad conservandum bonum commune quibuscumque mediis congruis; sed bonum commune sæpe exigit ad sui conservationem, ut privati exponant se periculis vitæ, aut famæ, aut aliorum bonorum suorum temporalium; ergo, &c. Prob. maj. Nam de facto non arguuntur injustitiæ duces, & principes, qui exponunt milites suos armis hostium in bello juste defensivo; & quòd sub pœnam mortis inhibeant, ne stationes suas deserant, licèt immineat illis periculum valde probabile mortis; quod continua docet experientia.

Confir. quia non minùs potest exponere cives periculo mortis in gravi necessitate boni publici, quàm infligere, & inferre de facto mortem eisdem pro criminibus valde perniciosis bono eidem publico, v. g. seditiosis grassatoribus viarum, &c. sed istud justè statuunt leges civiles; ergo & illud possunt statuere.

Objic. contra 1. p. Omnis homo debet potiùs velle mori, quàm peccare; sed non potest velle transgredi legem humanam sine peccato; ergo debet potiùs velle mori, seu exponere vitam, quàm transgredi legem humanam; ergo regulariter leges humanæ obligant ad sui observantiam cum periculo vitæ, si adsit.

Resp. neg. min. Nam instante graviori dispendio, & periculo vitæ, famæ, aut bonorum, lex ista non obligat, & sic non faciendo, quod jubebat, vel faciendo, quod vetabat, non peccatur, nec violatur lex.

Objic. 2. Omnis lex respicit bonum commune; sed propter bonum commune debet quilibet privatus exponere non solùm bona sua particularia, sed & vitam, & omnia præter animam; ergo lex quælibet humana obligat cum periculo vitæ. Maj. patet ex con-

conditionibus legis. Min. admittitur ab omnibus; nam bonum quodlibet privatum cedit bono communi.

Resp. dist. min. quando conservatio boni, aut vitatio mali communis est maximi momenti, & prævalet bono conservationis vitæ privatorum, & malo mortis eorum, vel detrimenti famæ, conc. min. quando bonum, aut malum commune non est majoris momenti, & quidem notabiliter, neg. min. nam jus, quod quisque habet ad tuendam propriam vitam est naturale, & viget quandiù fortius, & urgentius naturale non viget: & de facto nullum fortius viget in casu responsionis.

Inst. Quilibet civis est pars civitatis; ergo quoties instat bonum totius civitatis, debet quilibet civis exponere vitam, nos ipsi fatemur.

Resp. eodem modo dist. conf. quando agitur de gravissimo, & quasi summo bono, vel malo totius corporis politiæ, v.g. civitatis, conc. sin minus, neg. conf. ob rationem datam: nam lex humana, aut legislator non obligat cives cum tanto dispendio, nisi in casibus urgentissimis, & extremis.

Inst. 2. Experientia quotidiana docet, cogi milites in bello ad custodiendam stationem, & pugnam habendam cum tali periculo, licèt non appareat tanta necessitas; ergo nulla solutio.

Resp. neg. ant. quoad 2. p. nec enim dubitandum, quin urgeat necessitas pro conservatione status, quando id præcipiunt optimi principes.

Objic. 3. De facto leges Cartusienses dicuntur obligare ad carnium abstinentiam cum dispendio vitæ; sed in hoc non gravis intervenit necessitas boni communis; ergo etiam regulariter potest lex humana obligare cum dispendio vitæ. Major supponitur ut constans. Min. prob. nam quod grave damnum immineret regno, vel Ecclesiæ, vel toti illi religioni, si unus monachus aliquando frangeret abstinentiam ad tuendam vitam? Aut quod grave bonum eisdem, si moriatur monachus ille ad observandum illud unum regulæ præceptum? ergo ad obligationem cum dispendio vitę non attenditur gravitas damni communis, aut boni.

Resp. neg. absolutè maj. id quidem illis in more po

ctum est, ut numquam violent illam abstinentiam; sed non puto, quin possent uti carnibus, si certò constaret, saltem moraliter, illam escam esse unicum remedium ad salutem à morte; quia verò casus ille non censetur unquam accidere, ita nec fractio illius capitis regulæ. Quis enim medicus sciret certò, quòd usus carnis salvaret à morte, & quòd nullum est aliud in natura, vel arte remedium?

Objic. 1. contra 2. p. Obligatio, & jus singulorum ad vitam propriam tuendam est naturale; ergo nulla lex positiva potest contra illud jus obligare ad exponendam propriam vitam. Prob. cons. quia jus naturale est superius ad omne jus positivum.

Resp. ut priùs dist. cons. nisi urgeat summum periculum salutis communitatis, conc. cons. si urgeat, neg. cons. tunc enim primarium jus naturale dictat salutem totius præferendam saluti partium, quæ etiam cum salute publica periclitatur.

Inst. Lex humana non debet præcipere, nisi quæ sunt moraliter, & facilè factibilia, & quæ communem usum non excedant; sed exponere se periculo vitæ non est sic factibile, nec de communi usu; ergo nihil debet prçcipere faciendum cum periculo vitę.

Resp. dist. maj. ordinariè, & regulariter, conc. maj. & neg. min. in casibus extraordinariis, ut sunt gravissima pericula publicæ salutis, neg. maj. & cons. Hæc ratio facit pro prima parte conclusionis, non pro 2.

Colliges igitur 1. quòd raro præcipiunt homines prudentes subditis cum intentione obligandi subditos ad obediendum cum periculo vitæ, aut famæ, aut etiam alterius gravioris incommodi, ut patet in præceptis Ecclesiasticis jejunii, & missæ, & celebrationis festorum, &c. id non faciunt nisi in casibus extraordinariis, & gravioris necessitatis, in quibus imminent notabilissima damna corpori politico ex eorum præceptorum transgressione; aut contemptus, & injuria Dei, ac religionis: raro igitur accidit, ut observatio legis plus prosit communi bono, quàm conservatio vitæ, aut famæ privatorum.

2. Posse obligari Parochum, aut sacerdotem, ut maneat in parochia grassante peste; quia salus spiritualis animarum, quæ periclitatur, nisi adsit sacerdos, est majoris momenti, quàm vita temporalis sacer-

cer-

cerdotis. *Bonus* quippe *pastor animam suam ponit pro ovibus suis*.

3. Aliquas esse leges positivas humanas, à quibus actus habent totam suam bonitatem, & malitiam; quando scilicet de se sunt indifferentes, aut saltem eo tempore non præcipiuntur, aut prohibentur alia ulla lege naturali, aut divina; & tales non solent obligare cum graviori incommodo; quia superiores non prætendunt sic gravare subditos; imò nec debent, nisi in casibus urgentissimis, & qui rarissimè contingunt: quædam verò res præcipiunt vel ex se præceptas, aut prohibitas jure naturali, aut divino, ut illæ, quæ prohibent blasphemias in Deum: & istæ obligant cum periculo vitæ; quia non possunt violari sine peccato, quod sine comparatione majus est malum, quàm mille mortes temporales.

QUÆSTIO V.

Quosnam obliget lex humana.

SUppono 1. ex dictis, aliquas leges humanas præcipere res jam ex lege superiori, scilicet naturæ, vel divina præceptas, aut prohibitas, ut mendacium, perjurium, falsum testimonium, & similia, quæ jam ex se sunt mala, vel celebrationem sabbati, cultum Dei, & similia, quæ à Deo sunt præcepta; aliæ verò sunt leges, quæ omninò pendent à præcepto, vel prohibitione humana, ut nec aliunde habeant bonitatem, aut malitiam moralem, quàm ex voluntate legislatoris, non autem ab ulla alia lege superiori, ut solutio vectigalium, taxatio mercium, &c.

2. Duplex solet distingui in superioribus potentia. 1. *absoluta*, quæ dicitur etiam *potentia facti*, quæ est à legibus libera, & secundum quam princeps agit supra, aute præter, aut contra leges honestè etiam, & rectè, ut Deus quando leges, quas naturæ imposuit, prætergreditur faciens miracula. 2. potentia *ordinata*, seu *juris*, qua ipse princeps, ac legislator agit rectè, & ordinatè secundùm leges. Quæritur, an in quolibet legislatore sit utraque illa potestas, ita ut rectè, & honestè possit agere supra, vel contra leges à se positas. Dico *rectè*: nam tyranni sunt, qui absque ra-

ctione agunt contra leges; quippe ex Aristotele *tyrannus proprium quærit commodum*; *Rex verò eorum, qui ab ipso reguntur*, inquit August.

3. Duplex est vis obligativa in legibus, una *directiva*, quæ consistit in hoc, quod dictet, quid faciendum, aut vitandum, prohibendo, vel præcipiendo cum obligatione sub peccato, seu in conscientia: altera *coactiva*, qua sub aliqua pœna coguntur subditi obedire; & hæc obligatio dicitur *pœnalis* propter pœnam, quæ sequitur transgressionem, & quæritur, quinam teneantur ad obediendum legibus humanis quoad utramque illam vim?

4. Quædam leges sunt *præceptivæ*, aut *prohibitivæ* aliquorum actuum humanorum; quædam purè *constitutivæ*, quæ non præcipiunt, nec prohibent aliquas actiones humanas, sed purè ut aliquid fit, aut non fit; v. g. ut qui admittitur ad ordines, & alia sacramenta sit baptizatus: primæ non possunt esse nisi pro habentibus usum rationis, qui agnoscant, quod præcipitur, aut prohibetur, non autem pro pueris, vel amentibus. Posteriores verò possunt cadere in omnes; quia omnes subsunt illis conditionibus, quæ statuuntur necessariæ ad aliquid.

Quæritur ergo hic 1. an Christiani, & justi teneantur obedire legibus humanis. 2. An Ecclesiastici teneantur legibus politicis, & civilibus. Et hæc duo capita jam patent ex dictis de potestate legislativa contra Lutheranos, Calvinistas, & alios Hæreticos. 3. an ipsi reges, & principes legislatores subjiciantur suis legibus. Denique an peregrini teneantur legibus locorum, per quæ transeunt.

CONCLUSIO I.

L*Egislatores non subduntur suis legibus quoad vim pœnalem, seu coactivam: imò neque quoad directivam in his, quæ statum suum non concernunt, benè verò in aliis*. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto docente, [1] quòd *quando in potestate agentis est lex, & rectitudo ejus, ita quod non est recta, nisi quia est ab illo statuta, tunc rectè potest agere agendo aliter, quàm lex illa dictat ... Ista possent* ex-

[1] 1. d. 44. B. n. 3.

explicari de principe, & subditis, & lege positiva posita ab ipso. Igitur quando actus per legem positivam præceptus, aut prohibitus non habet bonitatem, aut malitiam aliunde, quàm à voluntate legislatoris, hic non ligatur suis legibus; si verò aliunde habeant bonitatem, aut malitiam, v. g. à Deo, vel à natura, tunc illis tenetur, quatenus à lege superiori statuuntur, nisi forte seipsum volens subjecisset; & hæc obligatio veniret quasi ex pacto.

Prob. 2. quia obligatio legis, & maximè quoad vim coactivam venit à legitima superioritate, & jurisdictione legislatoris imperantis; sed legislator superioritatem non habet veram in seipsum, nec in parem suum, juxta illud, *Par in parem non habet imperium*; & legislator non est sibi superior, nec subditus; ergo non tenetur suis legibus in his, quæ ab ejus voluntate, & imperio dependent.

Confir. & maximè quoad vim coactivam; quia vis illa non est necessaria in superiore, qui jurisdictionem habet ad infligendas pœnas legibus taxatas pro transgressoribus; sed legislator in regno non habet superiorem; est enim supremus, ut patet ex dictis; ergo non subjacet suis legibus quoad vim coactivam.

Confir. 2. ex ipsis legibus civilibus, quibus declaratur, quòd *Princeps legibus solutus est*; sine dubio intelligitur hoc de vi coactiva, & de illis, quæ non decent principatum.

Prob. 2. p. Nam multæ sunt leges, quæ non concernunt, sed potiùs dedecent statum ejus, ut solutio tributorum, depositio armorum in palatio, &c. hæ, inquam, & similes dedecent potiùs statum principis; ergo non eum ligant nequidem quoad vim directivam.

Prob. 3. p. 2. ex Script. Nam Christus reprobat eos, qui dicunt, & non faciunt, & imponunt aliis [1] *onera gravia; ipsi autem nec digito volunt ea movere*; ergo ex Dei lege superiores, & principes debent facere, quæ aliis præcipiunt, quantum eorum statui, & conditioni congruit.

Prob. 2. ex ipsis legibus canonicis, & civilibus. Nam ex Innocentio III. [2] *Quod quisque juris statuit in alterum, ipse eodem uti debet*: & ex Theodosio, & Va-lent.

[1] *Matth.* 3. [2] *c. cum omnes de constit.*

lent. [1] *Digna vox majestate regnantis est se alligatum profiteri*. Et alibi dicitur: [2] *Pareto legi quisque legem sanxerit*, quod sine dubio verum est de illis, quæ concernunt bonum publicum, & maximè quæ aliunde jam præcipiuntur à Deo, vel à natura: hæ enim tam ligant principes, quàm subditos, nec purè dependent ab eis.

Confir. ex SS. Patribus. *Justum est*, inquit S. Isid. relatus in decretis, *principem obtemperare legibus suis: tunc enim jura sua ab omnibus custodienda existimat, quando & ipse illis exhibet reverentiam*, &c. ideò S. Ambr. scribebat ad Valent. *Semper quod præscripsisti aliis, præscripsisti tibi; leges enim Imperator fert, quas ipse primus constituit*.

Prob. 3. quia leges feruntur in bonum commune; sed non minùs legislator tenetur cooperari bono communi, & ad ea servanda, quæ bonum illud concernunt, quàm ipsi populi; ergo non minùs tenentur principes vivere secundum leges. Min. prob. 1. quia sunt capita communitatis; ergo non minùs debent cooperari bono communi. 2. quia id jubet lex naturæ: nam hæ tres propositiones sunt de lege naturæ: *Quod oneris tibi non vis imponi, aliis, qui sunt ejusdem conditionis, quoad hoc non debes imponere:* & vicissim, *Quod aliis imponis, debes & tibi imponere, cæteris paribus*. 2. *Turpis est pars, maximè caput, si non congruat aliis partibus ejusdem corporis, & cum toto*. 3. *Qui aliquid subditis præcipit seriò, debet facere quidquid oportet, ut ad obediendum ipsi moveantur*. Ex his enim principiis naturali ratione dictatis sequitur, superiorem quemcumque debere vivere secundum leges à se latas.

Dixi, *neque quoad vim directivam in his, quæ statum ejus dedecent*; nam in aliis tenetur sine dubio, & in conscientia non quidem ex motivo obedientiæ, quia non habet superiorem, cui subjiciatur, & obediat, sed 1. ex motivo virtutis, in cujus materia versantur leges; nam, ut diximus, materia regularis legum est maximè bonum honestum, quod est objectum virtutis alicujus. 2. ex motivo justitiæ, & pietatis, nam sic agens dat exemplum subditis, ut exactio-

[1] *c. de Leg. L. princeps ff. de leg.*
[2] *dist. 9. c. justum.*

ctiores reddat eos ad obediendum. 3. ut vitet scandalum; nam cum principes ostendunt contemptum legum suarum, reddunt eas etiam contemptibiles suis subditis. 4. ut conformentur aliis membris sui status, in quantum decet eorum munus, & dignitatem. 5. etiam ex pacto; nam in aliquibus regnis, & communitatibus potest esse cōventio ab initio fundatæ Monarchiæ, vel Principatus, aut Communitatis, ut Princeps ab eis delectus teneatur iisdem legibus cum proportione, & respective. 6. ex juramento ab eis præstari solito de recte, & sancte administranda Republ. nam leges omnes ordinantur ad bonum publicum; ergo rectum, & sanctum regimen exigit in rege, ut leges ipsemet servet.

Objic. 1. cont. 1. p. Princeps tenetur in conscientia servare leges; ergo & quoad vim coactivam, saltem indirecte. Ant. patet ex dictis. Prob. cons. Si quid eximeret principē a vi coactiva, esset defectus superioris ad infligendam pœnam; sed hic defectus non reperitur saltem in politia temporali; ergo saltem in ea possunt cogi principes ad servandas leges. Prob. min. In politia temporali tota communitas est superior; quia princeps ab ea potestatem legitimam, ut diximus, habet; ergo est illi quoad hoc inferior.

Resp. dist. ant. tenetur in conscientia ex motivo virtutis, & congruitatis, aut juramenti, aut pacti, aut conformitatis in capite cum suis membris, conc. ant. ex motivo obedientiæ, & subjectionis, neg. ant. & cons. 1. argumenti, min. 2. & ant. 3. & cons. prob. ejus Nam licèt rex habeat potestatem immediatè à communitate per electionem, tamen hoc ipso quod semel est supremus, ampliùs non subjacet; & si aliter statutum esset, tunc ex ratione illa particulari, & in illo regno id verum esset, sed non in aliis regulariter, & maximè in statibus monarchicis, & successivis. Hæc objectio multò minus locum habet in Ecclesiasticis superioribus, ut Papa, qui potestatem immediatè habet à Deo, non à subditis. Igitur tam reges, quàm Pontifices non possunt subire pœnas transgressionum, nisi à Deo.

Objic. 2. Aliquæ pœnæ incurruntur ipso facto à transgressoribus legis; sed tunc non requiritur superior, qui eas infligat; ergo saltem ad illas tenetur

princeps, seu legislator quoad vim coactivam; quia cessat ratio nostra.

Resp. neg.maj.de lege quoad pœnam tempora lem: nam in pœna temporali semper requiritur, quòd infligens à reo, seu patiente distinguatur: sed de hoc suo loco.

Objic. contra 2.p. Nemo ligari potest lege, nisi quatenùs habet superiorem, cui debetur obedientia; ergo nemo ligari potest propria lege, etiam quoad vim directivam. Prob. cons. quia nemo est sibi superior; ergo si *par non habet imperium in parem*, multò minùs in seipsum.

Resp. neg. cons. & dist. prob. nemo est sibi superior sub eodem respectu, conc. sub diverso respectu, neg. ant. princeps ut legislator, & caput communitatis est superior communitatis; sed ut membrum ejusdem communitatis, cui toti imperat, est sibi inferior, & tenetur legibus communitatis. Præterea diximus, eum teneri *quoad vim directivam* suis legibus, non ex obedientia, sed legi divinæ, aut dictamini rectæ rationis aut ratione juramenti, aut pacti, aut ex motivo virtutis.

Inst. Ex ipso jure civili à nobis citato, *Rex est solutus legibus suis*; ergo nulla obligatione tenetur ad eas servandas.

Resp. dist. ant. solutus quoad vim coercitivam, & ex motivo obedientiæ, conc. ant. quoad vim directivam, & ex aliis motivis allatis, neg. ant. nec id volunt jura ulla, saltem in his, quæ non dedecent statum, & dignitatem suam, ut diximus.

CONCLUSIO III.

L*Ex non obligat cives extra territorium legislatoris existentes, bene vero advenas, & peregrinantes, quandiu degunt in eo; imo & vagos, qui nullibi domicilium habent.* Est communior.

Prob. 1. ex communi axiomate; *Extra territorium jus dicenti non paretur impune.* Unde Bonifacius VIII. definit, [1] quòd *statuto Episcopi, quo in omnes, qui furtum commiserint, sententia excommunicationis promulgatur, subditi ejus extra diœcesim furtum commit-*

ten-

(1) *ut animarum, de constit. in 6.*

tentes minimè ligari noscuntur, cum extra territorium, &c.

Prob.2. quia jurisdictio, seu potestas legislativa non extenditur extra locum, cui præest legislator; & leges locales respiciunt per se territorium ejus; ergo non obligant existentes extra illud, quia tunc non sunt subditi ejus actuales. 3. id patet etiam ex 2. parte; quia si advenæ subduntur legibus loci, in quo peregrinantur, & fiunt subditi loci illius, non possunt teneri patriis legibus, nec sunt actu, & pro tunc subditi principis naturalis.

Prob.2. p. 1. ex August.[1] qui consulens S. Ambrosium pro sua matre S. Monica, quæ videns, quòd Mediolani non jejunabatur diebus sabbati, turbabatur, dicit, quòd Ambros. respondit, *Cum Romam venio, jejuno sabbato, & cùm hic sum, non jejuno; sic etiam & tu, ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.* Et hanc regulam tradit; *Nec ulla disciplina in his est melior gravi, prudentique Christiano, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcumque forte devenerit.* Unde Glossa [2] recitat duos vulgares versus, *Cum fueris Romæ, Romano vivito more: Cum fueris alibi, vivito sicut ibi*; ergo sentiunt illi SS. Doctores, & Patres, quòd quisque debet se conformare legibus loci, in quo existit.

Prob.2. Nam bonum pacis publicæ, imò & ipsum jus gentium, & ratio naturalis postulant, ut omnes residentes in eadem civitate, & regno conformentur iisdem legibus, scilicet ad vitanda jurgia, scandala, & contemptus legum; & quilibet superior, & princeps jus habet curandi, ut omnes, qui in suo territorio degunt, suis obediant statutis, sive sint originarii, & naturales, sive advenæ, sive manentes, & domiciliati, sive transeuntes.

Prob.3. ex præcedenti; quia peregrini extra patriam sunt exempti à patriis legibus; ergo debent subjici legibus loci, in quo existunt; alioqui essent exleges.

Confir. Nam peregrini sentiunt commoda loci; ergo debent sentire & onera.

Prob.3.p.de vagis, & quidem à fortiori, qui cùm nul-

[1] *Ep.118.c.1.* [2] *dist.12.c. illi.*

nullibi habeant domicilium fixum, & permanens, debent saltem vivere, & regi secundum leges loci, in quo actualiter reperiuntur; alioqui ex vagatione commodum libertatis haberent.

Confir. Nam peregrini, qui habent patrias leges, tenentur localibus se conformare; ergo & à fortiori vagi, qui leges patrias non habent, tenentur legibus locorum.

Objic. contra 1.p. Lex obligat omnes subditos; sed absentes, & peregrinantes in alieno territorio non cessant esse subditi principis naturalis; ergo tenentur ejus legibus.

Resp. dist.maj. lex obligat actualiter subditos actuales, & habitualiter habituales, conc. maj. obligat actualiter subditos habituales, neg. maj. & similiter dist.min.peregrinantes sunt subditi principis naturalis habitualiter, conc. min. actualiter, neg.min.& conseq. Quandiù ergo sunt extra territorium patrium, seu originis, non sunt actualiter subditi, sed ad summum habitualiter.

Inst. Sequeretur eum, qui de proprio territorio exiret animo vitandi præceptum, non obligari, nec peccare; sed conf. est falsum, & absurdum; id enim fieret ex dolo, & in injuriam præcepti proprii principis: ergo saltem in his casibus debet quis teneri legibus proprii principis, aut superioris, etiam extra territorium ejus.

Resp. cum aliquibus apud Mastrium [1] neg. min. & rationem ejus; nam fugere, seu evitare obligationem præcepti non est contra præceptum, nec injuriosum principi, qui non præcipit, nisi pro existentibus in territorio; & non contemnitur præceptum, sed vitatur, quod probabile putat Mastrius.

Inst. 2. Si Episcopus excommunicet non residentes in beneficio existente intra diœcesim, Clericus non obediens incurret, nisi resideat, excommunicationem, quamvis existens extra diœcesim; ergo lex obligat etiam absentem à territorio.

Resp. neg. conf. in sensu conclusionis: nam licet corpore absens, tamen delinquit in diœcesi defectu residentiæ in beneficio subdito, & existēte in territorio.

Objic. contra 2.p. Lex non obligat nisi subditos, & mem-

[1] *Disp. 11.n.116.*

membra communitatis: sed peregrinantes in loco sine animo ibi constituendi domicilium, aut quasi domicilium, nec sunt subditi legislatoris, nec membra communitatis; ergo non tenentur legibus illius loci. Prob. min. quia homo non fit subditus principi, nec membrum communitatis, nisi per domicilium, aut quasi domicilium; (per *domicilium* intelligo locum, in quo quis eligit perpetuò, vel saltem longissimo tempore commorari, & per *quasi domicilium* locum, in quo eligit commorari assiduè, & diù, saltem per majorem anni partem, ut scholares, & procuratores in urbibus, ubi assidue, & diu commorantur studiorum causa, aut sollicitandi lites in curiis.) Hoc supposito

Resp. neg. min. & ant. prob. Nam ut homo fiat subditus principi, & subdatur ejus jurisdictioni, ac fiat quasi membrum communitatis quantum ad obligationem conformandi se legibus loci, sufficit, ut habitet in ejus territorio, & quamdiu ibi est, subjaceat jurisdictioni ejus: leges enim communiter feruntur pro omnibus existentibus in civitate, nisi aliter se explicet princeps excipiendo forenses.

Inst. 3. Infideles, & Judæi non ligantur legibus Christianis, licet existentes inter Christianos; ergo nec forenses, & peregrini legibus localibus. ant. patet experientia.

Resp. neg. cons. aliud est enim de legibus religionis, quæ non feruntur, nisi pro baptizatis, & subditis Ecclesiæ, & aliud de politicis, quæ feruntur pro omnibus habitantibus quomodocumque in regno principis.

Objic. 2. ex SS. Canonibus. (1) Sententia excommunicationis ab Episcopo lata non ligat forenses, sed tantum subditos excommunicationi; ergo peregrini non tenentur legibus diœcesanis alienis. Agitur enim de committentibus furtum, quod poterat committi etiam a peregrinis.

Resp. neg. ant. Non enim ibi fit mentio de forensibus, & peregrinis, sed tantum de non subditis, quales sunt exempti a jurisdictione Episcopali, licèt maneant intra diœcesim; & de his dicit Pontifex, quod non ligantur illis sententiis; quoad forenses vero certum

(1) *c. a nobis de sent. excom.*

tum est, quod ligarentur excommunicatione, nisi excusaret ignorantia.

Occasione hujus quæstionis, & materiæ quæri posset hic, an leges synodales, & statuta Episcoporum ligent monachos, & regulares exemptos. Sed de hoc alibi.

QUÆSTIO VI.

De lege humana pœnali, quomodo obliget.

JAm diximus, leges *pœnales* illas esse, quæ transgressoribus imponunt pœnas aliquas aut spirituales, v. gr. excommunicationem, suspensionem, privationem, aut inhabilitatem, ut in legibus Ecclesiasticis; vel temporales, ut mortem, exilium, carcerem, virgas, confiscationem bonorum, triremes, &c. & in hoc distinguuntur a pure præceptivis, quæ nullas tales pœnas imponunt. Dixi etiam, alias dici *pure pœnales*, quæ non ligant ad pęnas aliquas, saltem directe; alias *mixtas*, quæ obligant simul ad culpam, & pęnam; & conclusimus, nullam dari pure pœnalem, sed omnes obligare etiam in conscientia, & ad culpam, saltem indirecte.

Rursus quædam leges imponunt pœnas *ipso facto*, seu *ipso jure* incurrendas, seu *latæ sententiæ*, quæ scilicet incurruntur posita transgressione absq; alia sententia judicis; quædam ad pœnas *ferendas*; & hæ non ligant ante sententiam judicis, per quam inferuntur.

3. Inter pœnas quædam sunt pure *privativæ*, ut privatio officii, vocis activæ, aut passivæ, &c. quædam *positivæ*, quæ per aliquam actionem positivam exercentur, ut flagellatio, mulcta, & solutio pecuniæ, &c. *Privativæ* autem privant vel bonis fortunæ, & pure temporalibus, ut pecuniis, fructibus, cibis, vel bonis naturæ, & aliquid habent actionis, & passionis, ut exilia, flagellationes, carceres, quæ privant libertate, membris, vita, &c. vel bonis pure spiritualibus, ut excommunicationes, quæ privant suffragiis, & communicatione bonorum spiritualium Ecclesiæ; & istæ sunt pure *privativæ*, quia non requirunt actionem ullam, ut infligantur, sicut pręcedentes, & aliquo modo primæ; & quærimus, an

an omnes istę pœnæ possint per quaslibet leges sic imponi, ut ipso facto incurrantur, & infligi possint, aut debeant non expectata ullius judicis sententia, per quam infligantur. De facto videmus multas leges, quæ transgressoribus imponunt pœnas *ipso facto*, vel *ipso jure*, vel *ex tunc*, &c. imò & absque ulla declaratione, vel sententia.

CONCLUSIO I.

Lex humana potest imponere non solum pœnas leves, & aliquas pure privativas spirituales, sed etiam aliquas temporales, saltem leves ipso facto incurrendas, patiendas, imo & aliquas positivas.

Prob.1.p.ex praxi Ecclesiæ,quæ per suos canones, & constitutiones solet multa præcipere, aut prohibere sub pœna excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, aut privationis officiorum ipso facto incurrenda; & id patet etiam ex Concilio Tridentino, ubi aliquot peccatis, v. gr. adulterio, uxoricidio imponuntur inhabilitates, & impedimenta tam impedientia, quàm dirimentia matrimonium; & idem faciunt leges civiles. Nam propter certas causas impediunt validitatem contractuum, translationem dominii, &c.

Prob.2. ratione. Nam recta ratio, & bonum publicum exigit, ut per omnem viam honestam, & pœnas rationabiles coerceantur delicta; ergo expedit, ut ea, quæ per sententiam judicum, & solemnitates juris non possunt commodè puniri, & coerceri, puniantur per ipsasmet leges, & reos cogente conscientia; sed plura sunt hujusmodi peccata, ut patet ex ipsis legibus sic statuentibus: nam licèt consistant in actibus externis; tamen judex Ecclesiasticus, vel civilis non potest facile attendere, aut probare, & formalitates nimium tempus consumerent, ergo meritò leges plurimæ imponere possunt, & de facto imponunt pœnas *ipso facto* incurrendas à transgressoribus.

Prob.2.p. Nam in Concil. Lateranensi [1] sub Leone X. Clericus beneficiatus omittens horas canonicas privatur ipso facto fructibus beneficii pro rata omissionis, & temporis, & eos restituere obligatur, tanquam

[1] *Sess. 24. can. 3. & 4.*

quam injustè perceptos; in fabricas hujusmodi beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare tenetur. Ubi nota, hanc pœnam non esse adeò, & purè privativam, quin exigat etiam aliqualem actionem, nempè restitutionem, & applicationem partis restitutæ; & talis est praxis Ecclesiæ.

Prob. 2. Nam lex, quæ moderatam aliquam pœnam sive pecuniariam solvendam, sive corporalem ab ipso sibi infligendam, v. g. jejunium aliquod, disciplinam, & flagellationem, aut aliam mortificationem privatam imponeret, obligaret sine dubio transgressorem in conscientia; & peccaret ille contra obedientiam, qui non impleret tale præceptum; & tales multæ sunt apud regulares; ergo lex humana potest aliquas pœnas imponere ipso facto incurrendas, & ante omnem sententiam judicis exequendam.

Dixi autem *leves aliquas*, non verò omnes: nam certum est, quod cùm leges humanæ tam Ecclesiasticæ, quàm civiles debeant esse suaves, & non nimis rigidæ, & onerosæ, non debent, nec possunt obligare homines ad graviores pœnas sive privativas, v. gr. durissima jejunia, aut privationem omnium bonorum, sive positivas, ut mutilationes, carceres, exilia, & mortes sibi infligendas: nec Deus hanc Ecclesiæ contulit potestatem; quippe *jugum ejus suave est, & onus leve*; nec etiam principibus laicis; nec in eam consenserunt populi. Igitur certum est, quòd non possunt Prælati obligare subditos in conscientia ad infligendas sibi publicas flagellationes v.g. vel alias penas infamantes ob eandem rationem, sed in his, & similibus expectatur judicis sententia, saltem declarativa criminum, quibus imponuntur pœnæ illæ graviores, imò & plures privativæ, v. g. privationes vocis activæ, & passivæ, vel officiorum, &c. Unde cum limitatione debet intelligi præsens conclusio.

Obiic. contra hanc limitationem. Leges possunt obligare ad omnem actum honestum, & congruentem bono communi; sed acceptatio, & obligatio ipso facto pœnarum etiam positivarum, & gravium est actus honestus, & congruens bono communi; ergo leges possunt obligare ad illas pœnas ipso facto. Prob. min. Nam sic meliùs coerceetur licentia peccandi, & nullum peccatum carebit sua pœna; ergo id magis est

ho-

honestum, & congruens bono communi. Prob. ant. *Oderunt enim peccare mali formidine pœnæ.*

Resp.neg.min. & ant. prob. Nam non congruit reos sibi infligere graviores pœnas, quæ certis delictis per leges imponuntur, v. gr. mutilationes, & mortes. Inde enim orirentur graviores transgressiones, & majora inconvenientia; præterquam quod paucissimi obedirent; nemo enim satis æquus est sui judex.

Objic. contra concl. Lex non debet esse nimis rigida, nec onerosa; sed si obligaret in conscientia, & ipso facto ad pœnas aliquas, esset nimis rigida, & onerosa, & difficilis; ergo non debet obligare ad ullas pœnas subeundas ipso facto, & ante sententiam judicis.

Resp. neg. min. quæ enim tam gravis reperitur difficultas in levi, & privata flagellatione, aut jejunio, vel alia parva mortificatione privatim, & secretò subeunda, & sibi infligenda, vel restitutione facienda pro peccato, & transgressione legis? Certè leviores, & faciliores sunt illæ pœnæ, quàm judicum citationes, & correctiones, & quæcumque publicæ.

Objic.3. Leges canonicæ statuunt pro hæreticis pœnam spoliationis omnium bonorum ipso facto incurrendam, imò & civiles, quæ & idem statuunt pro criminibus læsæ majestatis; ergo tam graves, quàm leves pœnæ incurruntur ipso facto. Prob. cons. Nam spoliatio bonorum omnium est sine dubio gravissima.

Resp. juxta communiorem Canonistarum sententiam dist. ant. ita ut ex tunc, & ipso facto, & ante judicis sententiam bona omnia hæreticorum, & talium reorum sint addicta fisco, conc. ant. ita ut sint privati ipso facto bonorum omnium possessione, neg. ant. sic enim censent plurimi tam canonistæ, quàm juristæ, scilicet eas leges non sortiri suum effectum ante judicis sententiam, nec tales reos amittere priùs bonorum suorum possessionem, imò nec dominium; nec aliud operari clausulam, *ipso facto*, quàm addictionem bonorum illorum fisco, ita ut ex tunc donationes, venditiones, & similes contractus, quibus disponerent de bonis suis, sint invalidi; imò multi docent, reos nequidem amittere dominium bonorum suorum.

Dices: ergo frustra apponuntur tales clausulæ, quia

nihil plus operantur, quàm aliæ de pœnis inferendis.

Resp. neg. subsumptum. Nam operantur taxationem pœnæ, cui rei addicuntur, ita ut non expectetur alia sententia judicis, quàm declaratoria criminis commissi, cui talis pœna est statuta, sicut requiritur in lege de pœnis inferendis.

CONCLUSIO II.

Lex pœnalis obligat reos justè condemnatos ad subeundas, saltem passivè, pœnas à judice impositas, ita ut non possint sine peccato resistere ministris executoribus eos offendendo.

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente, quòd *magis debet sustinere suspendium, quàm occidere suspendentem, ut evadat; quia dilectio vitæ corporalis injustè custoditæ non est dilectio ordinata, quia non est ad dilectionem animæ, nec Dei*. Et infrà, quòd *ubicumque pro vita reddenda lex statuta est justè, debet homo patienter solvere istam pœnam*, scilicet mortis pro homicidio: quam legem dicit conformem legi divinæ, & naturali: & confirmatur à Christo in lege Euangelica, [2] *Omnis, qui gladio occidit, gladio peribit*, & consequenter ubicumque lex talis de vita pro vita reddenda statuta est justè debet homo patienter solvere istam pœnam; ergo ex Scoto, & ratione debet reus ex justitia subire pœnam mortis, ad quam justè damnatus est, non tamen debet eam sibi inferre; ergo multo minùs debet ministris justitiæ resistere eos offendendo. Ideò miror P. Montepilosum [3] insignem adeo Scotistam, qui sustinet *sine lethali culpa damnatum etiam justè ad mortem posse se defendere, fugamque arripere cum violentia sub moderamine inculpatæ tutelæ: obligatur duntaxat ad illam patienter tolerandam, si non potuerit illam evadere*: imò addit, quod *non videtur satis tutus in conscientia, si potens se defendere, & liberare sine aliqua alterius offensione corporali, id omittat, quia seipsum occideret*.

Prob. 2. quia si justè condemnatus est, ergo ex justitia debet puniri, & pœnam subire. Prob. conf. Nam duo contradictoria non possunt esse simul vera; ergo si ju-

[1] 4. *d*. 15. *q*. 2. *H*. *n*. 9. [2] *Matth*. 26.
[3] *to*. 2. *p*. 3. *disp*. 96. *a*. 4. *n*. 5.

si judex justè punit, reus non potest justè velle non puniri; &, ut docet S. Thomas, bellum non potest esse utrimque justum à parte rei, &, nisi excuset ignorantia, judex potest juste impugnare resistentem; ergo resistentia non est justa.

Confir. ex Apostolo. Nam *qui potestati resistit*, scilicet justè, & justa præcipienti, *Dei ordinationi resistit; & ipse sibi damnationem acquirit*. Potestas autem principum, & ministrorum justitiæ à Deo data est in vindictam criminum, & virtutum præmiationem.

Prob. 3. quia si lex ulla pœnalis obligat ad subeundam pœnam justam, v. g. lex obligans ad restitutionem ablati, ad solutionem mulctæ pecuniariæ, ad flagellationem, &c. eadem est ratio de morte, quando culpa eam demeruit; ergo si ulla pœnalis obligat, ita & ista.

Objic. Nulla lex positiva, maximè humana, potest obligare contra jus naturæ; sed jus naturæ obligat, aut saltem permittit omnibus tueri vitam suam absolutè; ergo lex positiva humana non potest obligare ad subeundam mortem, quantumcumque justam; ergo reus non tenetur subire mortem, ad quam condemnatus est, etiam justè, sed omnibus viis potest se, & eam tueri.

Resp. dist. min. ad tuendam vitam secundum regulas rectæ rationis etiam naturalis, conc. min. contra illas regulas, neg. min. & conf. lex ipsa naturæ, & rectæ rationis dictat nemini faciendam injuriam; & sic non debet fieri injuria ministris justitiæ: dictat etiam vindicanda esse delicta, & per consequens subeundas pœnas delictis proportionatas, hæc enim sunt correlativa, sicut agere, & pati.

Objic. 2. Condemnatus justè ad mortem potest fugere, ut eam vitet; ergo & se defendere ob eundem finem. Ant. patet ex Scriptura: (1) *longè abesto ab homine potestatem habente occidendi, & non vivificandi*. Prob. conf. est enim par ratio fugiendi, & resistendi; imò & jubemur tales liberare, & eruere, qui trahuntur ad mortem; ergo condemnatus potest fugere, & quidem a fortiori.

Resp. neg. conf. utramque; aliud enim est, quod pos-

[1] *Eccl. 9.*

sit fugere, aliud, quod possit resistere ministris juste punientibus. 1. potest; quia, inquit S. Thom. *nihil debet facere, ex quo sibi mortem advocet, vel ex quo sequatur, si potest*; & id faceret, si potens fugere, maneret. Tenetur tamen non resistere agenti, quin patiatur, quod justum est eum pati; loca autem illa Scripturæ non loquuntur de occisoribus justis; alioqui teneremur liberare reos de carceribus, & de patibulis, & ad id tenerentur ipsimet judices.

Dixi autem 1. *reos justè condemnatos*; nam si condemnatio esset injusta, non solùm posset fugere, sed etiam armis se tueri; & ante condemnationem posset etiam resistere lictoribus, ne capiatur, & carceretur, aut è carceribus aufugere.

Dixi 2. *resistere ministris eos offendendo*; quia multi censent eum fugere posse, si liberum id ei sit absque offensione; quia lex non obligat cum tanto rigore ad se offerendum morti, aut ad eam expectandam, cùm possit vitare: sed ut verum fatear, id mihi non videtur adeo certum; nam si lex, secundum quam debet mori, justa est, ipse debet obedire, & si debet obedire, non debet fugere. Viderint Casuistæ doctiores.

QUÆSTIO VII.

De lege humana irritante, quomodo distinguatur à prohibente.

PEr legem *irritantem* intelligo eam, quæ non solùm prohibet aliquem actum, sed etiam decernit illum, si fiat, fore nullum, & invalidum, irritum, nullius momenti, valoris, & efficaciæ, carere robore firmitatis, quasi non fuisset, &c. nam his, & æquivalentibus verbis solent exprimi tales leges, ut actus aliqui, qui alioqui ex natura sua possent valere moraliter, & ligare, nullo modo valeant: sic leges Ecclesiasticæ irritant matrimonia clandestina, quæ sine præsentia Parochi, & testium fiunt; sic civiles invalidant testamenta facta sine certis conditionibus, & formulis. Non disputamus, an tales leges existant, vel obligent; quia his pleni sunt codices tam sacri, quàm politici; sed quæritur, an distinguantur à simpliciter prohibitivis, ita ut actus sint invalidi, & irriti hoc ipso, quod

sunt

sunt prohibiti; an verò irritatio, seu invalidatio addat aliquid supra prohibitionem, & an, quando, & quomodo obligent.

CONCLUSIO I.

L*Ex, & maximè canonica, non irritat hoc ipso, quòd prohibet actus aliquos*: seu *non omnis actus prohibitus à lege est statim nullus*.

Prob. 1. ex Conc. (1) Trid. quod docet matrimonia clandestina *libero contrahentium consensu facta rata, & vera esse matrimonia, quandiu ea irrita non fecit Ecclesia: nihilominus sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, & prohibuit*. Ideò lege sua declarat, ea in posterum irrita, & nulla decerni, nisi fiant præsente Parocho, vel alio sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus; & similiter irritas professiones factas ante completum novitiatus annum, vel ante 16. ætatis; (2) *ita ut professio antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem*; sed hi actus ante hujusmodi leges erant prohibiti, sed validi; ergo non omnis lex prohibens est eo ipso irritans.

Confir. Certum enim est, & de fide, alium esse actum prohibitum, & invalidum, & alium esse prohibitum, qui non erit invalidus; v. g. consecratio est actus prohibitus sacerdoti degradato, vel in peccato mortali celebranti; sed tamen consecratio erit valida; ergo non omnis actus prohibitus a lege est eo ipso invalidus. Item habenti votum simplex castitatis prohibetur matrimonium; quod tamen tenet, & validum est, si contractum fuerit non obstante impedimento illo. Denique ex Innocentio III. (3) *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent firmitatem roboris*.

Prob. 2. absolutè de omni lege etiam civili. Nam ex terminis patet, quòd prohibere aliquem actum, & illum invalidare sunt distinctissima: nam prohibitio facit, ut actus sit peccatum contra obedientiam, non autem præcisè ut sit invalidus: hæc enim duo possunt separari tam in civilibus, quàm Ecclesiasticis, ut pa-

[1] *ss*.24.c. 3. [2] *ss*.25.*de regul.c.*15.
[3] *c. ad Apostolicam de regular.*

tet ex dictis; & maximè de matrimonio, in quo utroque jure statuuntur impedimenta, quæ omnia non invalidant contractum: & multi contractus, & actus civiles licèt illiciti tenent, donec infirmentur per judices. Idem est de sententia injusta, & nulla, quæ tenet, donec per appellationem obtineatur cassatio; ergo simplex prohibitio de se non operatur nullitatem, nisi lex prohibens, aut alia generalis id statuat.

Objic. Lex civilis dicit, quòd *ea, quæ fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habentur, licèt legislator fieri prohibuerit tantùm*, &c. ergo ex regula generali iuris civilis idem est actum prohiberi, & irritari.

Resp. dist. conf. ubi lex illa imperialis est recepta, & pro subditis imperii, & in civilibus, conc. conf. ubi lex illa imperialis non viget, & pro non subditis, & maximè pro Ecclesiasticis actibus, neg. conf. Nec id facit contra concl. quia tantùm loquitur de lege secundùm se prohibitiva: hæc autem regula generalis addit illi vim extrinsecam; & idem pro omnibus civilibus actibus, & prohibitis per alias leges, ac si essent singulæ etiam irritantes; sed illa regula nihil operatur erga canonicas, quæ ab ea non dependent.

Objic. 2. pro lege canonica: (1) Greg. relatus in decreto approbat illam constitutionem imperialem; ergo eadem est regula pro Ecclesiasticis actibus, ac pro civilibus. Confir. ex Joanne VIII. *quod contra leges accipitur, per leges dissolvi meretur*.

Resp. neg. conf. Nam hæc non dicunt Pontifices statuendo, vel approbando, sed recitando. (2) Unde Glossa in illud caput remittit ad aliud, in quo Anacletus declarans Episcopis prohiberi, ne in aliena diœcesi consecrent altaria, & ne ordinent clericos alienos, decernit tamen, *tam consecrationem, quàm ordinationem, licet prohibitas tenere, altaris tamen consecratione manente:* sed pœnam statuit suspensionis in transgressionem Canonum. Et Glossa in caput *vides*, adducit plures canones, & casus, in quibus prohibita tenent. *Hæc regula*, inquit, *multas recipit instantias: contra legem enim fit, si contrahitur post simplex votum, tamen contractus tenet*, &c. Et concludit, quòd hæc

[1] *c. imperial. 25. q. 2. dist. 12. c. vides.*
[2] *c. Episcopus 8. q. 1.*

hæc regula intelligitur de talibus, *ubi est causa perpetua prohibitionis, ut ne filius contrahat cum matre.*

Objic. 3. Hæc regula est pro jure canonico: *Quæ contra jus fiunt, debent pro infectis haberi;* ergo in omni jure omnis actus prohibitus est etiam irritus, & nullus.

Resp. neg. cons. Nam ex Glossa hæc regula habet locum *in his, quæ habent causam perpetuam prohibitionis; contraria verò in his, quæ habent causam temporalem; vel nisi eodem, vel alio jure tolleretur,* ut de facto per alios canones tollitur.

Hinc sequitur legem esse irritantem, & actum contra ipsam factum esse irritum, & nullum, quando se explicat legislator verbis expressis dicens, *Quidquid fiet in contrarium esse irritum, inane, invalidum, nullius roboris,* aut æquivalentibus: v. g. cum dicit de beneficio, quod sic, vel sic acquisitum *vacuum remaneat:* aut de matrimonio sine Parocho, & testibus contracto, quòd *debeant partes separari,* aut quod *sit eis licitum aliis nubere* &c. Item quando declarat aliquas formalitates, quasi essentiales actui: nam res sine partibus essentialibus non existit, ita nec actus illi morales.

Quæres, *an omnis lex irritans obliget in conscientia ad non faciendum actum irritum? Seu, an omnis actus irritus per legem sit etiam ex vi ejusdem prohibitus, & peccatum.*

Resp. negativè, saltem directè, & ex vi ejusdem legis. Ratio est 1. quia id pendet ex arbitrio legislatoris; ergo nisi actus sit aliunde malus, non erit peccatum, licèt sit nullus, si legislator non intendat aliter prohibere: v. g. lex, quæ irritat contractus factos cum minoribus, non videtur obligare ad aliud, quàm ad invaliditatem illorum actuum: sic quæ irritat testamenta facta sine tali, aut tali solemnitate, nihil aliud per se importat, nisi invaliditatem eorum, & sicut homo sine peccato posset non testari, ita & posset sine peccato testari invalidè.

Dico, *ex vi talis legis;* nam aliunde posset peccari, v. g. ex lege naturæ; quia est facere actum invalidum, & inutilem repugnantem rectæ rationi; & aliunde possent inde oriri alia mala, quæ mala influerent malitiam peccati, & redderent eos malos.

Resp. 2. aliquas leges non solùm esse irritantes, sed etiam prohibentes eosdem actus, quos irritant.

Ratio est eadem: nam id pendet etiam ex mente, & intentione legislatoris; & de facto tales sunt fere omnes, v. g. matrimonia cum impedimentis dirimentibus non tantùm sunt invalida, sed etiam prohibita: & ita est de aliis.

Quæres 2. *An lex irritans suum effectum sortiatur etiam in conscientia ipso facto, an verò tantum post sententiam judicis declaratoriam nullitatis.*

Resp. id pendere ab intentione superioris, & hæc colligenda est ex verbis legis, quæ si significent nullitatem *ipso facto*, & ex tunc, actus erit *ipso facto*, & ex tunc nullus; si verò significent actum esse annullandum, lex non obligabit, nec habebit effectum ante sententiam, aut quando actus non pertinet, nisi ad forum externum.

Id patet ex praxi de electionibus, de professionibus, de provisionibus beneficiorum, de testamentis, donationibus: nam electi, professi, provisi, hæredes, donatarii hoc ipso, quod sciunt defectus irritantes, debent abstinere ab effectibus, & exercitiis, si lex dicat illos actus esse ipso *facto nullos*; & ideo solent irritari quæcumque electi, & provisi gesserunt consequenter.

Dices. Sæpe leges illæ fundantur in præsumptionibus: v. g. leges irritantes contractus inter minores præsumunt deceptionem, aut violentiam, aut fraudem contra minores; & sæpe fallunt præsumptiones: nam contingere possunt contractus inter minores sine illis defectibus; ergo tunc leges illæ non obligāt. Prob. cons. Nam tunc cessat ratio legum illarum.

Resp. neg. cons. quia leges respiciunt bonum universale, & in communi; & sic non fundantur in præsumptione casuum particularium, qui aliquando accidunt, vel accidere possunt, sed casuum, qui ordinariè accidunt, vel accidere possunt, ut caveant pericula, & mala, quæ ex actibus talibus possunt, & solent evenire, quamvis etiam possint non evenire: v. g. potest fieri, ut aliqui contrahentes clandestinè matrimonium non incidant in fraudes, quas alii committunt in similibus, & ob quas illa matrimonia irritantur ab Ecclesia; & tamen absolutè, & universaliter illa irritavit.

QUÆSTIO VIII.

De mutatione, seu cassatione legis humanæ per abrogationem.

SI mutantur leges, id fit vel *derogatione*, vel *abrogatione*, vel *irritatione*, vel *interpretatione*, vel *dispensatione*. 1. *derogare* legi est eam tollere ex parte tantùm, reliquo remanere, ut si lex vigiliarum tollatur quoad jejunium, & remaneat quoad abstinentiam à carnibus. 2. *abrogare* est tollere legem in totum, ita ut nihil ejus remaneat, quod obliget. 3. *irritare* est impedire, ne vim habeat; & sic magistratus superior irritat leges inferioris. 4. *interpretari* est declarare aliquem casum non comprehendi sub lege. 5. *dispensare*, seu *relaxare* est eximere aliquem ab obligatione legis, ad quam alioqui esset obligatus, & quæ alios obligat. Aliæ etiam possunt afferri causæ, aut modi mutationis, ut cessatio finis, aut materiæ, de quibus infrà: hic examinamus 1. an leges sint mutabiles, & 2. per abrogationem.

CONCLUSIO I.

LEx *omnis positiva etiam divina est mutationi obnoxia in iis, quæ non sunt communia cum lege naturæ.*

Prob. 1. ex Scoto docēte, [1] quòd *ipsa lex naturæ dictat mutandas esse leges secundum mutationem status rerum. Unde in statu naturæ lapsæ communitas bonorum, quæ pro statu innocentiæ præcipiebatur lege divina, debuit mutari pro statu naturæ corruptæ; quia communitas omnium rerum esset contra pacificam conversationem*, &c. ergo ex Scoto secundum diversam exigentiam, aut statum rerum debent dari, aut abrogari leges positivæ; sicut ista debuit mutari, cum natura transiit de statu integritatis, & innocentiæ in statum peccati, & corruptionis: quia scilicet quod fuisset bonum, & necessarium pro illo statu, fuisset nocivum pro illo.

Prob. 2. Certum enim est ex fide, quòd lex Mosai-

[1] 4. *d.* 15. *q.* 2. *B. n.* 3.

ca erat à Deo, ut vidimus, & quòd cessavit per institutionem Euangelicæ. Videtur etiam nonnullas mutationes accidentales contigisse in Euangelica, & id fortè probant hæc Christi D. verba, (1) *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? sed nunc qui habet sacculum, tollat & peram*; quod sine dubio non contigit ex defectu, vel inconstantia ulla ex parte legislatoris, sed ex ejus misericordia, & sapientia, quibus sese accommodare dignatur temporum, & morum humanorum mutationi, ut docet S. August. & id docet etiam [2] Concil. Toletanum relatum in decretis: *Incommutabilis Deus, idemque semper existens sua sæpe in sacris litteris legitur mutasse promissa, & pro misericordia mutasse sententiam.*

Prob. 4. ratione. Cum lex omnis positiva pendeat à voluntate legislatoris, & maximè divina, nihil prohibet, quin possit pro libitu suo derogare, aut abrogare leges suas.

Confir. præcipuè de legibus Ecclesiasticis. Nam in iis ipsis, quæ spectant ad religionem, & usum sacramentorum, non ad substantiam, multa successivè, & pro temporum, & morum exigentia reperiuntur mutata, unde monebant [3] PP. Concilii Later. sub Innocentio III. *quod non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quoque varientur humana, præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit, quoniam ipse Deus ex his, quæ in veteri testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo.*

Prob. 4. quia lex positiva dependet à judicio, & voluntate legislatoris; sed hæc sunt mutabilia; ergo & lex positiva. prob. min. certum enim est, quod quædam, quæ judicantur, & sunt utilia bono communi uno tempore, & statu, cessant esse talia pro alio: v. g. pro statu innocentiæ, & naturæ integræ Deus videbat communitatem bonorum omnium esse bonum, & eam sic statuebat, & volebat; sed pro statu naturæ corruptæ permisit hominibus, imo inspiravit eis leges divisionis: præceptum legis naturæ, id est quod vigebat in statu naturæ integræ, & non quod à natura erat

[1] *Luc.* 21. [2] *Con.Faust.*22. *q.* 4. *c.* 9.
[3] *Cap.* 3.

erat de habendo omnia communia revocatum est post lapsum, & rationabiliter propter duo. [1] 1. quia communitas omnium rerum esset contra pacificam conversationem, cùm malus, & cupidus occuparet ultra ea, quæ sibi essent necessaria, & hoc etiam inferendo violentiam aliis, &c. 2. esset contra necessariam sustentationem, quia fortiores bellatores privarent alios necessariis; ergo qua ratione obligantur superiores ad dandas leges, quas judicant utiles, aut necessarias ad bonum commune, eadem tenentur datas tollere, & alias dare, quando judicant primas esse inutiles, aut nocivas, & alias evadere necessarias, ut patet in exemplo allato.

Dixi, *in his, quæ non communicant cum lege naturæ*; quia quæ sunt de lege naturæ *sive propriè, sive extensivè, sunt semper uniformia*, inquit Scotus, [2] *sunt principia moralia nota ex terminis, & necessaria, seu æterna, ac immutabilis veritatis, & strictè loquendo nihil aliud est de lege naturæ, nisi principium, vel conclusio demonstrata*. Illa autem principia, & conclusiones demonstratæ sunt immutabilia; ergo & præcepta omnia legis naturæ; ergo leges positivæ, quæ cum lege naturæ communicant, sunt pariter immutabiles.

Objic. 1. Perpetuitas est de ratione legis, saltem à parte post; ergo semel lata non debet mutari, quia mutatio excludit perpetuitatem.

Resp. dist. ant. perpetuitas ex parte legislatoris, & subditi, conc. ant. ex parte materiæ, neg. ant. nam mutata materia legis, mutari debet & ipsa; mutatur autem, quando quod bonum erat, evadit inutile.

Objic. 2. Omnis lex positiva derivatur a lege naturæ, & à lege æterna: sed istæ sunt immutabiles: ergo & ista debet esse immutabilis. Ant. patet ex dictis.

Resp. dist. ant. derivatur, id est non debet esse illis contraria, sed conformis, conc. ant. debet esse in materia illarum propria, neg. ant. Leges positivæ nihil debent habere contrarium legibus naturali, & æternæ; sed possunt habere materiam sibi propriam, quæ nec præcipitur, nec prohibetur per illas.

Objic. 3. ex Arist. mensura debet esse permanens:

[1] *Sent. ibid.*
[2] *d. 17. q. 1. B. n. 4.*

sed lex humana est mensura actuum humanorum; ergo debet esse permanens, non mutabilis.

Resp. dist. maj. debet esse permanens relativè ad mẽsuratum, conc. maj. in se, neg. maj. hoc enim soli Deo convenit, ut sit in se absolutè immobilis; lex verò, seu mensura relativè ad mensuratum permanet cum ipso, sed absolutè, & in se potest deficere.

CONCLUSIO II.

L*Ex humana cessare potest per abrogationem, & per eandem potestatem, per quam posita est, & ex eadem ratione*.

Prob. 1. p. ex præcedenti. Nam *abrogatio* legis nihil est aliud, quam cessatio, seu cassatio ejus in totum quoad vim obligandi, quam habuerat ex voluntate superioris; sed sic videmus quotidiè leges positivas non solùm humanas, sed etiam divinas cessasse, ut patet ex dictis; ergo lex humana potest abrogari.

Prob. 2. p. ex communi regula juris. Res omnis per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvi potest, ergo lex humana dissolvi, & abrogari potest per eandem potestatem, per quam nata est. Et certè non plus requiritur potestatis ad tollendam legem, quam ad ferendam; ergo princeps, qui ex probabili judicio utilitatis publicæ legem aliquam tulit, potest ex simili causa eam abrogare; & ita contingit in praxi quotidiana.

Prob. 3. p. ex eodem principio; quia sicut superior justè, & rationabiliter non potest dare legem, nisi ex judicio, & intentione boni publici; ita nec eam tollere: unde sicut in conscientia peccaret, nisi ex eodem judicio, & intentione tolleret legem, cujus abrogationem judicaret necessariam bono eidem: & maximè ad id obligat ex juramento bene, & justè administrandi rem publicam. Per id enim obligatur ad statuendum quidquid judicat notabiliter utile, aut necessarium; nec est ei licitum pro arbitrio dare, aut tollere leges.

Dixi, *eadem potestate*, non tamen sic, quin leges datæ à superiori subalterno possint irritari, vel abrogari à supremo, & altiori: v. g. Generalis Ordinis

po-

potest abrogare legem datam à Provinciali, & Papa legem datam à Generali, quia princeps, aut prælatus supremus potest quidquid possunt inferiores; non verò isti possunt quod superiores. Ideò inferior non potest abrogare, nec derogare legi superioris præcisè, & propria sua potestate; hæc siquidem postulat rectus ordo regiminis.

Quæres, *an legislator inferior possit legem suam, quam tulit, abrogare, quando superior eam confirmavit.*

Resp. in hoc attendendam naturam subordinationis inter illos, & terminos, seu formam confirmationis. Nam si inferior prælatus absolutam accepisset potestatem dandi, & tollendi leges à se datas; aut, si confirmatio superioris nihil addat obligationis legi datæ ab inferiori, sed sit nuda approbatiò quoad solemnitatem majorem; tunc inferior poterit legem suam abrogare; sed si inferioris potestas esset limitata ad dandas leges, & non ad abrogandas; aut si superior per suam confirmationem daret legi vim, & robur novum à sua auctoritate dependens, tunc non posset eam abrogare, nisi dependenter ab auctoritate superioris, ita ut, sicut lex egebat ad vigorem auctoritate superioris, ita & ad abrogationem. Debent autem cauti esse superiores in abrogandis legibus; quia, ut dicebam, id non ita pendet ab eorum arbitrio, quin peccent, si absque gravi utilitate, vel necessitate id faciant; & aliunde id cedit in contemptum potestatis, & legum, si tam facilè abrogarentur, aut mutarentur: sed tamen si prohibitu suo superior quicumque tam regularis, quàm Ecclesiasticus legem suam abrogaret, cessaret obligatio in subditis, quia tota vis obligativa pendet ab ejus voluntate.

Dices. Hoc ipso quod lex evadit inutilis, aut nociva reipublicæ, cessat obligatio, ergo quandiù durat utilitas, aut necessitas, durat & obligatio. Prob: conf. Nam contrariorum eadem est ratio.

Resp. neg. conf. & rationem ejus, quia plus requiritur ad valorem legis stabiliendum, quàm ad tollendum; ad istud sufficit defectus minimus, ad illud verò concurrunt omnes conditiones; si daretur aliqua obligatio propter utilitatem, aliunde veniet, quàm ex voluntate principis, v. g. à lege naturæ.

CONCLUSIO.

Abrogatio, seu derogatio fit vel per simplicem actum superioris revocantis legem in toto, vel in parte, vel per constitutionem legis contrariæ.

Quoad 1. p. non indiget probatione: nam hoc ipso, quod princeps edictum, vel legem revocat, tollit omnem vim obligativam; quandoquidem, ut mox dicebamus, totaliter venit ab ejus voluntate.

Prob. *quoad 2.* quia *posteriora jura derogant prioribus, quando illis sunt contraria;* ita ut cum illis consistere non possint. Unde si lex posterior sit totaliter contraria toti priori, hæc tota tollitur; si verò sit contraria alicui parti, & non aliis, tunc istæ restant in vigore.

Confir. ex hac regula juris civilis: [1] *Quidquid in posteriori lege specialiter non fuerit expressum, id veterum legum, & constitutionum regulis relictum esse intelligendum est.*

Quæres, *an sicut lex non obligat sine sufficienti promulgatione, ita neque abrogatio tollat obligationem sine illa.*

Resp. quod necessaria est promulgatio, quando abrogatio fit per aliam legem contrariam, ob rationem datam suo loco: imò & quando simpliciter abrogatur purè, & sine alia, debet id ita publicari, ut omnibus innotescat.

Ratio est, quia qui omitterent id, quod lex jubebat, nescientes obligationem cessasse, peccarent ex voluntate erronea; & qui omitterent ex scientia abrogationis, scandalizarent eos, qui putarent obligationem durare: ideò debet publicari, si non eadem solemnitate, qua promulgatur lex positiva, saltem sufficienter, ut omnibus innotescat.

QUÆ

[1] *l. præceptum de appellat.*

QUÆSTIO IX.

De dispensatione legis humanæ.

JAm diximus in superioribus disputationibus, quid, & quotuplex sit *dispensatio*. Differt ab *abrogatione*, & *derogatione* in eo, quod non tollit nec in toto, nec in parte legem, sed eam relinquit in suo robore quoad communitatem, exceptis aliquot particularibus casibus, aut personis, quæ ab ejus observantia, & obligatione eximuntur ex quibusdam rationabilibus causis: & quæritur 1. an prælatus inferior possit dispensare in lege superioris, v. g. Episcopus in lege Papali, aut Provincialis in lege sui Generalis. 2. an dispensatio exigat causam, ut sit valida, aut justa, & sine peccato in dispensante, vel dispensato.

Diximus etiam ex Scoto, quòd dispensare non est facere, quod stante præcepto liceat agere contra præceptum: sed est revocare præceptum, vel declarare illud circa dispensatum, vel in casu dispensationis, vel declarare, qualiter debeat intelligi, est enim duplex *dispensatio*, *propria*, quæ est juris relaxatio, & *impropria*, quæ est juris declaratio. Differt autem *dispensatio* à *derogatione*, & *abrogatione*, quod *abrogatio* tollat in toto vim legis, *derogatio* in parte; sed *dispensatio* relinquit legem in toto robore suo; sed tantùm restringit eam quoad aliquas personas, aut casus, vel effectus, respectu quorum permittit, quod non obliget, licet perseveret obligare cæteros, ut jam notavimus supra.

CONCLUSIO I.

NUllus inferior dispensare potest in lege superioris propria dispensatione, nisi ex delegatione cum plenitudine potestatis; sed hoc pertinet ad solum superiorem, qui legem tulit, vel ad ejus delegatum.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Nulli inferiori licet in lege superioris dispensare*. Loquitur absolutè, & de propria dispensatione.

Prob. 2.

[1] 4. *d.* 5. *q.* 3. *G. n.* 8.

Prob. 2. ex SS. Canonibus. C. cum inferior de major. & obed. *Cùm inferior superiorem solvere nequeat, vel ligare, sed superior inferiorem liget regulariter:* & cap. *ne Romani* Clem. de Elect. *Attendentes, quòd lex superioris per inferiorem tolli non potest.*

Prob. 3. Dispensare est tollere vim, & obligationem legis pro dispensatis; sed nullus inferior tollere potest obligationem positam à suo superiore; ergo neque dispensare in legibus ejus. Prob. min. sic enim non esset inferior potestate, sed superior, vel æqualis: nam obligare, vel deobligare, ligare, & solvere sunt ejusdem potestatis; ergo sicut ad solum superiorem spectat condere leges, & obligare inferiores, ita & solvere.

Dixi, *regulariter*, 1. quia ex delegatione speciali Prælati, aut Magistratus Supremi, posset id facere inferior, & subalternus; & id faciunt delegati cum plenitudine potestatis. 2. communiter docetur, quòd in casibus extraordinariis & urgentissimis, in quibus non datur tempus, aut facultas recurrendi ad superiorem legislatorem, tunc potest inferior dispensare; quia id postulat recta ratio, & bonum commune; & judicatur legem in his casibus non obligare. Ideò putarem, tunc non esse propriam dispensationem, seu juris relaxationem, sed impropriam, scilicet per interpretationem, quatenùs superior, aut lex non intendit in his casibus obligare; aut saltem inferior interpretatur eum consentire.

Assignari autem solent plures casus, in quibus inferiores Prælati dispensant in legibus superiorum. 1. in materia leviori, cujus transgressio non posset esse peccatum, nisi veniale; sicut enim peccatum veniale non reservatur, ita nec leges in levioribus. 2. in casibus frequentioribus, in quibus nimis onerosum esset tam superiori, quàm subditis sic quasi continuò recurrere; ideò præsumitur superiorem supremum consentire, ut inferiores in his dispensent, v. g. in festorum, aut jejuniorum dispensatione. 3. in urgentissimis necessitatibus, quæ non patiuntur moram ob periculum, vel grave detrimentum imminens: v. g. si quis habens votum continentiæ nupsit, & matrimonium consummavit, potest Episcopus dispensare cum eo, ut petat, & reddat debitum conjugale.

4. quan-

4. quando dubium est, an casus egeat dispensatione, aut an sit per legem reservatus, potest inferior dispensare: quia in dubiis favorabilior pars est amplectenda, & præsumitur pro libertate; extra casus autem legitimos dispensatio inferioris in lege superioris est nulla.

CONCLUSIO II.

AD justam, & honestam dispensationem requiritur causa rationabilis, alioqui dispensans peccat, licet dispensatio sit valida. Est communis.

Prob. 1. ex Concil. Trident. docente, quòd [1] *sicut expedit legis vinculum quandoque laxare, ut pleniùs evenientibus casibus, & necessitatibus pro communi utilitate satisfiat; sic frequentiùs legem solvere, exemploque potiùs, quàm certo personarum, rerumque delectu petentibus indulgere, nihil aliud est, quàm cuique ad leges transgrediendas aditum aperire: quod si urgens, justaque ratio, & major quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse, id fiat causa cognita, ac summa maturitate à quibusdam, ad quos dispensatio pertinebit.* Idem statuitur pro dispensationibus in impedimentis matrimonii.

Confir. ex D. Bernardo, [2] *Quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur, ubi necessitas urget; excusabilis dispensatio est, ubi utilitas provocat; laudabilis est dispensatio, utilitas dico communis, non propria: nam cùm nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed dissipatio est;* ergo requiritur causa ad licitam dispensationem.

Prob. 2. quia cùm lex non statuatur, nisi pro bono communi, & gravi, & obliget etiam legislatores in his, quæ ad eos spectant, non debet ab ea discedere tam pro aliis, quàm pro se absque causa rationabilissima, & maximè ne detur occasio leges contemnendi, ut fieret, si absque causa, & pro libero arbitrio superiorum eximerentur quicumque placeret superiori, indeque etiam perturbaretur, & communitas frustraretur utilitate veniente ex lege: ergo superior, seu princeps peccat, & graviter, si absque rationabili causa dispenset in legibus suis.

Prob. 2.

[1] *ss. 24. de Refor. c. 17.* [2] *3. de consid.*

Prob. 2. p. quia lex non obligat præcisè nisi ex voluntate superioris; sed in dispensatione cessat illa voluntas obligandi, sive sit ex causa, sive non; ergo dispensatio etiam data sine causa valet ad tollendam obligationem. prob. min. Nam si abrogaret legem, tolleretur obligatio pro tota communitate, etiam si hoc fieret sine causa; ergo à fortiori si tollatur pro aliquo particulari etiam sine causa.

Objic. 1. contra 1. p. ex SS. Canonibus sola Pontificis voluntas comparatur justæ causæ; & idem docetur à lege civili de voluntate principis: ergo ad dispensationem sufficit voluntas legislatoris etiam sine causa.

Resp.neg. conf. Nam ideò sic loquuntur jura illa de voluntate Pontificis, & principis, quia supponunt eam esse justam, nec quidquam velle sine causa rationabili.

Objic. 2. Positio, & obligatio legis pendet à sola voluntate superioris; ergo & dispensatio, vel abrogatio, per quam tollitur obligatio absque alia causa.

Resp. 1. neg. conf. Nam licèt positio legis pendeat à sola voluntate principis, semel tamen posita non debet tolli sine causa; sicut ex eo quod positio voti sit libera, non sequitur, quod ita sit de ejus solutione; imò sicut superior non ponit legem sine ratione, ita nec tollere debet.

Objic. 3. Si justa causa semper adesset, nihil conferret dispensatio superioris; nam dispensatio veniret ex justitia causæ, propter quam lex non posset obligare, non verò ab indulgentia superioris; sed conf. est contra suppositionem; supponimus enim, quòd deobligatio veniat ab indulgentia superioris; ergo non semper requiritur causa.

Resp. neg. seq. maj. & dist. rationem eius, dispensatio veniret à justitia causæ aliquo modo, & partialiter, conc. totaliter, & unicè, neg. Nam causa est quidem motivum superiori ad dispensandum cum tali subdito, vel in tali casu; sed non est se sola sufficiens ad tollendam obligationem legis absque voluntate superioris; alioqui non esset opus dispensatione.

Objic. 1. contra 2. p. supposita necessitate causæ ad dispensandum. Si absque causa non poterit princeps dispensare: ergo dispensatio invalida erit. Prob. conf.

Actus,

Actus, qui excedit potestatem agentis, est invalidus: non est enim major defectus, quàm potestatis: ergo invalidè dispensabit.

Resp. dist. ant. non poterit dispensare juste, & licitè, conc. validè, neg. ant. & conf. & similiter dist. ant. prob. actus, qui excedit potestatem legitimam, & absolutam, conc. potestatem quoad justitiam tantùm, neg. ant. Dispensatio sine causa est illicita, & excedit potestatem honestatis, seu virtutis; quia non est justum, nec honestum eximere sine causa privatos aliquos ab onere legis, dum communitas illud portat; admitteretur aliqua acceptatio personarum: sed si hoc fiat, validè fiet, sed illicitè.

Inst. Dispensatus non posset uti dispensatione; ergo non esset valida. Prob. ant. adhuc teneretur servare legem, saltem ex natura rei; quia teneretur se conformare communitati, non habens causam aliter agendi; ergo non posset uti dispensatione.

Resp. dist. utrumque ant. non posset uti dispensatione, si alia lege obligaretur ad actum, in quo dispensatur ab homine, conc. ant. si sola lege humana obligaretur, neg. ant. & conf. Loquimur de obligatione, & dispensatione in materia legis purè humanæ; & dicimus principem non posse quidem licitè in ea dispensare sine causa, benè verò validè; sed si materia sit aliunde præcepta, vel prohibita per aliam legem, dispensatio non erit valida quoad istam, & ex eadem ista: v. g. ex lege naturæ tenebitur adhuc dispensatus se conformare aliis, non ex vi legis humanæ, sed ex vi legis naturæ, in qua homo non potest dispensare.

Peccaret ergo legislator, seu superior dispensans irrationabiliter, & sine justa causa aliquos ab observatione legum suarum, & quidem contra justitiam distributivam, secundum quam debet dispensare bona communia singulis secundum rationem; & contra justitiam legalem, quæ vult bonum commune procurari, aut servari per observantiam legum, quæ in eum finem instituuntur: & quidem peccatum est mortale, aut veniale secundum gravitatem, aut levitatem materiæ; & id etiam mensurandum, & ponderandum ex aliis circumstantiis.

Sequitur etiam, quòd cessante causa dispensationis,

cessat & ipsa: nam [1] *cessante causa cessat effectus*. Voluntas dispensandi ex parte superioris cessat cum causa, qua movebatur ad dispensandum. Quod tamen intelligendum est in iis dispensationibus, quæ nondum sortitæ sunt totum suum effectum, non verò in aliis; v. g. in dispensatione matrimonii, quod contractum fuit, & consummatum ante cessationem causæ, & voluntatis dispensandi, non revocatur, nec cessat contractus.

Quæres, *An legislator possit dispensare seipsum in sua lege*.

Resp. affirmativè in iis, quæ ab ipso dependent, & statuuntur, & cum causa, sicut dispensaret alios. Dico *in his, quæ ab ipso dependent, & statuuntur*; nam si aliunde statuerentur, scilicet per aliam legem, v. g. naturalem, non posset secum dispensare.

QUÆSTIO X.

De interpretatione, & EpiKeia, seu emendatione legis humanæ.

POssunt etiam aliquo modo cessare, aut mutari leges per *interpretationem*, quando sensus verborum non est satis clarus, nec ea satis explicant mentem legislatoris; vel per *emendationem*, seu *EpiKeiam*, seu *correctionem*, quando dubitatur de aliquo particulari casu, an comprehendatur in lege universali, & loquente: v. g. lex generaliter præcipit, quod omnis homicida moriatur, & in casu particulari accidit homicidam esse hominem maximæ utilitatis Reipublicæ: v. g. excellentem in arte, & dubitatur an iste comprehendatur in lege illa generali, & per benignam interpretationem judicatur eum non comprehendi, juxta illud, quòd [2] *excellens in arte non debet mori* (est exemplum Scoti.) In 1. casu *interpretatio* dicitur *simplex*, quia agitur de mente legislatoris, quæ non satis constat ex verbis legis. in 2. agitur de *valore legis*, quia videtur deficere in aliquo casu particulari, quem non videtur comprehendere, nec prævisum fuisse à legislatore, quando legem in generali condidit; & ideò dicitur *emendatio*, seu legis

[1] *c. Cum cessante de appellat.* [2] 1. *d.* 44. *D. n.* 5.

gis *correctio*. Igitur *interpretatio* legis est explicatio verborum legis, & mentis legislatoris, & triplex est. 1. *autentica*, quæ fit sola auctoritate legislatoris, aut æqualis, vel superioris in potestate: & hæc habet vim legis; venit enim ab eodem fonte; & de hac dicitur, quòd *ejus est interpretari, cujus est condere leges*, scilicet autenticè. 2. *usualis*, quæ fit per usum, ac consuetudinem, & secundum quod observatur in consuetudine, quæ ideò dicitur (1) *optima legum interpres*; & hæc etiam vim magnam habet, velut ipsa lex. 3. *doctrinalis*, quæ fit per simplicem explicationem verborum legis secundum illorum proprietatem naturalem, aut civilem; & hæc non habet vim legis, sed pendet à judicio doctorum, seu peritorum in lingua, & lege; ideò dicitur *doctrinalis*.

Epikeia verò dicitur ab Arist. (2) *emendatio legis ex ea parte, qua deficit propter universale*; id est per quam legem aliquid generaliter præcipientem corrigimus, & emendamus in aliquo casu particulari, in quo creditur cessare illius obligatio, vel quia legislator non creditur voluisse, aut potuisse comprehendere talem casum; vel quia in eo cessat ratio legis; vel quia observatio legis in eo casu esset peccatum, vel perniciosum Reipublicæ, aut ipsi subdito observanti. Differt ab *interpretatione*, sicut species à genere; nam *interpretatio* latiùs patet.

Quæritur ergo, an liceat subditis interpretari sive per *simplicem* explicationem, sive per *Epikeiam*, seu ut alii communiter proponunt dubium, an liceat subdito præter verba legis agere, seu legem emendare, aut corrigere, & quidem *doctrinaliter*: nam *autentica* pertinet ad solum legislatorem, aut ad successorem, vel superiorem ejus, aut delegatum; & *usualis* petitur ex consuetudine legitima, de qua dicemus brevi: & utramque admittendam quotidiana experientia docet; agitur de *doctrinali*, & *reverentiali*, ut vocant.

CON-

[1] *c. cum dilectus. de consu.*
[2] *5. Ethic. 10.*

CONCLUSIO.

Lex humana mutationibus obnoxia est etiam per interpretationem, & Epiikeiam, ita ut liceat sæpe agere præter, aut contra verba legis, & eam interpretari, vel emendare.

Prob. 1. ex Scoto docente, quòd [1] *aliquid potest esse ordinatum, & ordinatè fieri dupliciter. 1. ordine universali, quod pertinet ad legem communem, ut si Rex statuat, quòd omnis homicida moriatur. 2. in ordine particulari circa hoc judicium, ad quod non pertinet lex; quia lex est de universalibus casibus; de casu autem particulari non est lex.* Igitur cùm lex sit universalis, & sic non prævideat omnes casus particulares, in quibus ratio legis communis potest cessare; ita & potest tunc agi contra, aut præter verba legis, & interpretando eam benignè, quòd non obliget in tali casu: v. g. lex obligat generaliter, ut restituatur depositum petenti; sed accidere potest, ut Petrus petens ensem depositatum sit furiosus, & sit seipsum, vel depositarium jugulaturus, si ei restituatur ensis; lex illa generalis debet explicari, ita ut non obliget tunc ad restituendum depositum; & id fit per judicium circa legem.

Prob. 2. ex eodem. In legibus universalibus possunt contingere casus particulares, in quibus majus bonum provenit communitati ex inobservantia legis, aut malum proveniret ex inobservantia; & tunc rationabiliter debet explicari, aut revocari lex, quæ non obligat. [2] Sic Machabæi interpretati sunt ipsam legem divinam de Sabbati sanctificatione, quando lacessiti ab hostibus judicarunt, sibi licere bellare, nec eam legem in hoc casu obligare: sic Christus ipse explicat eandem legem, quòd non violetur per extractionem bovis, aut asini ex fovea, vel per adaquationem eorum, & à fortiori per sanationem hominis infirmi.

Prob. 3. ex Arist. [3] *Quando lex in universum dixerit, & præter universale potest quidpiam universale contingere, tunc rectè se habet, si quæ legislator omisit*

[1] 2.d.44.D.n.5. [2] 2.Machab.2.
[3] 5.Ethic.10.

sit, corrigatur defectus, id quod legislator etiam ipse, si adesset, dixisset, & si scivisset, ita præscribentem legem instituisset. Ideò dicitur hoc *Epiikeia*, seu *interpretatio* benigna mentis legislatoris, quatenùs noluit obligare in his casibus particularibus ad observantiam legis suæ generalis; & quod implicite, & virtualiter, seu interpretativè hos casus excepit à lege, ideò id vocatur *correctio*, seu *emendatio* legis, seu *æquitas*, quæ ex eodem est legis *emendatio* in ea parte, qua lex deficit ob aliquem particularem eventum, in quo casu si legislator adesset, ita dixisset.

Prob. 4. ex SS. Canonibus. Nam cap. [1] *Humanæ aures* Papa Cælestinus docet, quòd *non debet aliquis verba considerare, sed intentionem, ac voluntatem; quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni*; ergo quando occurrunt aliqui casus, in quibus particularis observatio legis ad litteram esset notabiliter gravis, aut damnosa communitati, aut daret occasionem peccati, aut scandali, tunc licet uti *Epiikeia*, seu *interpretatione* legis, præsumendo legislatorem non prævidisse casus illos particulares, nec ad eos voluisse extendere suam legem: ideoque non solum potest subditus non facere, quod lex ad litteram videtur jubere, sed nequidem licet, & peccaret faciendo. Quòd si dubitetur tantùm de sensu verborum, quæ non sunt satis clara, sed æquivoca, vel obscuriora, tunc locum habet *simplex interpretatio*, & consulendi sunt periti legum, & linguarum, ut verus sensus habeatur; sed si in utroque casu possit commodè adiri legislator, vel successor, aut superior habens æqualem, aut superiorem potestatem, tutius erit consulere.

Ad hoc autem traduntur aliquot regulæ, ex quibus poterit videre subditus, quomodo tuta conscientia se debeat gerere in hujusmodi casibus.

1. Est, quando judicat apertè, quòd in casu aliquo ex legis, vel præcepti observantia sequitur aliquod peccatum, vel grave damnum sive communitati, sive ipsimet observanti, potest, vel tenetur interpretari legem ex æquitate, & facere, quod judicat opportunum ad vitandum peccatum, aut damnum: v. g. si quis certo sciret se die Dominico Ecclesiæ expe-

[1] 22. q. 5.

peçtari ab hostibus in via, ut occidatur, debet judicare, quod in eo casu non urget præceptum sacrum audiendi, & potest manere clausus domi.

2. Quòd si casus est dubius, an lex obliget, tenetur consulere superiorem, si potest, aut si non potest consulere, nec dubium deponere, tenetur agere secundum verba legis ad litteram; quia in dubiis *tutius est sequi partem, quæ favet legi*: si verò apparet una pars probabilior, hanc eligere potest, nisi posset expectare, ut certior reddatur.

3. Si diversæ sint Doctorum opiniones circa sensum legis, vel decisionem casus, an in eo lex obliget? Hanc regulam tradit Doctor subtilis; (1) *bene videndum est in moralibus, antequam aliquid asseratur; quia videlicet cùm habens duas opiniones contrarias perplexus sit, periculosè se determinat ad unam, nisi re diligenter inspecta eligeret probabiliorem.*

Pro interpretatione *simplici*, & *doctrinali* attenditur 1. proprietas verborum, quantùm potest; alioqui nihil esset in legibus certum; lex autem debet esse clara: ergo & verbis propriè, quantùm potest, significantibus expressa: & ideò sensus litteræ quantùm fieri potest est attendendus; ille autem est duplex. 1. *naturalis*, qui ex prima vocis institutione colligitur: sic mors significat separationem realem animæ à corpore. 2. *civilis*, qui ex similitudine extenditur à lege ad aliud significandum: Sic professio religiosa dicitur mors, sed civilis; sed ad illum non recurritur, nisi ex defectu naturalis. 2. si verba ambigua sint; sensus petendus ex mente, & intentione legislatoris; & ad hoc pensanda sunt finis, materia, & circumstantiæ, in quibus locutus est; ex his enim intelligi poterit mens illius. 3. attendenda ratio, quæ est *anima legis*; nam lex omnis debet esse rationalis. Patet igitur, *interpretationem*, & *Epikeiam* non habere locum, quando constat de legislatoris voluntate, & potestate; nec grave incommodum publicum, aut privatum sequitur ex legis ad litteram observantia: si verò alterum istorum adsit, licebit agere contra, vel præter verba legis, & eam interpretari, si non adsit superior, qui possit consuli.

QUÆ-

[1] 3. *d*. 25. *q*. 1. *D*. *n*. 8.

QUÆSTIO XI.

De Consuetudine.

Consuetudo habet vim legis, & legem abolet, & est interpretatrix legum, inquit (1) S. Th. ideò dicebamus, legis interpretationem fieri per usum. *Consuetudo* enim nihil est aliud, quàm frequentia, & repetitio similium actuum; & nomen sumpsit ab usu communi, inquit Gratianus ex Isidoro, qui & est (2) *Jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cùm deficit lex*: vel, ut aliis placet, est *jus non scriptum, quod ex lege, & continuo usu receptum est*. Per particulam, *ex continuo usu*, innuitur, quòd in consuetudine currit quædam *præscriptio*. Unde conveniunt 1. quia utraque stabilitur per aliquid facti, & juris, quod per factum introducitur. 2. quia *præscriptio* exigit consuetudinem aliquam facti, & *consuetudo* aliquam præscriptionem temporis. Differunt tamen 1. quia *consuetudo* jus legale inducit omnes obligans. *Præscriptio* vero confert solum jus dominii, vel utendi, aut fruendi. 2. ad jus *consuetudinis* requiritur factum communitatis, ad jus *præscriptionis* sufficit factum privatorum. 3. ad introductionem *consuetudinis* requiritur consensus saltem tacitus principis, contra cujus legem præscribitur, non verò ad simplicem *præscriptionem*. 4. ad *præscribendum* legitimè requiritur titulus bonæ fidei, & certi temporis lapsus à lege statutus; non autem tantus in omni consuetudine.

Dicitur ergo 1. *jus*, quod ponitur loco generis; nam relinquitur ex usu, seu ex frequentatis actibus populi, sicut ex lege: nam jus omne legibus, ac moribus constat, inquit idem Gratianus. 2. *moribus institutum*, & sic distinguitur à lege, quæ non moribus populi, sed voluntate superioris; consuetudo verò inducitur solo usu, & sufficit tacitus principis consensus. 3. *quod pro lege suscipitur*, quia vim habet legis abrogandæ, si adest, aut ipsamet obligat per modum legis. Aliæ descriptiones facilè ad hanc reducuntur.

Porrò triplex solet tribui effectus *consuetudini*. 1. ab-

[1] 1.2.q.97.n.3. [2] *d.1.C.consuetudo*.

1. abrogandi legem, 2. faciendi legem, & 3. interpretandi legem; veterem abrogat, novam instituit, & dubiam explicat. Quærimus hic an, & qualiter id verum sit, qualesve ad hoc requirantur conditiones.

CONCLUSIO I.

Consuetudo habet vim legis humanæ positivæ, veteris legis abrogandæ, aut novæ instituendæ, si sit legitima. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui consuetudini parem cum lege auctoritatem in judiciis confert quoad condemnationem: ideò docet, quòd *jurans in foro ubi ex lege positiva, vel consuetudine sequitur condemnatio ad mortem, peccat mortaliter, nisi sit pro crimine certo*. Item ubi docet, [2] *terminum celebrationis missæ sumendum esse ex consuetudine Ecclesiarum*: & post Arlem docet, [3] quòd *quantam vim habeat consuetudo, leges ostendunt*.

Prob. 2. quoad 1. p. ex jure civili. [4] Nam *rectissimè illud receptum est, ut non solo suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem leges abrogentur*. Item ex jure canonico. [5] Nam ex Honorio III. *Cùm consuetudinis, usûsque longævi non sit levis auctoritas, & plerumque discordiam pariant novitates, auctoritate præsentium vobis inhibemus, ne absque Episcopi vestri consensu immutetis Ecclesiæ vestræ constitutiones, & consuetudines approbatas* &c. Ecce pondus consuetudinis, & auctoritatem. Greg. IX. docet, [6] quod *consuetudinis non levis est auctoritas, non tamen est adeo valitura, ut vel juri positivo debeat præjudicium ferre, nisi fuerit rationabilis, & legitime sit præscripta*; ergo consuetudo legitima, qualis est rationalis, & legitimè præscripta, vim habet jus, seu legem positivam abrogandi.

Prob. 2. p. item ex eodem jure. Nam Innocentius III. [7] irritat Abbatis *electionem factam contra consuetudinem æquè ac contra legem, tam contra statuti*

[1] *3.d.39.D.n.5.* [2] *4.d.13.q.2.n.18.*
[3] *2.metaph.c.3.n.22.* [4] *ff.de leg.*
[5] *c.consuetudinis de consuet.* [6] *Ibid.c.cùm tanta.*
[7] *Ibid.c.cum venerabilis.*

tuti tenorem, quàm etiam contra consuetudinem approbatam, quæ optima est legum interpres, minus canonicè attentata, merito cassari debeat.

Cofir. ex S. August. [1] *Mos populi Dei, & instituta majorum pro lege sunt tenenda; & sicut prævaricatores legum divinarum, ita & contemptores consuetudinum Ecclesiasticarum coercendi sunt.* Item ex Tertul. [2] *Consuetudo etiam in civilibus rebus pro lege suscipitur, cùm lex deficit.* Item ex Isidoro constat ex definitione allata, quæ communiter recipitur.

Prob. denique: quia consuetudo habet conditiones omnes legis, non quidem scriptæ, sed tacitæ: Est de bono communi, & auctoritate publica tum populi, tum principis annuentis, saltem interpretativè, & negativè, ut mox patebit; ergo eandem vim habet sive ad veteres abrogandas, sive ad novum jus inducendum.

Objic. Consuetudo non prævalet rationi, ut patet ex jure canonico: *Nemo consuetudinem veritati, & rationi præponat; quia veritas semper, & ratio excludit consuetudinem:* sed omnis lex nititur ratione, & veritate: ergo non solùm consuetudo non prævalet legi, sed potiùs illi cedit. Min. patet ex dictis de natura legis.

Resp. dist. maj. non prævalet rationi fortiori, conc. maj. & neg. min. rationi minori, & debiliori, neg. maj. & cons. Lex quidem nititur ratione: sed aliquando rationabilior est consuetudo; & ideò prævalet, si non ex objecto, & per se, saltem ex circumstantiis, & per accidens.

Inst. Ratio non opponitur rationi, nec justum justo; sed consuetudo, quæ opponitur legi, opponitur rationi, & justo; ergo consuetudo non potest esse rationabilis, nec justa, & multò minùs erit rationabilior.

Resp. dist. min. non potest opponi legi vigenti, quia opponatur rationi, & justo, conc. min. legi languenti, & derelictæ, neg. min. & cons. Lex in suo vigore est rationabilis, & justa tum propter utilitatem, tum propter auctoritatem principis, & consensum populi; stante illo vigore, actus, quibus inducitur consuetudo, possunt esse irrationabiles. Sed quando semel con-

[1] *Ep. 86.* [2] *de cor. mil. c. 4.*

suetudo invaluit, legis vigor elanguit ex ipsius legislatoris, aut principis, ac populi consensu, & evasit utilis bono, ac paci publicæ.

Inst. Princeps non potest consentire in actus contrarios legi suæ; ergo nec introductioni consuetudinis, ac abrogationi legis. Prob. ant. Actus illi opponuntur rationi æquè, ac legi, & ideò sunt peccaminosi; ergo non potest princeps illis consentire, nequidem toleranter, aut permissivè.

Resp. neg. 1. ant. & 2. cons. Nam cùm videt princeps populum fortiùs inclinari in partem contrariam suæ legi, sicut potest legitimè, & rationabiliter revocare, & abrogare positivè, sic etiam potest eam rationabiliter derelinquere, ne sit subditis gravior, & occasio peccatorum, & jurgiorum: & sic ipsemet quasi tacitè abrogat, aut abrogationi consentit, quamvis ab initio illi actus irrationabiles fuerint, & peccaminosi.

Objic. 2. Consuetudo contra legem induci non potest sine peccato; ergo non potest legitimè introduci. Prob. ant. Non potest introduci nisi per actus contra legem justam; sed actus contra legem justam sunt peccata; ergo non potest introduci sine peccato.

Resp.neg.cons. Nam licèt in principio illi actus sint peccata, tamen successu temporis, & ex consensu tacito, & expresso legislatoris, quo lex prior languescit, & quasi moritur, aut revocatur, evadunt legitimi quasi ex nova lege; quod verius est respectu posterorum, qui bona fide sequuntur exempla majorum, nescientes quod primi introductores peccabant.

Igitur supponimus, consuetudinem non introduci, nisi cum aliquo superioris consensu. Nam si populus sit liber, & potest, condere sibi leges, eadem ratione, qua potuit sibi præscribere vel scriptis, vel factis; si verò sit subditus principi supremo, apud quem resideat tota potestas legislativa, potest iste in consuetudinem contrariam legi suæ consentire, vel tacitè, quatenus videt inobservantias, & non contradicit; vel expressè, approbando positivè mores illos populi, aut ferendo positivam legem illis conformem.

Dixi, autem *legis humanæ positivæ*: nam sicut contra legem naturalem, & divinam nulla præscribit duratio, nec prævalet auctoritas, ita nec ulla consue-

tudo:

tudo: nam ex Scoto, [1] *Quod est contra legem naturæ non potest fieri justum, nec antiquitas temporis rectificat crimina.*

CONCLUSIO II.

Consuetudo vim suam principalem habet à consensu principis expresso, si adest, vel tacito, vel juridico, qui sufficiunt.

1. Loquor de communitate subdita principi, apud quem residet potestas suprema, & legislativa. Nam populus liber non indiget alterius consensu ad dandam vim istam consuetudini, sicut nec ad ferendas leges.

2. Suppono, triplicem dari consensum. 1. est *expressus*, quando princeps sciens aliquem usum introduci in populo, & civitate, illum explicitè approbat. 2. *tacitus*, cùm sciens introduci talem usum contra suam legem, silet, & dissimulat non contradicens, cùm id commodè posset. 3. *juridicus*, seu *communis*, quando in communi, & generali approbavit consuetudines legitimè introductas, non descendendo ad hanc, vel illam in particulari, quæ posteà & tractu temporis introduci possunt. His positis.

Prob. 1. concl. ex Scoto citato, quatenùs vult, consuetudinem esse *communem*, *& approbatam*: nec enim potest communis, vel approbata sine principis consensu.

Prob. 2. quia consuetudo habet vim legis abrogandæ, aut stabiliendæ, aut interpretandæ: sed ad hæc omnia requiritur legitima potestas; ergo consuetudo vim non habet sine aliquo principis consensu. Prob. min. Nam ad abrogandam, vel interpretandam, & statuendam legem requiritur potestas legislativa; sed hæc residet in principe; ergo &c.

Objic. 1. ex jure. Consensus populi sufficit ad vim consuetudinis; ergo vis illa non pendet à principe. Prob. ant. [2] ex textu legis, *Cùm ipsæ leges nulla ex alia causa non teneant, quàm quod judicio populi sint receptæ, meritò & ea, quæ sine ullo scripto populus probavit, tenebunt nos: nam quid interest, suffragio po-*

[1] 1. *d.* 36. *q.* 8.
[2] *L. de quibus, & L. quod ea. ff. de leg.*

pulus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis, & factis. Item, *Ea, quæ consuetudine longa comprobata sunt, & per annos plurimos observata, velut tacita civium conventio, non minus, quàm ea, quæ scripta sunt, jura servantur*; ergo solus populi consensus sufficit ad vim consuetudinis.

Resp. dist. ant. & prob. ejus in populo libero, conc. ant. in populo subdito principi supremo, neg. ant. Leges, & jura illa sunt de populo libero, & habente potestatem legislativam, non verò de populo subdito.

Inst. Princeps ipse licèt sæcularis potestatem legislativam habet à populo; ergo hæc a fortiori est in populo; ergo saltem consuetudo in civilibus habet vim sine principe.

Resp. neg. cons. quia ex quo semel populus in principem transtulit eam potestatem, hæc apud illum tota est, nec potest revocari. Non ita est quidem de Prælato Ecclesiastico, v. g. de Papa, qui à solo Deo potestatem habet. Ideò plures fatentur, sine isto consuetudinem non firmari; sed quoad hunc sufficit consensus juridicus, quatenus scilicet Ecclesia approbat in communi consuetudines longo tempore stabilitas, ut patet ex Canonibus citatis in præcedenti conclusione.

CONCLUSIO III.

AD firmitatem, & valorem consuetudinis contra legem, & quæ fit ex consensu tacito, debet durasse continuè per tempus decem, aut 20. aut 40. annorum, ut abroget legem. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto, & ex juribus civilibus, & canonicis citatis. [1] *Consuetudo non inducitur, nec firmatur sine præscriptione temporis, & præscriptio non curret, nisi præcesserit tempus à lege determinatum*: sed leges determinant decem annos, ut currat præscriptio contra præsentes, & 20. contra absentes in civilibus, & 40. in canonicis; ergo sic firmari debet consuetudo. Patet maj. ex textibus citatis: nam requirunt longum usum; *Quæ longa consuetudine probata sunt, & per annos plurimos*: *longævæ consuetudinis non est levis auctoritas*, inquiunt Canones. *Et*, *non*

[1] 4. *d*. 36. *q*. 1. *C*. *n*. 4.

non debet præjudicium generare, nisi fuerit legitimè præscripta: min. etiam prob. quia jus civile non requirit, nisi decennium. Et Ecclesia requirit 40. annos, ut patet *de quarta decima*. [1] Et C. *ad aures*: quia, inquit Alexand. III. *quadragenalis præscriptio omnem prorsus actionem excludit*.

Igitur dicunt Doctores, quòd quando princeps est præsens, sufficit decem annorum consuetudo; sed si est absens, requiritur 20. quia plus temporis requiritur ad præsumendum consensum absentis, quàm præsentis. Ideò si est præsens, censetur consentire in consuetudinem durantem 10. annis: requiruntur 20. pro absente; & quia leges Ecclesiasticæ sunt privilegiatæ, ideò longius tempus requiritur ad præscribendum contra illas. Idem tempus requiritur pro aliis rebus item Ecclesiæ. Tamen P. Vulpes Noster non plus requirit ad præscriptionem contra leges canonicas, quàm contra civiles; sed minùs probabiliter, ni fallor, quia Canones ad firmam consuetudinem requirunt, ut lex sit legitimè præscripta, id est secundum conditiones præscriptionis, quæ pro rebus Ecclesiasticis requirit lapsum 40. annorum.

Dixit autem, *quæ fit ex consensu tacito, vel præsumpto*; nam quæ confirmatur ex consensu expresso, non exigit aliud tempus, quàm illud, quo legislator explicat, & præbet expresse talem consensum.

Dixi 2. *ut abroget legem*; nam ad inducendam obligationem legis in his, quæ non adversantur prioribus, non exigitur tanta duratio, sufficit decennalis in omni jure, ut communiter docetur.

CONCLUSIO IV.

Consuetudo, ut valeat, debet esse rationabilis, & in materia honesta, & per actus publicos, & majoris partis communitatis. Est communis.

Prob. 1. p. quia consuetudo est quædam lex: ergo debet esse in materia idonea legis; sed materia legis debet esse rationabilis, & honesta, & utilis bono publico; ergo & materia consuetudinis.

Prob. 2. Nam consuetudo vim habet maximè ab aliquo superioris consensu, saltem tacito, vel præ-

[1] *de præscript.*

sumpto, seu juridico: sed ille non præsumitur consentire in actus, vel consuetudinem pravam; ergo &c. Prob. min. Nam potestas illi data est sive à Deo, sive à populo ad ædificationem, non ad destructionem.

Prob. 3. quia, ut dicebamus, non præscribitur, nec inducitur consuetudo contra legem naturæ, aut divinam; sed quod non est rationabile, & honestum, est contra jus naturæ, & divinum; ergo non potest rectificari per consuetudinem. Quod igitur sit contra honestatem, & jus naturale, aut divinum, non potest inducere consuetudinem approbatam, sed reprobatam; non est usus, sed abusus.

Prob. 2. p. eadem ratione: scilicet quia princeps non censetur approbare, nisi actus publicos, & manifestos, non verò secretos, & particularium, seu privatorum, nec consuetudinem, nisi quæ inducitur per actus manifestos.

Confir. ex textibus ex jure civili adductis: quia hæc vocat *longa consuetudine comprobata, velut civium conventio*: & quòd sint *leges receptæ judicio populi*: & quòd *populus eas sine scripto probavit*: & quòd *per eas populus voluntatem suam declaret factis*. Hæc verba, ut vides, non conveniunt nisi actibus manifestis, & quidem multitudinis, & communibus, non autem privatis, & occultis.

Quæres 1. *quot actus requirantur ad inducendam consuetudinem*.

Resp. cum P. Vulpe sufficere duos actus *judiciales*, sed quod extra judiciales requiruntur plurimi. Per actum *judicialem* intellige sententias definitivas in judicio contradictorio latas; per *extra judiciales* verò, qui à privatis ut privatis, & per simplicem usum fiunt. Uunde si in judicio pars vincens allegaverit consuetudinem 10. annorum, aut 20. censetur per duo judicia consuetudo approbata.

Prob. 1. responsio ex [1] Scoto dicente, quod *secundum jura binus actus introducit consuetudinem*, 2. quia consuetudo non inducitur, nisi per actus, qui arguant consensum principis, aut populi, qui potest sibi facere legem; sed hic consensus non arguitur, nisi ex actibus manifestis, & frequentatis; quæ enim rarissimè fiunt in occasionibus similibus, aut non ad-

ver-

[1] 3. *d.* 38. *D. n.* 1.

vertuntur, aut potius improbantur quasi singularia, & illicita, utpotè contra legem.

Quæres 2. *an actus, per quos incipit introduci consuetudo contra legem, sint peccata*. Dico, *contra legem*: nam qui sunt *præter legem* in materia, de qua non est lex nec naturalis, nec positiva divina, vel humana, non sunt peccata; sed possunt esse boni, & virtuosi; nec de his dubitatur.

Resp. quòd in foro externo sunt peccata, non verò in interno, saltem ordinariè.

Ratio 1. partis est, quia in foro externo sunt contra legem; ergo quoad hoc sunt peccata.

Ratio 2. p. est quia possunt esse ex bona fide, sicut requiritur ad præscriptionem ex ignorantia, vel conscientia erronea, aut probabili, saltem quoad simpliciores, qui videntur alios regere, putant id sibi licere. Fateor tamen, quòd ab initio, & pro iis, qui sciunt prohibentem legem, tales actus sunt peccaminosi; quia leges humanæ obligant in conscientia, ut dictum est.

QUÆSTIO XII. & ultima.

De Privilegio.

Vis obligativa legum humanarum cessat etiam per *privilegium*, quod nomen sumpsit, ut aliqui volunt à *privatione legis*; ideò dicitur quasi *privatio legis*, aut *privans legem*; quia concedit, ut aliquid fiat contra, vel præter communem legem, à cujus obligatione eximit aliquos. Dicitur etiam *favorabilis*, quia specialem continet favorem: ideò de illo cum legibus loquimur, sed quasi per occasionem, & per transennam.

Describi solet *lex privata speciale aliquid indulgens*. Dicitur, 1. *lex*; quia per modum legis conceditur, quamvis non sit lex, sed potiùs oppositum legis à cujus obligatione eximit privilegiatos. 2. *privata*; quia per *privilegium* aliqui distinguuntur à communitate, seu excipiuntur à communi lege. 3. *speciale aliquid indulgens*: quia per *privilegium* gratia, seu favor conceditur privilegiato quod non conceditur communitati: unde *privilegium* in hoc mutat legem,

gem, & vim ejus tollit quoad aliquos particulares, vel partem communitatis; & eis conceditur aliquid, quod est contra, vel præter, vel ultra legem communem: & differt à *dispensatione* per hæc duo ultima: & præterea quia *dispensatio* datur ad unum, aut duos, vel aliquos actus determinatos contra legem: ut cum dispensatur cum aliquo, ut contrahat matrimonium cum fœmina in gradu prohibito: *Privilegium* verò datur per modum facultatis permanentis; ut si quis eximatur a jejunio quadragesimali per totam vitam: & in hoc etiam differt à *gratia*, *seu beneficio*; quia neutrum datur per modum legis permanentis, sicut *privilegium*. Deinde non omnis *gratia* est *privilegium*, benè verò *omne privilegium* est *gratia*, ut absolutio ab irregularitate est gratia, non verò *privilegium*: differt 2. à *lege*, quia hæc respicit per se bonum commune; *privilegium* bonum privatorum. 3. quia *lex* obligationem imponit, *privilegium* eximit ab obligatione.

Dividitur autem 1. in *reale*, quod conceditur directè alicui rei, ut prædio, monasterio, Ecclesiæ, vel statui, v. g. clericali Episcopali, pupillari; & quia conceditur quidem in favorem personarum, sed directè, & immediatè intuitu locorum, statuum, & officiorum: & *personale*, quod directè datur personæ ratione sui; ut si Petrus eximatur à decimis, à tributis, &c. illud videtur de se perpetuum; sicut & res, quibus adnectitur: sed istud temporale est; nam extinguitur cum persona, & personam sequitur.

2. *Gratiosum*, quod gratis datur, seu absque meritis ex parte privilegiati; & *onerosum*; seu *remuneratiuum*, quod datur ex meritis, vel cum onere aliquid faciendi, aut vitandi. Nō solent tamen cōcedi sine aliqua causa vel ex parte personæ accipientis, aut aliorū.

3. *Purum*, quod datur sine pacto, sed absolutè, & *conventionale*, quod datur pacto, seu conditione aliqua interveniente.

4. *Favorabile*, quod nemini fert incommodum, ut privilegium non jejunandi in quadragesima; & *odiosum*, quod, dum favet privilegiato, nocet aliis: ut habilitas ad plura beneficia simul habenda est quidem favorabile clerico privilegiato, sed odiosum prætendentibus.

5. *Af-*

5. *Affirmativum*, quod dat facultatem ad aliquid faciendum; & *negativum*, quod dat facultatem ad aliquid omittendum.

6. Ratione modi, quo obtinetur, vel confertur, aliud datur ad *petitionem*, seu *instantiam*, quod conceditur precibus, seu supplicationibus; & aliud *motu proprio*, scilicet ex pura liberalitate principis: & hæc dignosci solent ex litteris, in quibus narratur, quòd sit *ad petitionem*, vel *ex motu proprio*. Primum non est tam liberale, quàm secundum; & ideo istud potest ampliari, quantum patitur concessionis verborum significatio; illud verò restringi debet ad terminos petitionis. 2. Privilegiatus potest cogi ad utendum privilegio petito, non autem concesso motu proprio. 3. petitum obnoxium est vitio subreptionis, vel obreptionis, non verò secundum.

CONCLUSIO I.

Ille solus concedere potest privilegia, qui potest condere leges, saltem regulariter, & propriè; potest tamen concedi non subditis.

Prob. 1. p. quia privilegium derogat legi, & datur contra legem; sed hæc illi soli conveniunt, qui potest condere legem; nam qui hoc præstat, debet esse supra legem, ut patet ex dictis; ergo ille solus potest privilegiare, qui potest ligare, seu condere legem.

Confir. Nam privilegium, ut dicebamus, datur per modum statuti stabilis; & per consequens qui concedit illud, debet habere jus, & potestatem tuendi privilegiatum contra legem, vel ultra illam.

Dixi, *propriè*; nam sæpè inferior, cui committitur executio legis, potest aliquos eximere, & dispensare ab actibus aliquibus legis; sed hoc non est *propriè* privilegium, sed aliqualis dispensatio.

Prob. 2. Nam princeps, qui exigit aliqua onera à suis subditis, v. g. in emptione, vel venditione, potest ab eis eximere extraneos transeuntes per statum suum.

Quæres, *an cessante causa motiva concessionis privilegii, cesset & ipsum*.

Resp. aliqui cum distinctione: nam si detur ob-

meritum aliqua exemptio, v. g. Egregio militi exemptio Gabellæ, cessante bello, & exercitio militari, non cessat exemptio: si verò detur sine merito, sed propter incompatibilitatem exercitii alicujus cum observantia legis: v. g. si concionator eximatur ab officii recitatione, aut à jejunio per quadragesimam, cessante exercitio concionandi, cessat privilegium. Sed pace illorum dicerem, non esse opus tali distinctione nam meritum propriè non cessat. Licèt enim exercitium militare cesset, adhuc perseverat meritum egregiè factorum, & laborum militarium præteritorum. Ideo absolutè crederem, quòd cessante absolutè causa impulsiva, propter quam, & sine qua non concessum esset privilegium, cessat & ipsum, nisi aliter disponatur per concessionis titulum. Sic privilegium concessum clericis, ut percipiant fructus præbendarum, dum vacant studiis, cessat, dum & ipsi cessant studere, ut constat ex jure canonico.

Quæres 2. *An cesset aliis modis.*

Resp. affirmativè. Nam 1. cessat per *renunciationem* privilegiati; quia cùm detur in gratiam, & favorem, non in gravamen, ideo non cogitur illo uti, dum fit onerosum; modò sit personale; nam si sit reale, & generale, v. g. concessum statui, aut religioni, nullus particularis potest illi renuntiare: v. g. Clericus non potest renuntiare privilegio fori, aut canonis; nec Regularis privilegio suæ religionis. 2. cessant per usum, vel non usum in iis, quæ sunt onerosa aliis; quia non minus consuetudo valet, & præscriptio contra privilegia, quàm contra leges. Dico, *in iis; quæ sunt aliis onerosa;* nam in his, quæ nullis præjudicant, & sunt purè gratiosa privilegiato, non amittuntur per non usum, quia non præscribit privilegiatus contra se ipsum, & usus sui privilegii est merè facultativus; nec etiam alii præscribunt contra illum, quia nihil ipsorum interest; in casu autem præscriptionis requiritur lapsus temporis, sicut in aliis legibus dicebamus. 3. amittitur per delictum privilegiati in usu, & materia privilegii, non in aliis: v. g. si eo abutatur per excessum facultatis concessæ, aut quia inde sumit occasionem malè vivendi, aut nocendi aliis, juxta canones: *Nam privilegium meretur amittere, qui permissa abutitur potestate.* 4. Quando

est

eſt merè gratuitum ex parte principis, poteſt ad nutum ejus revocari, ſaltem validè; nam regulariter, & honeſtè revocari non debet ſine cauſa, ſicut nec datur regulariter ſine cauſa. *Decet enim conceſſum à principe beneficium eſſe manſurum*, inquit Regula juris; ſed ſi ſit *oneroſum*, & *remunerativum*, eſt irrevocabile; nam princeps tenetur jure naturæ ſervare pacta juſtè inita etiam cum ſubditis. Talia ſunt fere omnia Regularium mendicantium privilegia, ut patet ex Bullis conceſſionum, in quibus allegantur eorum merita erga Eccleſiam; cum autem revocantur, debet de illis fieri expreſſa mentio: ſed de his ſatis. Vide Rodericum, Miranda, Pellizarium, Donatum, &c.

Et hæc de actibus humanis dicta ſufficiant, quæ omnia cedant in Dei Opt. Max. gloriam B. V. M. & Seraphici P. Franciſci.

FINIS TOMI QUARTI.